ORIGINES

ET

ANTIQUITATES CHRISTIANAE

ORIGINES
ET
ANTIQUITATES CHRISTIANAE

AUCTORE

F. THOMA M. MAMACHIO

ORDINIS PRAEDICATORUM THEOLOGO CASANATENSI
DEINDE SACRI PALATII APOSTOLICI MAGISTRO

EDITIO ALTERA

AUCTORUM EXEMPLARIBUS COLLATA AC RECENSITA

CURANTE
PETRO MATRANGA PRESBYTERO.

TOM. III.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA SALVIUCCI
MDCCCXLVI.

PRÆFATIO

Quamquam fuisse aliquos, eosque iam in historia ecclesiastica summa cum existimatione, laudeque versatos viderem, qui universam hanc, quae est de veterum christianorum moribus, quaestionem explicavissent; tamen quod ita posceret ratio instituti mei, ut illustratis originibus, progessuque religionis, tertius de moribus *sequeretur liber, committendum non putavi, ut, contra atque pollicitus fuissem, haec a me omnis disputatio praetermitteretur. Eoque magis confirmatus in suscepto consilio sum, quod facile intelligerem, eorum qui operam, studiumque in hasce res sive narrandas, sive evolvendas contulerint, perpaucos quidem fuisse, qui nihil rituum, ceremoniarumque attingerent, qui autem copiose de moribus ageret, fere neminem. Nam Laurentius Paganinus, cuius anno* 1639. *editus Florentiae de* vita christianorum ante Constantini tempora *liber est, Iohannes Fronto academiae parisiensis cancellarius, et canonicus regularis s. Genovefae, qui anno* 1660. *Parisiis* de moribus, et vita christianorum in primis ecclesiae saeculis epistolam *ad Franciscum Arlaeum archiepiscopum rothomagensem scripsit, publicavitque, quae sane epistola Leodii una cum ceteris eiusdem opusculis an.* 1674., *tum Hamburgi anno* 1720., *postremoque Veronae an.* 1733. *novis formis impressa fuit; Claudius Fleurius,* libro de moribus primorum christianorum *gallice*

perscripto, vulgatoque Parisiis anno 1682., *Guillelmus Caveus anglus homo de episcopalium quidem secta, cuius nos opus* de primitivo christianismo *ex anglico in gallicum sermonem conversum, editumque anno* 1712. *Amstelodami legimus, et breviter mores, vitamquo maiorum nostrorum descripserunt, et quaedam interdum persequuti sunt, quae ad ritus, ceremoniasque sacras spectare viderentur. Atque Caveus quidem priore parte calumnias ethnicorum in christianos complexus est, quae tametsi ad eam, quae est de moribus quaestionem illustrandam pertinent, tamen non sunt propria huiusce loci. Godfridus autem Arnoldus, qui cum Lutheri partibus studeret, tum* de officiis et moribus primorum christianorum *copiose communi germanorum sermone scripsit, non solum Augustini, sed etiam Salviani, Cassiodori, Eucherii, Gregorii magni testimoniis usus persaepe est, quorum aetate minus fuisse nostrornm hominum mores, quam ante consuessent, ad virtutem exactos constat. Verum quae secundo atque insequentibus libris (est enim opus Arnoldi distributum in libros octo)* de cantu, de conventibus sacris, de temporibus exercitationum religiosarum, de laicis, de electione, et vocatione doctorum, deque horum numero, et gradibus, de publica lectione, praedicationeque verbi, de catechismo, de baptismo, de ieiuniis, de miraculis, de prophetiae, linguarum, et curationum donis, *ad ritus, disciplinam, et divinae gratiae largitatem spectant, ad mores autem christianorum non item. Quae vero octavo libro continentur, quis neget ab Arnoldo fuisse perscripta, non ut veritati, sed ut lutheranis suis sodalibus satisfaceret? Eam ego operis huiusce editionem vidi, quae Lipsiae anno* 1732. *curata est. Iam Christophori Adami Ruperti orationem decimam, quae est* de ecclesiae veteris sanctitate, et moribus, *Hornecki anglice epistolam* de divina vita christianorum primitivorum *scriptam, Eduardi Vaterhusii anglice perinde an.* 1655. *Londini editam dissertationem* de pietate, charitate, et politia antiquorum temporum, et primorum christianorum, *quid memorem, quas etsi nusquam viderim, tamen et perbreves, ut ex inscriptione colligitur, esse, et legi vix a paucis posse arbitror propter exemplarium raritatem? Nam Thomae Burnetii angli* de fide, et officiis christianorum *liber sin-*

gularis, qui an. 1727. publicatus Londini est, nihil fere continet, quod ad rem, quam mihi proposueram, spectare videretur. Non enim quid veteres christiani facerent, sed quid credere, quidque agere omnes debeant, qui nostram profitentur religionem, explicat sequiturque sententias episcopalium britannorum. Qui autem aut annales ecclesiae, aut historiam descripseruut, ut Baronius, ut Tillemontius, ut Orsius, aliique, quos ne sim longior, quam par sit, quamque oporteat, praetermitto; etsi maximam eorum partem, quae complexus hoc libro sum, partim latinis, partim gallicis, partim italicis litteris persequuti sint; sparsim tamen ea, ita ut rerum methodus, seriesque, quam sibi praescripserant, postulabat, non iunctim proponenda, atque illustranda putarunt. Ego igitur, qui origines, et antiquitates christianas aliquot voluminibus comprehendere statuissem, cum in hunc locum, qui est de maiorum nostrorum moribus, venissem; non quod viros doctos, qui ante me ingressi in eam disputationem essent, non facerem, ut debebam, plurimi; sed quod ita posceret ratio instituti mei, colligenda omnia, quae ad idem argumenti genus pertinerent, et ordine, ac fusius quidem, quam ante me Caveus, et Fleurius fecissent, describenda, atque huc transferenda iudicavi, ut mihi ipsi, et ceteris, quibus id me esse aliquando acturum promiseram, satisfacerem. Sed quae erant de christianae religionis dogmatibus, quae nos latine decreta dicere possumus, quaeque de disciplina, de ritibus, ceremoniisque ecclesiae, omitti omnia censui oportere, quod propria esse perspicerem alterius loci, et temporis. Ac dividendum quidem librum esse duxi in partes tres, in quarum priore de iis, qui ad Deum, altera de iis, qui ad ipsum hominem, in tertia denique de iis, quae ad ceteros referuntur, moribus disceptarem; propterea quod et indicatam huiusmodi distributionem ab apostolo Paulo in epistolae ad Titum secundi capitis versu duodecimo, et rationi, methodoque a me susceptae magis esse accommodatam viderem. Etsi enim veterum aut nullos, aut forsitan perpaucos fuisse intelligerem, qui eam consectarentur, tamen sperabam fore, ut a nemine reprehenderer, si eam adhibuissem, quam mihi esse opportuniorem cognossem. Igitur cum aggressus essem de virtutibus theologicis, prioreque iam loco de fide, spe, et charitate disserere, missis, ut

aiebam, decretis, quae nostrum quemque credere necesse est, demonstravi equidem, quanto colendae religionis studio veteres flagrarent, quibusque modis illud augere conarentur. Negari enim non potest, quin continenti cogitatione praesentis ubique, praemiatoris bonorum, punitorisque malorum, unius, sapientis, atque omnipotentis Dei incendi vehementer mortales ad cultum religionis, virtutisque solerent. His explicatis rebus, ad symbola veniundum existimavi, quibus uti maiores nostri consueverant, ut quae didicerant, memoria tenerent, inque fide, atque pietate erga Deum maiorem in modum confirmarentur. Ea vero, cum lectorum oculis proponi, nisi adhibitis tabulis non possent, quae sarcophagos, sepulcrales lapides, lucernas, annulos, quibus impressa eiusmodi signa erant, repraesentarent; exprimi iis figuris curavi, quas aeri, lignove aut ipse incidi feci, aut aliorum sumtu incisas, quod in Nerei Corsini, et Sylvii Valentis sanctae romanae ecclesiae cardinalium optime de litteratis viris meritorum potestatem venissent, ab ipsis (quae singularis tantorum principum humanitas erga me fuit) ut meis adderem, impetravi, itaque iam fidem, quam initio de tabulis, dum ratio posceret, proferendis dederam, liberarem. Qua in re etiam dici vix potest, quantum commendatori Francisco Victorio nobilissimo, atque eruditissimo viro debeam. Is enim, quas habebat in promtu ligneas (1) *omnes tabulas mihi et dedit, et quemadmodum explicarem, praemonstravit viam. Quamvis autem qua quisque sarcophagus aetate sit sculptus nesciam, non is tamen sum, qui nullum esse quarto saeculo antiquiorem putem. Nam qui contra sentiunt, ut apud primorum temporum christianos imaginum sacrarum usum obtinuisse impune negent, caveant, ne tanta confidentia repugnare antiquis scriptoribus videantur. Ut enim reliqua praeteream, qua fronte extremi quarti, ineuntisque quinti saeculi auctor Rufinus litteris haec adversus Hieronymum disputans commendare potuisset,* Scribamus etiam in sepulcris veterum, ut sciant et ipsi, qui aliter se gerunt, quia Ionas non habuit umbram cucurbitae, sed hederae, *si nullum sepulcrum, quod figuram Ionae exhiberet, saeculo quarto vetustius*

(1) In hac vero secunda editione affabre, et elegantissime omnes fere tabulae sunt aere incisae ab ipso huiusce operis benemerito ἐγχειρητῇ, et eximio artifice Vincentio Ferrerio, qui suam operam et in praecedentibus volum. adhibuit.

fuisset? An veteres *ille appellasset eos, quibus cum una fortasse versatus esset, quorumve aetatem proxime saltem attigisset? Ac si Ionae imago sepulcris ante quartum saeculum insculpi a nostris consueverat, cur non item imagines Christi, et apostolorum? Sed redeo ad rem. Ergo cum contemplatione divinarum rerum, quis conditor, quis auctor bonorum, et gratiae, quisque hominum sit finis pernoscere mortales possint, indeque iam incitatos maiores nostros fuisse animadverterem, ut quaecumque cogitarent, agerent, molirentur, in Deum referrent; id quoque breviter exsequutus sum, moxque in affinem descendi, quae est de veterum christianorum continuis fere precibus, disputationem. Exsistit autem ex sanctarum, quas fides moderatur, precum usu, consuetudineque summa erga Deum reverentia, integritas in iure iurando, tantaque animorum in religione firmitas, ut res qualisbet, quae vel speciem superstitionis praeseferant, aversentur. Quamobrem sequuntur paragraphi de reverentia veterum christianorum erga Deum, de eorum in iuramentis cautionibus, et religione, de studio, quo cavebant, ne falsum aliquem appellarent deum, ne angelis, sanctisque cultum eo superiorem, qui ipsis conveniret, tribuerent, ne falsorum numinum imagines venerarentur, ne quem in locum, in quo superstitio observaretur, accederent, non ad templa, non ad aras, in quibus ethnici sacrificabant, non eo, ubi magi, arioli que essent, qui daemones invocabant, suisque praestigiis non mediocre afferebant mortalibus detrimentum, vel ubi imperatori, plus quam homini tanta dignitate praestanti deberetur, cultus adhiberi solebat, non ad convivia, non ad amphitheatra, non ad theatra, non ad choreas, in quibus praeter ea, quae contra modestiam, pudicitiamque fiebant, multa perpetrari ab ethnicis consueverant impietatis, et superstitionis plena. Sed quoniam esse hoc tempore aliquos intelligebam, qui magiam omnem funditus tollere conentur, contra quos, post Tartarottum, eosque omnes, quorum* p. 98. not. 1. seq. *memini, singularem Constantinus Grimaldus perscripsit dissertationem, quae Romae anno* 1751. *edita est typis Nicolai, et Marci fratrum Paleariniorum; consistendum paullulum mihi in eo argumento illustrando fuit, ostendendumque et sacrorum bibliorum, et maio-*

rum nostrornm auctoritate, quanto in errore novitatis amici, totiusque magiae oppugnatores, quantaque in opinionum vanitate versentur. Age autem eorum, qui religionem tanto studio colerent, quotumquemque fuisse dicemus, qui vinci se ab hostibus sineret, cogique, ut inanibus diis sacrificandum, honoremve aliquem adhibendum arbitrarentur? Igitur cum tanta esset christianorum in fide, ac religione constantia, quid vis esset perpeti satius quam vero Deo iniuriam facere putabant. Quamobrem, ubi absoluta de animis christianorum a quovis superstitionis genere alienis quaestio est, agendum de maiorum nostrorum in fide tuenda fortitudine, atque constantia in suppliciis perferendis fuit. Quod ut ordine fieret, primum omnium quemadmodum abdere sese in locum aliquem, ne quid ab se temere gestum esse videretur, solerent, utque tunc famem, sitim, aliaque incommoda aequo animo ferrent, demonstravi; deinde ut exhaeredari, damnari, exsulare, quam Christum eiurare mallent; post ut in carcerem coniici, acerbissimisque suppliciis laniari, excruciari, interimi potius, quam veram religionem ab se aut facto quopiam, aut verbo negari paterentur. Cumque tot genera suppliciorum cognosci vix possent, nisi tabulae aereae, ligneaeve additae fuissent, quibus eadem exhiberentur, factum Rolandi, Blanchini, Mazzoleni, Victorii, Masini, Alberici in Oratorio romano virtute, eruditioneque praestantium presbyterorum incredibili erga me benevolentia, et humanitate est, ut ligneae, quas in tabulario vallicellano servabant, quibusque usus doctissimus Gallonius fuerat, mihi concederentur. His autem adiunxi aereas quatuor, easque omnes suis locis opportune inseri curavi. Non enim eos audiendos putabam esse, qui omnem ex hoc libro de suppliciis disquisitionem excludi oportere arbitrabantur, quasi reiici in alium locum opportune posset, quod et agere equidem de suppliciis deberem, ut qui antiquitates, et origines christianas explicare coepissem, et opportuniorem locum nullum reperirem. Ac si a Caveo, aliisque praetermissa non est de hoc argumenti genere disputatio, cum breviter mores veterum christianorum describerent, cur eam mihi esse omittendam putassem? Sed quia ethnici persaepe vel ante, vel posteaquam in quem-

quam nostrum saeviissent, ad blanditias confugiebant, hisque iam artibus fortissimos homines vincere enitebantur; paragraphus successit decimus de christianorum in his item eludendis, superandisque constantia; quam quidem rem confirmavi Epipodii exemplo, quem Alexandri martyris appellavi, non natura, sed consensione animorum fratrem. Atque ubi actum de maiorum nostrorum in fide contra ethnicos tuenda, stabiliendaque virtute, ac fortitudine est, accedendum ad eam disputationem fuit, qua, ut essent alienis ab haeresi animis, demonstraretur. Qua sane re absoluta, ostensum est, fuisse eos studio religionis orthodoxae ita incitatos, ut si quem suorum aut in idololatriam, aut in haeresim incidisse intellexissent, summo dolore afficerentur, darentque operam, ut lapsi reverterentur ad sanitatem. Lapsi autem? immo vero ii quoque omnes, qui in magna semper ignoratione rerum divinarum versati essent. Post ubi finem de fidei virtute disserendi feci, ingressus in eas quaestiones sum, quae ad spem, charitatemque spectarent, ut qui scirem eas etiam proprias esse religionis; cum animadversum a doctoribus ecclesiae sit, fide, spe, atque charitate adorari Deum. Hisque iam rebus, quae huc pertinent, duobus capitibus comprehensis, explicatisque, quibus pars libri huiusce prior absolvitur, altera perfecta est pars de moribus, officiisque veterum christianorum erga seipsos. Qua quidem parte eae maiorum nostrorum virtutes describuntur, quibus homines vitia, pravasque cupiditates tollunt, quarum aliae in animo et nascuntur, et insunt, aliae oriuntur ex coniunctione, colligationeque animi eiusdem cum corpore. Priore igitur loco duobus capitibus quemadmodum in hoc genere virtutum institui veteres solerent, demonstratum est. Cumque ea virtus, qua demisse quisquam de se, abiecteque sentit, quamque vocamus humilitatem, veluti fundamentum sit moralium ceterarum, caput est inscriptum tertium de humilitate veterum christianorum. Quod eo quoque consilio factum est, quod viderem opponi hanc superbiae vitio, quod primum in capitalibus numeratur. Eademque ratione, cum secundum ponatur vitium avaritia, cui est contraria liberalitatis virtus, addendum existimavi caput de liberalitate veterum christianorum, deque eorum animis alienis a

cupiditate terrenarum rerum, iisque peccatis, quae ex avaritia proficiscerentur. Interiectus autem paragraphus est de artibus, quas illi profitebantur, quod magnam esse huiusce argumenti cognoscerem cum re, de qua agebatur, affinitatem. Neque vero succurrit, qua tandem oscitantia contigerit, ut venditores purpurae, trapezitasque in iis ponerem, qui labore manuum sibi victum acquirere solerent. Quin etiam cum multa loca veterum, quae transferri eodem poterant, praetermisissem, quod minus esse necessaria putassem, tum nescio quo casu me hoc Eusebii fugerit testimonium, quod ad rem maxime pertinebat, extatque in primo demonstrationis evangelicae libro, estque huiusmodi : « Alter status christianorum remissior, atque humanior. Hic et modesto coniugio, et sobolis procuratione implicatur, et rei familiaris curam assumit, et iuste militantibus quae sint agenda describit, agros quoque, et mercaturam, aliumque magis civilem vivendi morem, adiuncta religione, non negligit ». Post descriptam liberalitatem veterum christianorum, caput est subsequutum de pace, tranquillitateque animi, deque eorum in adversis rebus ferendis incredibili patienta, quae irae vitio adversatur. De temperantia vero , castitateque tractationem (quoniam hae virtutes cupiditatibus gulae, atque luxuriae oppositae sunt, quae quidem cupiditates duae ex corporis unione cum animo, post ubi depravata natura peccato primi parentis est, oriuntur) in caput sextum huiusce partis reiiciendam putavi, cui est affine septimum de modestia veterum christianorum. Extremum successit caput, quod indicat, quemadmodum illi se domi, forisque gerere solerent, quo sane capite omnis de officiis erga se ipsos materia paucis, compendioque continetur. Atque eodem in capite, quanta eorum esset in sua salute, reque gerenda cura, et diligentia, quae virtus acediam tollit, ostensum breviter est, propterea quod alibi etiam, ut ratio ferebat, id ipsum, cum de virtutibus ceteris agerem, attigissem. Nam de virtute, quae contraria invidentiae est, quoniam refertur ad alios, coniunctaque est charitati, amorique in proximum reieci in partem huiusce libri tertiam disputationem. Est vero primum tertiae partis caput inscriptum de charitate veterum christianorum erga homines ceteros, quos proxi-

mos appellamus, propter speciei unitatem, similitudinemque naturae. Quod argumentum ut ordine explicari, evolvique posset, hanc sum equidem methodum, rationemque sequutus, ut primum de filiorum erga parentes, tum de parentum erga filios, post de coniugum, inde de christianorum erga christianos, postremoque erga ethnicos amore dissererem. Existit autem ex mutua charitate pax, et coniunctio animorum; quapropter caput est secundum de pace, et concordia, cui paragraphi adduntur de cura, ne quis alteri, quod sibi fieri nolit, faciat, de mansuetudine, de animis veterum christianorum alienis ab invidentiae crimine, deque diligentia, qua studebant, ne litem cuiquam scriberent, neve memores essent iniuriarum. Postremum est caput de iustitia erga omnes homines, sine qua consistere nequit humani generis consociatio. Quoniam vero his moribus amplificata mirandum in modum religio christiana fuit, induxitque ethnicos, ut nostros imitarentur, paragraphum postremum de studio ethnicorum imitandi christianos scripsi, itaque finem imposui tertio, qui est de moribus veterum christianorum, libro. Quod si qui sunt, (esse autem horum aliquos video) qui cum Moshemio (instit. hist. eccl. saec. I. cap. XIII. *pag.* 13. *edit. an.* 1739.) *multo plura de maiorum nostrorum virtute praedicari, quam veritas postulet, arbitrentur; his quidem certe satis esse huiusce libri initio factum puto. Non enim nullos olim improbos christianos, sed paucos fuisse* comparatione *bonorum defendimus. Huiusce autem rei cum duae sint caussae loco modo indicato descriptae, tum afferri tertia potest, quae ex severitate ecclesiasticae disciplinae consequitur. Etenim cum tot annis in squallore, ac sordibus poenitentes iacere solerent, sin minus amore, at metu saltem poenarum compulsi aliqui cavebant, ne quod ab se crimen perpetraretur.*

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM

LIBER TERTIUS

DE MORIBUS VETERUM CHRISTIANORUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

LIBRI III. PARS ALTERA

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

ORIGINUM

ET ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

LIBER TERTIUS

DE MORIBUS VETERUM CHRISTIANORUM.

Etsi non eram nescius, cum ii tertium hunc *originum, et antiquitatum christianarum* librum legissent, qui aliqua ingenii facultate praestarent, fore ut consilii mei rationem perspicerent; tamen ne in eorum reprehensionem incurrerem, qui rem quamque ante definiendam, quam aut narrandam, aut argumentis confirmandam arbitrarentur; iisdem ipsis parendum iudicavi, cum praesertim id peterent, quod molestiae, si breviter dictum esset, nulli, multis autem commodo, atque utilitati esse posset. Igitur cum primum de moribus nostrorum hominum, qui ab initiis ecclesiae ad medium usque quartum saeculum floruerunt, agere constituissem, cognovissemque iisdem nos praeceptis, legibusque teneri, quibus illi ipsi veteres tenebantur; non quales quique eorum esse deberent, quaerendum (est id namque plerisque omnibus cognitum), sed quibus institutis re ipsa viverent, tradendum existimavi, ut cum eorum vita novi compararent suam, haberentque permultos, quos non suspicerent modo, sed etiam imitarentur. Neque vero is ego snm, qui, cum de moribus primorum christianorum dispnto, nullos tum fuisse male moratos, flagitiososque christianos putem. Sed qui erant factiosi, superbi, impuri, inquinatique aliis generibus vitiorum, hi quidem certe perpauci, si cum bonis conferrentur, erant. Cuius quidem rei cum aliae plures fortasse, tum hae potissimum causse fuerunt duae. Principio enim, ut res fere omnes naturae, sic hominnm consociatio, quo propius ab origine sua abest, vigere magis, vir-

tuteque augeri, amplificarique solet. Atque si alias umquam, tnm quidem maxime contineri homines in officio debebant, cnm in eam, quae propter animorum perfectam, sempiternamque felicitatem auctore, rectore, magistro Deo constituta esset, societatem venerunt, quo tempore recens erat rerum a Christo servatore sancte, mirificeque gestarum memoria. Itaque initio ecclesiae vix ulli, extremo autem primo, secundoque saeculis aliquanto plures, tertio maiore numero improbi christiani, cum magna tamen copia bonorum esset, reperiebantur (1). Quamquam est illud etiam concedendum, quemadmodum in amplissimis civitatibus, quae optimis civibus abundant, ita in magna multitudine piorum, virtuteque excellentium christianorum exiguum, in maiore deinceps haud ita parvum, in maxima denique, quam tertio, quartoque saeculis viguisse constat, auctiorem item fuisse numerum improborum. Altera est caussa ex aerumnis profecta, quibus ante Constantini tempora nostri homines premi consnerant. Cum enim corruptis moribus viri, mulieresque summo semper in metu versari christianos (2), spoliari fortunis omnibus, vexari, lacerari, rapi in extremum cruciatum cernerent, ant in errore, si erant imbuti superstitione deorum, manere; aut si, cognita veritate, christianis sacris imbui curaverant, a nostrorum coetu recedere malebant, quam iis rebus carere, quae ad explendam caecam, temerariamque dominatricem animi cupiditatem conducere posse viderentur. Sed qui horum consistendum nihilo minus in ecclesia sibi esse censebant, iidem cum vel qnaeri sese ad necem, vel in hostium potestatem venisse perspiciebant, christianos se aut fuisse aliquando, aut esse velle (3) inficiabantnr, itaque ex-

(1) Iustinus martyr ex tot christianis, qui primo, secundoque saeculo ad sua nempe tempora floruerunt, nonnullos tantum fuisse adfirmat, qui vel alicuius delicti deprehensi fuerint. *Iam nonnulli*, inquit, *apol.* I. n. 7. *pag.* 47. *edit. venetae*, *cum comprehensi fuissent, convicti sunt malefacti etc.* Tertullianus item, qui extremo secundo, tertioque saeculo floruit, *lib.* I. *ad nationes cap.* V. *p.* 43. *edit. venet. an.* 1744., non negat suo tempore etiam fuisse malos christianos, et non plures esse adiungit. „ Non negabimus, *inquit*, quosdam: sufficit, „ et hoc ad testimonium nominis christiani, si non „ omnes, si non plures. Necesse est in corpore, et „ quantum velis integro aut puro, ut naevus aliquis „ effruticet, aut verrucula exsurgat, aut lentigo sordescat ... Maior boni partio modico malo ad testimonium sui utitur. Cum tamen aliquos de nostris „ malos probatis, iam hoc ipso christianos non probatis „.

(2) Iustinus martyr *apolog.* II. n. 12. *edit. venetae an.* 1747. *p.* 100. „ Quis libidinosus, *inquit*, intemperans, ac humanae carnis epulas in bonis numerans, „ mortem amplecti possit, ut bonis suis careat, ac „ non potius omnino in hac vita semper versari „. Atque hac se ratione cognosse sit, cum ethnicus esset, christianos bonis moribus fuisse praeditos. *Vide Euseb. lib.* IV. *hist. cap.* VIII. *p.* 152. *edit. Cantabrig.*

(3) Huius generis fuerunt illi, quorum fit apud Plinium iuniorem *lib.* X. *epist.* XCVII. *pag.* 629. *edit.*

hausta veluti sentina, rem nostram publicam revelabant, uti a fortissimis tantum ea, optimisque hominibus constitui existimaretur. Quod si diuturna pace interdum fiebat, ut omni terrore soluti nostri suorum aliquos consuetudine malorum uti, et a cultu virtutis deficere intuerentur; repente novae in ecclesiam tempestates oriebantur (1), quae ipsos, ut ad officium redirent,

an. 1711. mentio. „Propositus est, *inquit*, libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarent, se esse christianos, aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure, ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera christiani" (Non ergo hi fuerunt revera christiani) „Alii ab indice nominati, esse se christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. *Omnes* et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt, et ii Christo maledixerunt". Haec ille de Asiae minoris incolis christianis olim nomine, moribus autem ethnicis memoriae commendavit initio fere saeculi secundi. Atque eodem tempore mansisse in sententia maximam christianorum partem, ac pie, sancteque vivere consuesse, auctor est idem Plinius loco mox indicato pag. 630. „Visa est, *inquit*, mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis (sic ille religionem christianam vocabat) istius contagio pervagata est". Haec ille. Quod autem recte viverent, colligi facile ex iis, quae paullo ante dixerat, potest. „Adfirmabant (inquit pag. 629. illi, qui sie reverant Christum) hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem, seque sacramento, non in scelus aliquod, obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium etc.". Igitur innocentiam nostrorum hominum, non ii solum, qui lapsi in scelus idololatriae fuerant, Christoque turpiter maledixerant, sed etiam homo ethnicus, qualis erat Plinius, ad imperatorem inimicum christianorum scribens, testatem fecit. Quemadmodum vero Traiano, ita ceteris imperatoribus hostibus nominis christiani, qui nostrorum minus confirmati in fide, minusque bene instituti erant, a bonorum coetu seiungi solebant. Confer Dionysium alex. apud Euseb. *lib.* VI. *hist. cap.* XLI. *p.* 305. *seq. edit. Cantabr.*, quo loco de furore ethnicorum, cum Decius imperium obtineret, agit. Hinc efficiebatur, ut bonis, quin nulli fere essent corruptis moribus, ecclesia constitueretur. Quamquam est illud certum, atque exploratum, eorum aliquos, qui perverse, improbeque vixissent, cum capti, ductique ad supplicium religionis causa fuissent, pertulisse incredibili constantia cruciatus, martyresque migrasse in caelum. Id autem cum aliis multis documentis, tum actis Bonifacii martyris plane constat, quae extant apud Ruinartium *act. sincer. m. tom. edit. veron. an.* 1731. *p.* 249. *et seq.* Neque desunt eorum exempla, qui cum lapsi essent, tum eos sui sceleris poenituerit, accesserintque ad iudices, religionemque christianam profitentes, martyres decesserint. Namque huiusmodi rerum plenae sunt epistolae s. Cypriani, acta martyrum sincera, et reliqua vetera monumenta ecclesiae. Quid? si sedata tempestate, quae concitata in nostros ab infidelis fuisset, redire in ecclesiam permulti, detestari facinus, quod admiserant, atque referri in poenitentium numerum, vitamque agere deinceps sanctam solerent? Sed de his alias.

(1) S. Cyprianus *lib. de lapsis p.* 123. *edit. an.* 1682. „Quia, *inquit*, traditam divinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, et pene dixerim dormientem censura caelestis erexit. Studebant augendo patrimonio singuli, et obliti quid credentes aut sub apostolis fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubebant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium callidae fraudes, circumveniendis fratribus subdolae voluntates etc.". Eusebius quoque *lib.* VIII. *cap.* I. *pag.* 376. *edit. Cantabr.* „Cum, *inquit*, ex nimia libertate in negligentiam, ac desidiam prolapsi essemus, cum alter alteri invideret, atque obtrectare coepisset, cum inter nos, quasi bella intestina gereremus, verbis tamquam armis quibusdam, hastisque nos mutuo vulnerantes, cum antistites adversus antistites, populi in populos collisi iurgia, ac tumultus agitarent, denique cum fraus, et simulatio in plurimum malitiae adolevisset, tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc ecclesiae statu, et fidelium turbis libere convenienti-

non monebant solum, sed etiam impellebant. Ergo quae in otio, tranquillitateque interdum languebat, eadem in animis hominum non extinguebatur furore ethnicorum, sed confirmabatur virtus, atque religio. Quae cum ita essent, multitudinis equidem virtutes describendas putavi, non numeranda vitia paucorum. Si quis autem roget, quid fuerit, quod cum summos viros, atque in hisce disciplinis, doctrinisque versatos in distribuendis rebus, quae ad mores spectarent, imitari possem ; tum sequi methodum eorum, rationemque statuerim, qui neque numero, neque vetustate tanta valerent, is sic habeat : me, qui plane scirem, tria esse praecipua genera officiorum, ex quibus mores proficiscerentur, dividendum esse librum iudicasse in partes tres, quarum prior de moribus, qui ad Deum, altera de iis, qui ad ipsum hominem bene moratum, tertia denique de ceteris, qui ad alios referrentur, esset. Sed plura persequi non est necesse. Itaque veniam ad priorem partem, incipiamque de religione veterum christianorum disserere. De qua quidem virtute sic agam, nihil ut de ceremoniis, ritibusque sacris, quibus uti solebant, attingam, propterea quod intelligam reiici eam disputationem in opportuniorem locum posse.

* „ bus, sensim ac moderate in nos coepit animadvertere, orsa primum persecutione ab iis, qui militabant. Cum vero sensu omni destituti de placando „ Dei numine ne cogitaremus quidem ..... tum demum ..... obscuravit Dominus in ira sua filiam „ Sion etc. „ *Cap.* II. *pag.* 378. de eadem tempestate a Diocletiano in nostros commota loquens, nolle se, dicit, de iis, qui lapsi sunt, disceptare. Martyres solum, qui constiterunt, quique incredibilibus suppliciis sunt effecti, commemorat *pag. ead. et seq.*

PARS PRIMA

Sed erunt fortasse, qui scientes cognitionem rerum divinarum fundamentum esse illius virtutis, quam vocamus religionem, prius de scitis, decretisque christianis, quam de pietate in Deum, incredibilique maiorum nostrorum in fide servanda constantia dicendum pugnent. Quibus libenter equidem assentirer, nisi idem argumenti genus tractare constituissem in eo libro, qui erit de catechistis, catechumenis, deque symbolis, quibus praecipua doctrinae orthodoxae capita, sententiaeque continerentur. Itaque ferent, opinor, ut missis dogmatibus de Deo, de Christo servatore, de mysteriis, de iudicio, deque sempiternis et bonorum praemiis, et suppliciis impiorum, aggrediar de virtute veterum christianorum dicere, qua confirmati ita in fide manebant, ut quidvis esse perpeti satius, quam religionem deserere arbitrarentur.

CAPUT I.

DE STUDIO COLENDAE RELIGIONIS, QUO PRIMORUM TEMPORUM CHRISTIANI TENEBANTUR.

Igitur cum religio cultu, pietate, iustitia erga summum huius universitatis rerum conditorem, atque parentem Deum contineatur; haberi autem iusti, debitique honores divino numini nequeant ab iis, qui esse illi quidquam, quod in eam naturam non cadat, tribuendum putent; consequens est, ut sine recta, accurataque rerum divinarum cognitione, vera, atque sancta non modo non dari, sed ne cogitari quidem possit religio (1). Nam qui

(1) Iustinus martyr epist. ad Diognetum (scio esse aliquos, qui hanc esse Iustino tribuendam negent: sed cur ita sentiant, nulla est satis solida ratio) n. 12. *p.* 253. *edit. venetae an.* 1747., οὐδὲ γὰρ ζωὴ ἄνευ γνώσεως. *Neque enim vita*, inquit, *sine cognitione*. Vitae autem voce rectam institutionem significat. Quare subdit: „ Esto „ tibi cor cognitio, vita autem sermo verus, qui reci„ pitur; cuius lignum ferens, et fructum, percipies „ semper, quae apud Deum desiderantur, quae serpens non attingit, neque impostura se illi applicat, „ neque Eva corrumpitur, sed virgo creditur: et salutare ostenditur, et apostoli intelligentia instruun„ tur, et Domini pascha progreditur, et chori congre„ gantur, et decenter ordinantur „. Itaque in eo libro, qui λόγος παραινετικὸς *sermo cohortatorius* ad graecos inscribitur, *num.* 21. *pag.* 22. *eiusd. edit. opp.* „ Falsam de diis opinionem veluti quemdam morbum „ in animas hominum gravari „ scribit. Confer dialog. cum Tryphone iudaeo *num.* 1. *pag.* 106., eius *apolog.* I., *num.* 23. *p.* 58. *et seq.*, *et apolog.* II. *n.* 2. *p.* 91. *et seq.*, quo loco ostendit etiam exemplo, quemadmodum cognitio rectam secum ferat institutionem vitae. Adeundus

aut negat, quod proprium est Dei, convenire in Deum posse, aut concedit, tribui eidem quidpiam oportere, quod sit ab eius natura discrepans, is iniuriam illius maiestati facit, quacum iniuria qui iustitiam in Deum, et pietatem componere vellet, nae ille pugnantia coniungere conaretur. Ergo maiores nostri, quibus haec essent perspecta, quae sit vera de rebus divinis doctrina quaerendum in primis arbitrabantur. Cumque eam omnem novi veterisque testamenti libris, traditioneque (1) ecclesiarum comprehendi scirent, his legendis investigandisque diligentem operam navabant, ut cum ipsi recte instituti essent, docere non solum suos, sed etiam ethnicos valerent.

§. I.

De virtute pietateque christianorum ex eo profecta, quod esse ubique praesentem Deum cognoscerent.

Inde quod esse ubique Deum cognoscerent, quem unum colebant, eumque omnia quae fierent, dicerentur, cogitarentur, perspicere didicissent (2), sic continenter afficiebantur, ut (quasi

praeterea Tatianus assyrius Iustini discipulus *orat. contra graecos num.* 4. *p.* 260. *opp. s. Iustini edit. mox indicatae.* Vide etiam Athenagoram eiusdem saeculi secundi scriptorem *legatione pro christianis num.* 8. *seq., p.* 303. *seq. edit. eiusd. opp. Iustini*, Tertullianum *cap.* XI. *apolog. pag.* 120. *edit. Lugd. Batav. Havercampi*, Minuc. Fel. Octav. *pag.* 342. *edit. an.* 1672., Eusebium *lib.* XI. *praeparat. evang. cap.* III. *p.* 511. *edit. an.* 1423., Gregorium nazianzenum *orat.* III. *pag.* 107. *edit. Colon. an.* 1690., Theodoritum *serm.* XII. *therapeutices pag.* 662. *tom.* IV. *opp. edit. Paris. Sirm. an.* 1142. Mitto ceteros ne sim longus. Sed illustrem sane Lactantii Firmiani locum praeterire nullo modo possum. Namque is *lib.* III. *de falsa sapientia cap.* XII. *p.* 271. *edit. an.* 1660. ait „ Haec „ duo sunt, quae simul efficiant illud, quod quaeritur. „ Scientia id praestat, ut quomodo, et quo perveniendum sit, noverimus, virtus, ut perveniamus. Alterum „ sine altero nihil valet; ex scientia enim virtus, ex virtute summum bonum nascitur „. Consule *cap.* XI. et *lib.* IV. *instit. cap.* III. et IV., quo quidem postremo capite „ Non potest, *inquit*, religio a sapientia separari, nec „ sapientia a religione secerni. Quia idem Deus est, qui „ et intelligi debet, quod est sapientiae, et honorari, „ quod est religionis. Sed sapientia praecedit, religio „ sequitur. Quia prius est Deum scire, consequens colere „. Colitur autem cum aliis actionibus, tum virtute Deus.

(1) Commodum transferri in hunc locum Iustini martyris ex epistola ad Diognetum *num.* 11. *pag.* 235. *venetae edit. an.* 1747. verba possunt. Sic autem habent. „ Hic qui semper (Christus) hodie filius habitus, per „ quem ecclesia ditatur, et gratia expansa in sanctis „ incrementum accipit, praebens mentem, patefaciens „ mysteria, annuncians tempora, gaudens super fidelibus, quaerentibus donans, quibus limites fidei non „ perfringuntur, neque limites patrum transiliuntur. „ Deinde metus legis decantatur, et prophetarum gra„ tia cognoscitur, et evangeliorum fides stabilitur, et „ apostolorum traditio custoditur, et ecclesiae gratia „ exsultat, quam gratiam non relinquens, cognosces „ ea, de quibus sermo instruit, per quos vult, quando „ libuerit. Quaecumque enim voluntate iubentis verbi „ excitati sumus ad eloquendum, cum labore ex dilectio„ ne eorum, quae nobis revelata sunt nobis, cum (ethni„ cis) communicamus „. Sed de scripturarum libris, traditionibusque ecclesiarum erit alibi opportune dicendum.

(2) S. Clemens I. pontifex romanus *epist. ad corinth. num.* 21. *tom.* I. *collect. epistolar. romanor. pontif. edit. Constantii p.* 20. „ Videte dilecti, *inquit*, ne beneficia „ Dei, quae multa sunt, nobis in condemnationem

praesentem ipsum viderent, qui caste, integreque omnia, nihilque scelerate, nihil impie, nihil perverse agendum, cogitandumque praeciperet) a vitiis abstinerent, ac temperantiam, iustitiam, virtutesque ceteras, quibus praecipue coli Deum acceperant (1), consectarentur. Quod sane tam erat patens, ac manifestum, ut, ne ab inimicis quidem religionis christianae, revocari in dubium iure posset (2). Itaque patres, qui secundo, tertioque saeculis

„ cadent, nisi digne illo viventes, bona, et beneplacita in conspectu eius cum concordia fecerimus. Dicit enim alicubi, *spiritus Domini lucerna scrutans secreta ventris*. Consideremus quam prope sit, et quod ipsum nihil latet eum cogitationum, tum ratiocinationum, quas facimus. Aequum igitur est, ab eius „ voluntate nos non discedere „. Et num. 28. p. 93. Πάντων οὖν βλεπομένων, καὶ ἀκουομένων, φοβηθῶμεν αὐτόν, καὶ ἀπολείπωμεν φαύλων ἔργων μιαρὰς ἐπιθυμίας: *Cum igitur omnia videantur, et audiantur, timeamus eum, et relinquamus pravorum operum impuras cupiditates* &c. Confer Tertull. *de spectacul. cap.* xx. *p.* 84. *edit. an.* 1744.

(1) Athenagoras secundi saeculi scriptor, atque philosophus, qui cum christianus esset, christianorum defensionem susceperat, *in legat.* num. 31. *pag.* 329. *edit. venet. opp. Iustini*, ut imperatoribus, ceterisque ethnicis persuaderet, non esse reos criminum christianos, sic statuit: » Sed cum iis, quae cogitamus, quaeque » loquimur, Deum nocte, dieque adesse sciamus, eum» que perspicuum habeamus, cum totus lumen sit, ea » etiam, quae in cordibus nostris lateant, videre, hac» que hac vita liberatos aliam hac praestantiorem, ac » caelestem, non terrenam victuros », vel si aliorum » ruinis abripiamur, deteriorem, ac in ignis supplicio » victuros ... in his institutis verisimile non est, ut li» benter peccemus ». Et num. 32. *pag*, 330. « Neque » enim nobis ratio est cum humanis legibus, quas improbus quis etiam lateat (vobis autem initio demon» strabam doctrinam nostram a Deo traditam esse), sed » nobis sancita lex est, ut iustitiae mensuram ex no» bis, et ex proximis nostris diiudicemus etc. ». Confer Iustinum martyrum *apolog.* II. num. 12. *edit. monach. s. Mauri, et venetae p.* 100., Minucium Felicem in eo dialogo, qui Octavius inscribitur, *pag.* 317. *edit. Lugd. Batav. an.* 1672. Prudentius *cathemerin. hymn. matutino p.* 32. *edit. an.* 1625. ita scribit:

» Speculator adstat desuper,
» Qui nos diebus omnibus,
» Actusque nostros prospicit
» A luce prima in vesperum.
» Hic testis, hic est arbiter,
» Hic intuetur quidquid est,
» Humana quod mens concipit:
» Hunc nemo fallit iudicem,

(2) Colligitur id quidem ex epistola Plinii secundi, in primisque ex eo loco, quem paullo ante recitavi. Quod si reos alicuius sceleris esse nostros ethnici putassent, numquam eos passi fuissent impune in civitatibus versari, modo se christianos non esse dicerent. Qui enim hominem flagitiosum iudices abire sinant, si se talem esse neget, qualem accusatores contenderent? Annon interrogare primum, tum etiam tormentis subiicere ethnici maleficum solebant, ut veritatem extorquerent? Si ergo nostris, qui inficiarentur se esse christianos, liberam abeundi faciebant continuo potestatem, argumento est ita eos fuisse affectos, ut christianos nihil contra leges, bonosque mores agere arbitrarentur. Ac Plinius quidem epistola mox indicata ad Traianum cruciatas suo iussu mulieres duas, quae ministrae dicerentur, scribit, sed nihil tamen deprehendisse, quod contrarium esset rectae institutioni morum. Vide Tertullianum *apolog.* II. *pag.* 9. *seq. edit. venet. an.* 1744. *in fin. opp.* Ergo Iustinus martyr *apol.* I. n. 4. *p.* 45. *edit. venetae* » Nominis appellatione, *inquit*, nec » bonum, nec malum diiudicatur sine subiectis nomi» ni actionibus. Etenim quod ad nomen attinet, quo » appellamur, optimi sumus, sed quia aequum esse » non censemus, ut propter nomen, si mali esse ar» guamur, absolutionem petamus; rursum si nec ob » nominis appellationem, nec ob vivendi rationem » quidquam peccamus, vestrum est elaborare, ne ple» ctendis iniuste hominibus non convictis poenas iu» stitiae debeatis ... Nam quicumque coram vobis ac» cusantur, eos poena non afficitis, antequam convin» cantur. In nobis autem nomen argumenti loco su» mitis; quamvis quantum ad ipsum nomen attinet, » in eos potius, qui illud deferunt, animadvertere de» beretis. Accusamur enim, quod christiani simus; bo» num autem odio haberi, contra iustitiam est. Dein» de vero si quis ex his, qui accusantur, negatorem se » praebeat, verbo negans se esse christianum, dimitti» tis, tamquam nihil habentes, quod eum peccare ar» guatis ». Eodem spectant, quae persequitur Athenagoras *in legatione pro christianis num.* 2. *pag.* 298. *edit. venetae an.* 1747. Non discrepat Tertullianus *in apolog. cap.* II. *pag.* 10. *seq. edit. venetae an.* 1744. *in fin. opp.* » Solum, *inquit*, christianum, inquiri non licet, offerri » licet, quasi aliud esset actura inquisitio, quam oblationem. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit

floruerunt, cum diripi nostrorum aedes, eosque ad supplicium vocari cernerent, id sibi veluti rem certam, atque testatam sumebant, liberum esse oportere cuique eorum in civitate versari, qui non praedicarent modo virtutem, sed etiam colerent. Esse autem huiusmodi eos, qui Christo servatori suam obstrinxissent (1) fidem. Atque illos, qui cum essent dediti superstitioni deorum, omni turpitudine, ac sordibus vitiorum polluti erant; posteaquam christianam religionem professi sunt, ita voluntatem,

« requisitum, qui puto iam non ideo meruit poenam, « quia nocens est, sed quia non requirendus inventus « est. Itaque nec in illo ex forma iudicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis christianis ad negandum: cum, si malum esset, nos quidem negaremus, « vos vero confiteri tormentis compelleretis. Neque « enim ideo non putaretis requirenda quaestionibus « scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, sciente « homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi: quo perversius, cum praesumatis de « sceleribus nostris ex nominis confessione, cogitis tormentis de confessione decedere, ut negantes nomen, « pariter utique negemus et scelera, de quibus ex confessione nominis praesumpseratis. Sed opinor, non « vultis nos perire, quos pessimos creditis. Sic enim « soletis dicere homicidae. Nega: laniari iubetis sacrilegum, si confiteri perseveraverit. Si non ita agitis « circa nos nocentes, ergo nos innocentissimos iudicatis, cum quasi innocentissimos non vultis in ea confessione perseverare, quam necessitate, non iustitia « damnandam a vobis sciatis. Vociferatur, homo christianus sum. Quod est, dicit: tu vis audire quod « non est. Veritatis extorquendae praesides, de nobis « solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, « quod quaeris an sum. Quid me torques in perversum? Confiteor, et torques. Quid faceres, si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis: nobis, si negaverimus, statim creditis. « Suspecta sit vobis ista perversitas, ne quid vis lateat « in occulto, quae vos adversus formam, adversus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges ministret. Nisi enim fallor, leges malos erui iubent, non « abscondi, confessos damnari praescribunt, non absolvi ..... christianum hominem omnium scelerum « reum ... existimas, et cogis negare, ut absolvas .... « Vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem, et quidem invitum iam, nec de praeterito « reum. Unde ista perversitas? Ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, « quam per vim neganti; vel ne compulsus negare, « non ex fide negarit; at absolutus, ibidem post tribunal de vestra rideat aemulatione iterum christianus. Cum igitur in omnibus nos aliter disponitis, « quam ceteros nocentes, id unum contendentes, ut « de eo nomine excludamur ... intelligere potestis, non « scelus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quaedam ratio aemulae operationis insequitur, hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo, quod « se nescire certo sciunt. Ideo et credunt de nobis, « quae non probantur, et nolunt inquiri, ne probentur non esse, quae malunt credi esse, ut nomen illius aemulae rationis inimicum, praesumptis, non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur. « Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes etc. «. Confer *lib. ad Scapulam cap. iv. p. 70. edit. eiusd.*

(1) Iustinus martyr. *in exhortatorio sermone ad graecos n. 35. p. 32. edit. venetae an.* 1747. Οὐ γὰρ, inquit, ἐν λόγοις, ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα. *Non enim in verbis, sed in operibus res nostrae religionis* positae sunt. Atque hoc idem agit apologia I. et II. Athenagoras legat. *pro christianis cap. I. p.* 297. « Nos christianos, *inquit*, μηδὲν „ ἀδικοῦντας, ἀλλὰ καὶ πάντων, ὡς προϊόντος „ τοῦ λόγου δειχθήσεται, εὐσεβέστατα διακειμένους, καὶ δικαιότατα πρός τε τὸ θεῖον, „ καὶ τὴν ὑμετέραν βασιλείαν, *nihil agentes mali,* « *sed et omnium, ut orationis progressione intelligetis, sanctissime, et iustissime de Deo, et vestro regno sentientes* « rapi, et vexari sinitis » et *cap. XI. pag.* 306. « Apud « nos reperietis imperitos homines, opifices, et anus, « si minus verbis praestare possint eam, quae ex animi inductione proficiscitur, demonstrare, οὐ γὰρ „ λόγους διαμνημονεύουσιν, ἀλλὰ πράξεις ἀγαθὰς ἐπιδεικνύουσιν. *Non enim verba declamitant, sed* « *recte facta exhibent* «. Vide *cap. XXXI. seq. p. 329. seq.*, et Clementem alexandrinum *lib. I. stromateon num.* 20. *pag.* 376. *al* 319. *edit. oxoniensis*, Minucium Felicem *in Octavio pag.* 336. *seq. edit. an.* 1672., Origenem *lib. III. contra Celsum num.* 30. *edit. Paris. monach. s. Mauri etc.*, Iuliani apostatae testimonia apud Sozomenum *lib. v. cap. XVI. hist. pag.* 203. *edit. Cantabrig.*, et *epist.* XLIX. *p.* 429., *misopog. p.* 363., *epist.* LXIII. *p.* 453. *etc. edit. an.* 1629.

moresque immutasse, aiebant, ut suis civibus, qui eorum vivendi rationem cognoverant, maximam moverent admirationem (1). Haec vero qua tandem illi confidentia iactassent, qui caussam christiani nominis, defensionemque susceperant, nisi maximam christianorum partem talem esse cognossent, qualem ipsi esse confirmabant? Nam si res contra sese atque illi dixerant, habuisset, inventi continuo fuissent, qui illos ipsos impudenter mentiri contenderent. Ergo qui aliquid religioni praesidii quaesissent, iidem non minimam ei, quod falsum dicerent, attulissent partem incommodorum. Ac vim tantam ethnicorum, contemtis patriis ritibus, commodis, honoribus, divitiis, quibus fortasse, cum essent imbuti superstitione, circumfluebant; suspicari qui possumus, coniicere se in tot pericula voluisse, quibus nostros continenter premi, conflictarique viderent, ut eorum sacris initiarentur, quos etsi recte docere, maximo tamen numero (2) perverse vivere putarent? Quod si, nescio quae flagitia, improbi quidam homines a nostris clanculum patrari, in vulgus, calumnia usi, sparserant, ut incautos (3) a ritibus, institutisque nostris deterrerent; credibile non est, tot tantosque homines iisdem ceremoniis, sacrisque initiari curasse, qui plerosque christianos et vere, et palam peccare intuerentur? Concedendum est igitur nostrorum plurimos cum ob alias caussas, tum quod Deum esse ubique, habereque omnia, quae fierent, explorata, considerarent,

(1) Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone n. 111. *pag.* 216. » Signum, *inquit*, exhibebat sanguinis Christi, » per quem ex omnibus gentibus, qui olim moechi, et » iniqui erant, salvantur, remissionem peccatorum adepti, καὶ μηκέτι ἁμαρτάνοντες, *nec iam amplius* » *peccantes* ». Tertullianus *lib.* I. *ad nationes cap.* IV. *pag.* 45. *edit. venetae an.* 1744. » Aliquos retro ante hoc » nomen vagos, viles, improbos norant, emendatos repente, *ethnici*, mirantur, et tamen mirari, quam asse- » qui norunt ». Sed non est otium omnia patrum loca recensere, quae ad hanc rem pertinent.

(2) Ex quibus quidem moribus tam late propagata religio christiana fuerit, ostendit praeter ceteros Eusebius *lib.* III. *hist. cap.* XXXVII. *pag.* 133. *edit. Cantabrig.*, Tertullianus apologetici *cap.* I. *p.* 3. *edit.* modo laudatae, ethnicos christianorum hostes redarguens, » Testimonium ignorantiae est, *inquit*, quae iniquitatem » dum excusat, condemnat, cum omnes, qui retro ode- » rant, quia ignorabant, simul desinunt ignorare, ces- » sant et odisse. Ex his fiunt christiani, utique de » comperto, et incipiunt odisse, quod fuerant, et pro- » fiteri quod oderant, et sunt tanti, quanti et denotantur. Obsessam vociferantur civitatem, in agris, in » castellis, in insulis christianos, omnem sexum, aeta- » tem, conditionem, et iam dignitatem transgredi ad » hoc nomen, quasi detrimento moerent. Nec tamen » hoc ipso modo ad aestimationem alicuius latentis » boni promovent animos. Non licet rectius suspicari, » non libet propius experiri: hic tantum curiositas » humana torpescit: amant ignorare, cum alii gaudent » cognovisse ». Recte ad haec Tertulliani verba Havercampius animadvertit. » Ex multitudine hominum » undique ad veritatem confluentium, probari (a Tertulliano) non tam iniquam christianorum esse reli- » gionem, ac illi suspicarentur ».

(3) Athenagoras *in legatione num.* 31. *p.* 329. » Ad- » huc autem, *inquit*, et epulas, et concubitus nefandos » nobis affingunt, tum ut nos cum ratione odisse sibi » videantur; tum quod futurum existiment, ut vel me- » tu ab instituti constantia nos abducant ».

abstinuisse ab omni genere vitiorum, ostendisseque exemplo suo ad vitam recte instituendam plurimum posse religionem.

§. II.

Quod Deum infinita potestate, ac sapientia praestare, rebusque omnibus prospicere scirent, eumque iam sempiternam felicitatem bonis concessurum, perpetuisque suppliciis malos addicturum crederent, omnia ex eius voluntate facere, nihilque contra atque ab ipso praeceptum esset, moliri christiani veteres studebant.

1. Iam vero quem ratione, auctoritateque sacrorum bibliorum ubique esse, omniaque habere perspecta, eumdem huius universitatis rerum conditorem, atque (1) parentem Deum summa sapientia, ac potestate valere, rebusque omnibus prospicere, nulloque modo mentiri posse itelligebant. Cumque consequens hinc esse cognoscerent, praeter hunc unum, coli oportere neminem, ei

(1) Iustinus martyr *apologia* I. *num.* 13. *p.* 51. *edit. venetae.* « Quis sanae mentis homo non fateatur atheos nequaquam non esse, qui opificem huiusce universitatis colimus, eum nec sanguinis, nec libaminum, nec suffimentorum indigum esse, ut edocti sumus asserentes, sed verbis precationum, et gratiarum actionum habentibus, in his omnibus, quae offerimus, eum quantum possumus laudentes pro creationis beneficio, pro omnibus ad bonam valetudinem adiumentis, pro diversarum rerum qualitatibus ..... at propter fidem qua illi credimus, precibus eum orantes, ut incorruptorum fiamus, quippe eum hanc solam colendi rationem illo dignam esse edocti simus, quae ab eo ad alendum creata sunt non igne consumere, sed ad nostros, et pauperum usus afferre ». Similia pluribus in locis vir sanctissimus consectatur. Confer etiam Athenagoram *legation. pro christ. num.* 4. *pag.* 300. *eiusd. edit.*, Tatianum assyrium Iustini auditorem *oratione contra graecos num.* 4. *seq. edit. eiusd. p.* 260. *seq.*, Theophilum antiochenum *lib.* I. *ad Autolicum num.* 3. *pag.* 361. *seq. eiusd. edit.*, acta sancti Symphoriani martyris, qui anno circiter 180. obiit, apud Ruinartium *act. sinc. ar. num. p.* 69., acta mm. scillitanorum apud eumdem *pag.* 74. *seq.*, Clementem alexandrinum *lib.* VII. *stromateon p.* 701. *seq. edit. Paris. an.* 1641., Tertullianum apolog. *cap.* XXI. *p.* 16. *seq. edit. venet. an.* 1744., *et lib. de poenit. cap.* I. *p.* 120. Multa in eamdem sententiam disputant Minucius Felix, Arnobius, Lactantius etc. quorum testimonia ne sim longus praetereo. Iam vero de summa potestate nullum dubium est, quin ita christiani senserint, ut est a nobis constitutum. Sed omnia loca numerare plenum molestiae opus esset. Itaque missis ceteris, hoc uno Clementis alexandrini, quod est in septimo stromateon lib. loc. mox. indicato, utar « Is ergo, *inquit*, cui persuasum fuerit Deum esse παντοκράτορα, *omnipotentem*, et divina mysteria didicerit a filio eius unigenito, quemadmodum erit is ἄθεος, *impius* ?.... Fides ergo est nosse Deum, quae est prima post fiduciam doctrinae Servatoris, nullo modo iniusta facere, idque existimare decere Dei agnitionem ». Atque ubi de hoc cognitionis genere copiose dixit, tum pag. 707. « Pius ergo est, *inquit*, ac religiosus is, qui est cognitione praeditus. Is quippe primo quidem sui curam gerit, deinde proximorum, ut fiant optimi etc. ». Quod ad sapientiam, providentiamque attinet, vide Tertullianum *apologet. cap.* XVIII. *p.* 17. *edit. eiusd.*, Athenagor. *legat. num.* 31. et *num.* 25., *et lib. de resurrection. mortuor. n.* 18. Ac Deum, qui se gloriam bonis, et supplicia malis parasse dixerat, certo norant mentiri nullo modo posse. Adeundus Clemens romanus *epist. ad corinthios* I. *num.* 27. *p.* 22. *edit. Constantii*, ubi, « Hac igitur spe, *inquit*, animi nostri ad eum adstringantur, qui in promissis fidelis est, et in iudiciis iustus, qui ne mentiamur praecipit, multo magis ipse non mentietur. Nihil quippe Deo ἀδύνατον, *impossibile*, praeter quam mentiri ».

soli (1) honores precesque adhibebant, ceteros autem, quos in diis ethnici ponere solebant, aut nullos fuisse arbitrabantur, aut si qui umquam vixerunt, indignos esse putabant hoc tanto (2) nomine. Atque cultum sane, quoniam pura mente, vitaeque potissimum innocentia contineri videbant, id omni ope enitebantur, ut nihil iniuste, nihil turpiter, sed omnia iuste, honeste, beneque agerent (3).

2. Eoque magis in sententia confirmabantur, quod sibi persuasissent, stabilem, atque perennem felicitatem bonis; improbis vero (4) supplicia, quae numquam desinant, parasse Deum. Qua quidem praemiorum suppliciorumque cogitatione fiebat, ut nullis sese criminibus implicarent, et ad virtutis studium incredibilem in modum incitarentur. Ergo cum ethnici nefarios concubitus nostris, coenasque plenas impudicitiae, atque sceleris exprobrarent, tum maiores nostri conquerebantur, innocentibus iniuriam fieri, qui spe praemii bene viverent, metuque iudicii, atque (5) poenarum non peccatum modo, sed etiam peccandi periculum vitarent. Utque ostenderent quanto in errore, quantaque in pravitate opinionum hostes christiani nominis versarentur, eorum exempla proponere (6) consueverant, qui cum ante improbi in

(1) Vide mox recitatum Iustini locum.

(2) Plena sunt huiusmodi rerum Iustini, Athenagorae, Tatiani, Clementis, Theophili, Tertulliani, Minucii, Cypriani, Arnobii, Lactantii, ceterorumque patrum opera, ut loca, quibus continentur indicare, non sit necesse.

(3) Confer Iustini testimonium modo indicatum, et Athenagorae *legationem* n. 13. *p.* 308. Minucius Felix in Octavio, ut ostenderet, quibus modis christiani Deum colere solerent, *p.* 314. *edit. an.* 1672. sic habet: « Hostias, et victimas Domino offeram, quas in usum meum protulit, ut reiiciam ei suum munus? ingratum est: cum sit litabilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui iustitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo subripit, opimam victimam caedit. Haec nostra sacrificia, haec Dei sacra sunt, sic apud nos religiosior est ille, qui iustior etc. ». Vide Tertullian. *cap.* XVII. *seq. apolog. p.* 63. *edit. venet. in fine.*

(4) Consule Iustin. mart. *apolog.* I. n. 44. *pag.* 72. *edit. venet. an.* 1747., Athenagoras *legat.* n. 31. *p.* 329., ut quae esset vita christianorum evinceret, sic statuit: « Si hanc tantum vitam nos victuros crederemus; tum sane locus esset suspicandi, nos carni, et sanguini inservientes, vel avaritiae, aut cupiditate victos peccare; sed cum iis, quae cogitamus, quaeque loquimur, Deum nocte, dieque adesse sciamus, eumque persuasum habeamus, cum totus lumen sit, ea etiam, quae in cordibus nostris latent, videre; eosque hac vita liberatos aliam ista praestantiorem, ac caelestem, non terrenam victuros, ... vel si aliorum culmis abripiamur, deteriorem, ac in ignis supplicio victuros, ... in his institutis verisimile non est, ut libenter peccemus, eosque magno iudici puniendos tradamus ». Confer Tertullianum *apolog. cap.* XVIII. *pag.* 65. *edit. venet. an.* 1744. *in fine, et cap.* XLI. *p.* 131. *seq., et cap.* XLV. *p.* 140. ubi « Enim vero, *inquit*, nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique aeternam ab eo poenam providemus, merito soli innocentiae occurrimus, et pro scientiae plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni; eum timentes, quem timere debebit et ipse, qui timentes iudicat, Deum, non proconsulem timemus »: et *cap.* XLIX. *p.* 160.

(5) Vide mox recitatum Athenagorae locum.

(6) Confer Tertullianum contra Scapulam *cap.* IV., et *ad nationes p.* 71. *cap.* IV. *p.* 43., *apol. cap.* XXXIX. *p.* 34. *seq.*, Origenem *lib.* III. *contra Celsum* n. 66. *tom.* I. *opp. edit. paris. monachor. s. Mauri*, et n. 37. et n. 65., ubi dicit: « Si qua par est aequitate coetus noster considere-

primis, sceleratique haberentur, et essent; tum christiani facti, mores suos ad virtutem, sanctitatemque exigere solerent. Horum autem etsi plurima sunt in promtu, tamen, quod breves esse studeamus, illo, cuius est ab Iustino martyre in apologia secunda facta mentio, exemplo erimus contenti uno. Marco Aurelio imperatore populi romani, mulier erat Romae impudicis, sordidis, turpissimis moribus. Hanc nescio qui perditus, ac profusus homo uxorem duxerat. Quum sic una aliquamdiu mansissent, ut dignosci vix posset uxor ne maritum, an maritus uxorem improbitate superaret; factum tandem est, ut mulier forte fortuna in Ptolemaeum hominem christianum incideret (1). Is ut animadvertit impetrari oratione posse, ut ea finem errandi, peccandique faceret, eidem quid de Christo Deo credere quemque necesse sit, quae castos, pios, innocentes praemia, quique cruciatus improbos maneant (2) explicavit. Monuit, sibi ut ipsa prospiceret. Caveret, ne voluptati, ac libidini parendo sese perpetuo iret perditam. Daret se pudori, ac temperantiae. Id si faceret, sciret fore, ut immortalem in caelo gloriam adipisceretur. Ea, ut audivit, respexit sese, et qua in turpitudine vitae, quanto cum periculo, fuerit, cogitavit, scelerum poenitens, promisit salutem suam deinceps sibi curae futuram. Igitur pudice, beneque vivere, continere se domi, hortarique maritum coepit, ut suum exemplum imitari vellet. Ne putaret salvum quemquam illis moribus esse posse. Nam qui sic viverent, hi cum vita frui meliore viderentur, tum sibi maxime parabant poenam, cruciatum, interitum sempiternum. Ergo quam olim flagitiorum, eamdem tum modestiae, continentiae, virtutis sociam habere ne gravaretur. Quod si peccare nihilominus pergeret, nosset, se christianam mulierem cum ethnico viro manere nolle, qui tantam licentiam, libertatemque vivendi sibi praecidere recusaret. Sed quum neque hor-

» tur, plures ibi videre est, qui a vita non admodum in-
» ordinata, quam qui a flagitiosa conversi fuerint. Sic
» enim natura comparatum est, ut qui vitae melius
» actae sibi conscii sunt, quum cupiant vera esse, quae
» de mercede a Deo bonis tribuenda praedicantur, promptius consensum dictis praebeant, quam qui omnino
» male vixerint »: tum subdit num. 86. « Apud nos memorentur quidam usque adeo immutati, ut digni fuerint, qui pro exemplo optimae vitae proponerentur »: et *lib.* 2. *n.* 9. At ceteros recensere mitto.

(1) Iust. *apolog.* II. n. 2. *p.* 92. *edit. venet.* an. 1747.

(2) Nisi enim mulier his momentis permota fuisset ad Christi doctrinam colendam, quemadmodum his usa fuisset, ut maritum ab improbitate deterreret? Eo enim in loco Iustinus sic scribit: « Sed postquam Christi doctrinam cognovit, ipsa ad meliorem frugem se recepit, et viro, ut similiter sese colligeret, persuadere conata est, christianam illam doctrinam exponens, et futura his, qui libidinose, ac praeter rectam rationem vixerint, in aeterno igne supplicia denuncians ».

tatu, neque minis reducere ad bonam frugem hominem valuisset, abeundum sibi domo, atque in alias aedes demigrandum putavit, ubi leges, quae essent a Christo latae, diligenter, sancteque coleret. Vir iratus, atque aegre ferens, nomen uxoris de violata religione deferre constituit. Quare mulieri dictus est dies. Illa etsi mori Christi caussa optabat, tamen antequam in iudicium veniret, libellum obtulit imperatori, petiitque, ut sibi, rebusque suis domesticis prospicere liceret. Maritus, quod impetrasse uxorem, quae petierat, libereque christianis sacris interesse, pietatemque colere, ereptamque sibi esse eius interficiendae potestatem videret; Ptolemaeum, de quo paullo ante diximus, apud iudicem accusavit, quod christianus cum esset, eam nostris mysteriis imbuisset, induxissetque, ut sese desereret, aliamque vitae institutionem consectaretur. Urbicus, nam hoc iudici nomen erat, Ptolemaeum ad se evocavit, atque ubi hominem vitae sempiternae, quam Christus suis promiserat, desiderio ductum, persistere in sententia, atque omnia cruciatuum exempla experiri, quam veram religionem eiurare malle animadvertit, duci eum ad destinatum supplicio locum, atque interfici praecepit (1). Tanta scilicet doctrinae christianae, divinique auxilii virtus est, ut immutare mortalium voluntates, efficereque, ut qui diu in coeno, ac sordibus scelerum iacuissent, emergere inde repente, vitamque ducere innoxiam, mortemque fortiter pro tuenda veritate obire possint (2).

(1) Nam ii martyres, quorum ibidem Iustinus meminit pag. 92. « Gratias agebant quod scirent, se ab improbis eiusmodi liberari, et ad patrem, ac regem caelorum proficisci ».

(2) Confer Paulum apostolum *epist. ad Titum c. III. v. 3. seq.* Recte Lactantius *lib. III. divinarum institutionum cap. XXVI. p. 259. novae edit. paris.* « Dei praecepta, quia et simplicia, et vera sunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus, paucissimis Dei verbis,

Tam placidum, quam ovem reddam.

Da cupidum, avarum, tenacem; iam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis: iam cruces, et ignes, et taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, et sanguinis appetentem; iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem, continuo et aequus, et prudens, et innocens erit. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinae sapientiae vis est etc. ». Similia ante scripserat Clemens alexandrinum *admonit. ad gentes p. 5. edit. paris. an.* 1641. Atque haec de doctrinae generatim dicta sunto. Nam quod attinet ad decretum religionis christianae de regno caelesti bonis dando, deque sempiterno malorum cruciatu, confer epistolam ecclesiae smyrnensis de Polycarpi martyrio apud Eusebium *lib. IV. cap. XV. hist.*, et apud Ruinartium *act. ss. mm. sinc. p. 33. edit. veron. seq.*, acta Iustini martyris apud Ruinart. *p.* 50. *n.* 4., acta ss. mm. Epipodii, et Alexandri apud eumdem *p.* 65. *n.* 5., qui martyres passi an. 178. fuerunt. « Pietas iudicis, *inquit Epipodius*, crudelitas est, vobiscum (ethnicis) vivere mors est aeterna. Ceterum a vobis perire gloriosum est ... Nos pro anima adversus corpus bella suscipimus,

§. III.

De symbolis, quibus veteres christiani decreta suae religionis exprimere solebant, ut ne illorum memoria umquam exciderent, utque incitarentur ad colendam custodiendamque virtutem.

1. Doctrinam praeterea, quam aut lectione, aut auditu didicerant, litteris plerumque, interdum autem symbolis exprimebant (quae sane symbola picturis, sculpturisve adumbrata, cum aliis in locis, tum in coemeteriis potissimum inveniuntur), ut earum imaginum ope (1) mysteria religionis, resque a Christo servatore gestas in memoriam revocarent, incenderentur amore divinarum rerum, atque ad fidem servandam incitarentur. Quamobrem decreta (2) religionis de Deo uno, Deo Patre, Deo Filio, Spiritu-

» um pro anima adversus vitia dimicamus; vobis deus » venter est, et in morem pecudum, post ingluviem prodigam, finem vitae praesentis, mortis indicatis occasum. Ceterum nos quicumque vobis persequentibus » interimus, dum nos temporalia deserimus, vitam ingredimur aeternitatis ». Vide pag. 66. acta s. Symphoriani, qui martyr decessit an. 180. apud eumdem *p.* 69. n. 3., et *p.* 70. n. 6., acta ss. mm. scillitanorum an. 200. *p.* 75. n. 3. apud eumdem., acta s. Potamienae an. 210. apud Euseb. *lib.* VI. *cap.* I. *seq.*, et apud Ruinart. *ibid. p.* 102. n. 7., acta s. Pionii *ibid. p.*121. n. 7., acta s. Maximi martyris an. 150. apud eumdem *p.* 133. n. 2., acta ss. mm. Petri, Andreae, Pauli etc. *pag.* 135. n. 3. *apud eumdem*, ss. Respicii, et Tryphonii *pag.* 239. n. 4., ss. Luciani, et Marciani *pag.* 142. *seq.* n. 6. *seq.*, ss. Iacobi, et Mariani *p.* 198. n. 8., ss Montani, et Lucii n. 10. *p.* 203., s. Nicephori, qui obiit circa an. 260., *p.* 210. *seq.*, s. Cyrilli pueri n. 3. *pag.* 214., ss. Claudii, Asterii etc. *p.* 235. n. 4., ss. Victoris etc. n. 12. *p.* 261. Quid multis opus est? si non amorem modo, quo in Deum ferebantur, sed hanc etiam de praemiis persuasionem induxisse martyres, christianosque ceteros, ut vitam degerent castam, integram, virtutisque plenam, alacriterque pro christianae doctrinae veritate certarent, constat?


(1) Clemens alexandrinus in paedagogo *lib.* III. *cap.* XI. *p.* 247. *edit. paris. an.* 1641. quo loco de annulis a christiano viro ferendis agit, animadvertit, si annulo insculpta sit imago piscatoris, reminisci christianos debere ἀποστόλου, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων, *apostoli, et puerorum qui ex aqua extrahuntur*. Vide reliqua veterum testimonia, quae ad hanc rem illustrandam collegit Aringhus *lib.* V. *cap.* IV. *seq. Romae subterraneae pag.* 452. *seq. edit. rom. an.* 1651. Sed is auctor nonnulla apocrypha consectatur. Confer etiam Philippum Bonarrotium *osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' cimiterii di Roma, in praefat. p.* 2. *edit. florent. an.*1716.

(2) Iam hoc omnes norunt fundamentum esse religionis christianae, ut praeter unum, nullum alium esse Deum colendum statuat. Quod dogma christiani veteres lapidibus insculpi curabant. Huius generis epigrammata perplura reperies apud Boldettum, Aringhum, Lupium, Muratorium, Gruterum, Fabrettum, Marangonum, aliosque, qui in veteribus christianorum monumentis colligendis diligentem operam collocarunt. Itaque singulare est semper in inscriptionibus vere christianis nomen Dei. In patavino lapide apud Muratorium *tom.* IV. inscriptionum p. 1585.


HILARI VIVAS
IN DEO ☧
HERACLIAE COMPA
RI SVAE BENEME
RENTI FECIT QVE VI
XIT ANN XXI. IN PA
CE LIBERI VIVAS IN
☧

Altera est insignis inscriptio, quam nos in schedis Iani


1.



2.



3.



que sancto, qui unus quidem est in tribus personis (1) Deus,

Nicii Erithraei, hoc est Iohannis Victorii Rubei clar. viri, quae servantur in aede pp. praed. ad montem Marianum, et edita est ab Aringho, tum a Fabretto *cap.* VIII. *inscript. p.* 565. *edit. rom. an.* 1699., deinde a Muratorio *inscript. tom.* IV. *pag.* 1905. quam vide fig. 3. tabulae, quam pag. seq. apponi curavi. Sic autem habet: DEO SANCTO ☧ VNI. Tertia apud Boldettum extat *lib.* II. *cap.* I. *p.* 456., quae est huiusmodi. CASSVS VITALIO QVI VIXIT ANN. LVIII. M. XI. DIES X. BENME. FIL. FECERVNT IN PACI QVI IN VNV DEV CREDEDIT IN PACE ☧. Iohannes Mabillonius vir eruditissimus, quod in quibusdam coemeterialibus lapidibus legimus D. M., hoc de diis manibus intelligi oportere putat, *itiner. italic. num.* 20. *pag.* 71. *edit. an.* 1724. Cuius rei hanc affert caussam, quod crede adhuc quorundam in cordibus christiana religio aliquid de paganici ritus superstitione retinebat. Vide eius *epist. de cultu sanctorum ignotor.* §. V. *pag.* 649. *praefat.*, *et dissert. mabill. edit. tridentinae an.* 1724. Raphael Fabrettus vir in hoc genere clarissimus τὸ D. M., et τὸ D. MA. SACRVM, quod legitur in monumento Leopardi, legendum DEO. MAGNO . SACRVM. monet *inscript. cap.* VIII. *pag.* 564. Confirmat suam sententiam epigrammate, quod servatur Veronae in aedibus comitis Iusti, quodque christianum esse multis ostendit Scipio Maffeius, vir in hoc genere eruditissimus, *mus. veron. p.* 178.

DEO . MAG.
NO ET ETERN
O. L. STATIVS DI
ODORVS QVOT
SE PRECIBVS
COMPOTEM FECISSET
V. S. L. M.

Cum haec Mabillonius legisset, non repugnare se dixit, quo minus vera sit Fabretti opinio *de cult. ss. ignot.* n. 20. *p.* 649. Ludovicus Antonius Muratorius *inscript. tom.* IV. *pag.* 1875., quo loco affert epigramma, quod in coemeterio Praetextati repertum est,

D. M.
GAVDENTIO FILIO
MATER . FECIT . D. P.
PRI. KAL. DEC. IN PACE

scribit hoc modo: *Et his habes D. M. formulam ethnicam, quamquam christiano homini positus fuerit titulus*: et *pag.* 1901., ubi refert inscriptionem inventam in coemeterio s. Saturnini ex Marangonio,

D. M.
LEONTIAE
CONIVGI
AVXANON MA
RITVS FECIT DI
POSITA XII. KA.
AVG.

dubitat legi ne DEO MAGNO, an DIS MANIBVS debeat. Nam Marangonium Fabretto assentiectem primum velle, alterum Mabillonium; quia animadverterit hunc postremum Fabretti auctoritate, atque argumentis permotum, in sententia obstinate minime mansisse. Et pag. 1909., quo loco describit monumentum Maximiani militis τὸ D. M. fortasse legendum esse *Deo magno* existimat. Boldettus DEO . MAGNO, vel MAXIMO legi oportere statuit τὸ D. M., sicubi in christianis inscriptionibus reperiatur. *Osserv. sopra i cimiterii lib.* I. *cap.* XXIV. *p.* 125., *et lib.* II. *cap.* II. *p.* 438. *seq.*, ibique iam varias numerat inscriptiones in coemeteriis repertas, in quibus litteras D. M. visuntur. Confer clarissimum Lupium *soc.* I. *monum. s. Severae p.* 37. Mea sic est ratio, si τὸ D. M. pro DEO . MAGNO, vel MAXIMO usurpari possit, ut hoc sensu patem a christianis adhibitum; cur enim *dis manibus* scripsissent, et non DEO MAGNO, qui nullos esse *deos manes* credebant, pugnabantque unum tantum DEVM, eumque MAGNVM, immo MAXIMVM esse, colique oportere? Quum igitur τὸ D. M. pro DEO MAGNO intelligi possit, ut Statii Diodori monumento mox relato constat, sequitur, ut hoc sensu a nostris fuerit usurpatum.

(1) Quid? si in inscriptione Herculis, quam exhibet *ibid. p.* 463. Boldettus ex Alexandro, τὸ D. M. pro DEO MAGNO, vel MAXIMO sit sumendum, cum in Christum cadat?

HERCVLI . INNOCENTI
IN . DM. XP̄.
QVI . VIXI . AN. III. M. VIII. D. XXIII.
IANVARIA . ALVMNO . BENEMER.
IN . PACE.

Erunt fortasse, qui in DOMINO CHRISTO legendum iudicent, cum et τὸ *in Domino Iesu* plerumque in veteribus monumentis reperiamus. Sed nescio an τὸ DM. solum, quin linea ulla imposita litteris sit, *Dominum* indicare posset. Est illud praeterea exploratum, nihil magis reprehendisse primorum temporum christianos, quam eorum mores, qui ne cogitarent quidem τὸ *mehercule*, et τὸ *mecastor*, aliaque his similia ethnica vocabula usurparent, ut post videbimus, ubi de iureiurando instituetur sermo. Quare non est credibile, passim eos permisisse, ut eorum manium mentio in

Christo sancto, Domino (1), Deo, atque homine, *qui sedet ad*

inscriptionibus sepulcralibus suorum fieret. Quod si christianis ethnicorum titulos aut pretio, aut alia quapiam ratione sibi parabant, et suis loculis coemeterialibus claudendis applicabant propriis nominibus insculptis, et profanorum absconditis, aut abrasis, vel etiam relictis, ut est a Fabretto pag. 307., et a Bonarrotio *osserv. sopra alcuni vetri ec. tab.* xxiv. *p.* 167. animadversum, non est tamen consequens, si deletum τὸ D. M. non est, eo sensu fuisse vulgo a nostris usurpatum, quod ab ethnicis intelligi consuerat. Negari nihilominus non potest, quin perraro τὸ DIS MANIBVS christiani adhibuerint, qui permoti inextinctae gentilitatis phrasibus, poetico praesertim stilo aliqua inconsiderate potius, quam impie scribebant, quae adultae iam verae religionis temporibus resecata sunt; ut sapienter scribit Fabrettus *cap.* III. n. 1. *inscript.* At non versu tantum, quod *ibid.* observat Fabrettus, sed etiam soluta oratione usi, in epitaphiis interdum christiani integrum τὸ DIS . MANIBVS. usurparunt, non quo crederent ullos esse manes deos, sed levitate, atque oscitantia, eo plane modo, quo nunc temporis τὸ *mehercule* permulti adhibent, qui certe dari Herculem deum negant. Constat ex lapide, quem in coemeterio s. Sebastiani repertum refert doctissimus Lupius *diss. de monum. s. Severae p.* 105., ex eoque Dominicus Georgius *de monogr. Christi p.* 52.

DIS MANIBVS PRINCI
PIO FILIO DVLCISSIMO SVO PO
SVIT QVI VIXIT ANNIS VI. DIES
XXVII. IN PACAE

Atque hanc inscriptionem christianam esse, testata res est, idque iam confirmat τὸ *in pace*, quae vox apud ethnicos in usu non erat. Verum aliquos lapides sepulcrales ethnicorum in coemeteria fuisse importatos, quin deleta fuerint nomina, quae iisdem erant insculpta, constat: Confer Bonarrotium *loc. cit. p.* 167. *edit. flor.* an. 1716. Itaque non defuturos aliquos arbitror, qui haece duas inscriptiones in coemeteriis repertas, huius esse generis suspicentur. Altera hactenus inedita, quam nobis ostendit illustrissimus Merenda s. d. n. sacrista, sic habet.


D. M.
TERENTIAE THREPE
TERENTIA SELICIA
NVTRICI LACTARIAE

Altera inventa in coemeterio Pontiani, et publicata a Boldetto *ib. p.* 462.

Θ. K.
ΑΙΛΑ ΒΕΡΟΝΕΙΚΗ
ΘΕΥΔΙΑΝΟϹ ΘΑΝΗΡ·
ΤΟ ΜΝΗΜΙΟΝ ΕΣΗΙ
ΤΙϹΑ ΕΚ ΤωΝ ΙΔΙ
ωΝ ΖΗϹΑ ΕΤΗ
K. Γ.

Scio a Boldetto τὸ Θ. K. legi θεῷ καλλίστῳ, *Deo optimo*, vertique proinde in D. O. vel θεῷ κτίστῃ *Deo creatori*, ut suspicatus Lupius est *monum. s. Severae p.* 11. Sed vereor, ne exemplis careat. Igitur alii legent θεοῖς καταχθονίοις, *diis inferis Aelias Veroniana Theudianus vir monumentum posuit ex propriis, quae vixit ann.* 23. Sed de uno Deo a christianis cognito satis dictum esto.

(1) De Deo Patre, Deo Filio, et Spiritu s. confer inscriptionem apud Aringhum *tom.* I. *Romae subterr. pag.* 410. Sic etiam intelligendum est τὸ ΙΧΘΥΣΝ. Litterae enim initiales horum verborum exhibent ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΝΙΚΑ, *Iesus Christus Dei filius salvator vincit.* Vide quae dixi *tom.* I. huius operis p. 59. Inscriptio autem, quam ibidem indicavi, sic habet apud Bonarrotium, quam *ibid.* citavi,




7
9
5
4
2
ΧΘΥΣ
A
C
6
11
1
8
3
10

dexteram Patris, de pace cum (1) ecclesia colenda, de requie *in Deo*, *in Christo*, *in sanctis* (2), deque sempiterna felicitate,

et apud Boldettum, qui eam diligentius exscripsit. *Postumius Eutherius. fidelis, qui gratia sancta consecutus pridie natali suo serotina hora reddit debitum vitae suae, qui vixit annis sex, et depositus quinto idus Iulias, die Iovis, quo et natus est, cuius animam cum sanctos in pace, filio benemerenti Postumi Felicissimus, et Laiskenia et Festa avia ipsoius.* Neque vero lapidibus solum, sed etiam gemmis, eiusmodi litteras inscribebant, ut videri potest *tab.* 2. *fig.* 2. 8., at in ectypo eius gemmae, quae servatur in museo eruditissimi viri commendatoris Victorii, quod nos ectypon exhiberi curavimus *tom.* I. *huius operis p.* 427. Quid? si pisces cum annularibus lapidibus insculperent, scribere solerent ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ *Iesus Christus*, propterea quod piscis dici soleat ΙΧΘΥΣ a graecis? Atque vide *tom.* I. *huius operis pag.* 60. *post indicem capit.*, quo loco exhibetur altera gemma musei Victorii. Hisce symbolis Υ. Θ. Deum Patrem, ac Filium in memoriam revocabant. Iam ad Christum Deum sanctum pertinet monumentum, quod ex schedis Iohannis Victorii Rubei supra attuli, quod ante Fabrettum, et Muratorium ediderat Aringhus *tom.* II. *Romae subterr. p.* 21.

DEO SANC ☧ VNI
LVCI TECVM PACE

Etenim quis nesciat τὸ ☧ Christum indicare? Ita fit, ut in inscriptione vetere apud Aringhum *tom.* I. *p.* 410. haec legantur DOM. NOSTRI IESV ☧ FILII ex qua re cognoscitur τὸ ☧ *Christum* esse legendum. Atque eos in tribus personis unum esse Deum credidisse, quemadmodum insculpi lapidibus curarent *Deo sancto Christo uni?* De Spiritu sancto, ut alia praetermittam, hoc unum adduci potest, quod extat apud Boldettum p. 419., et Lupium *monum.* S. *Sever. p.*166.

HI SPIRITO SAN. MARCIANETI
CARISSIME COIVGI QVE VIXIT
ANNIS XXX.

Sed de hoc christianae religionis decreto agam opportune in eo libro, qui erit de catechistis, et catechumenis.

(1) A ☧ Ω
PATRI ET MATRI LEONI ET MA
XIMILIANETI. LEOPARDVS. FILI
VS BENE . MERENTIBVS . IN XPO
SANCTO FECIT . PATER . DEP. VI
IDVS . IAN.

Apud Boldettum *lib.* II. *cap.* III. *pag.* 343. Maximianeti legit Lupius *monum.* S. *Severae p.* 158., marmorque inventum scribit in coemeterio Cyriacae an. 1724. Rursum apud Boldettum *lib.* I. *cap.* XL. *p.* 266. ex Grutero, et Scaccho, et Aringho *Rom. subterr. tom.* II. *p.* 262.

REGINA VIBAS
IN DOMINO
ZESV

Treveris extat inscriptio huiusmodi, quam exscripsit, et ad Muratorium misit Bimardus, *Murat. tom.* IV. *inscript. pag.* 1923. Extatque apud Martenium *itiner. litterar. par.* II. *p.* 284., et Georgium *ibid. p.* 20.

HIC IACET PERPETVVS IN CHRISTO
DEO SVO PERBENEMERITVS
QVI VIXIT ANNOS XXV
LEONTIA MATER TITVLVM POSVIT IN PACE

A ☧ Ω

Praeclarum quoque est epigramma sepulcrale, quod visitur in museo kircheriano Romae in aedibus collegii romani soc. I. Quodque refert et Georgius p. 19.

ΕΡμΛΕΙΣΚΕ ΦΩΣ
ΣΗC ΕΝ ΘΕω ΚΥΡΕΙ
ω ΧΡΕΙCΤω. etc.

Mercuriola lux vivis in Deo domino Christo, apud Lupium p. 161. In coemeterio Priscillae inventus est lapis, cui hoc erat insculptum epigramma. Vide Boldettum *osserv. sopra i cimiteri* ec. *lib.* I. *cap.* XV. *p.* 58., et Muratorium *tom.* IV. *p.* 915.

Ο ΘΕΟC ο ΚΑΘΗΜΕΝΟC
ΙC ΟΕΖΙΑ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟC
ΙC ΤΟΠΟΝ ΑΓΙωΝ COΥ
ΝΕΚΤΑΡΕΟΥ Το ΨΥΧΑ
ΡΙΝ ΝΕΓΡΑΨΕ

Deus, qui sedes ad dexteram Patris scribe in locum sanctorum tuorum animulam Nectarei. Iam longus essem, si omnes inscriptiones, quae huc spectant, recensere vellem.

(2) Sepulcris veterum christianorum saepe haec leguntur insculpta: *in pace.* Tab. 1. supra relata fig. 3.

CONSTANTI IN PACE
CESQVE

hoc est *Constanti in pace quiesce.* Confer Boldettum *lib.* II. *cap.* VI. *p.* 395. *et seq.*, qui multa eiusdem monumenta describit, quae sic habent: *Quiesce in pace, dormit pace,*

immortalitate, ac reditu eorum in longe praestantiorem vitam (1),

dormienti in pacem, in pace, exiit in pace, deposita, vel *depositus in pace, pausat in pace, receptus in pace, vivit in pace, reddit in pace, manet in pace, exit in pace etc.* Atque huiusmodi quidem innumerabilia pene reperire licet apud Muratorium, Fabrettum, Aringhum, Lupium, Marangonium, Bottarium, Maffeium, Gruterum, aliosque, quos libenter brevitatis caussa praetermitto. Iam vero ii in pace quiescere dicebantur, qui in communione ecclesiae catholicae decessissent. Confer Bonarrotium *osserv. sopra alcuni frammenti di vetri ec. tab.* v., Boldettum *ibid. p.* 494. Hinc litterae, quae orthodoxis, et inditiis communionis ecclesiasticae, concedebantur, *pacificae* dici consueverant, qua de re dicam alio loco opportune. Quamquam sunt aliae item τοῦ *in pace* significationes, quas dum tempus monuerit, explicabo. Animadvertendum autem est, ab ethnicis numquam fuisse in epigrammatibus sepulcralibus τὸ in pace adhibitum. Quod cum ostensum ab Antonio Maria Lupio soc. I. viro doctissimo, *dissert. de monum. s. Severae etc. p.* 76. *et p.* 104. fuerit, nostra oratione non eget. Inscriptio in coemeterio Calepodii apud Boldettum *ibid. lib.* II. *cap.* VII. *p.* 423.

NON DEP. VIII. IDVS OCTOB. IN
PACE CVM D.

hoc est *in pace cum Deo.* Et p. 419.

BITALIANVS VRCO FRATRI DVLCIS
SIMO CVM DEO IN PACE QVIESCET
IN PACE

ibid. describit, quasi vestigium hominis insculptum marmori coemeteriali, in medioque vestigio inscripta verba IN . DEO. tum refert graecum epigramma in coemeterio nescio quo repertum:

ΙΑΝΟΥΑΡΙΑ
ΕΝ Θ.

ianuaria in Deo. Pag. 340. e coemeterio Callisti.

RVFINA IN DE
et non
OLOMPIODORE VIVAS IN
DEO
☧

pag. 419 *Felicissima in Deo vives,* pag. 417. *Faustina dulcis vivas in Deo.* Apud Lupium p. 193. ex coemeterialibus lapidibus haec etiam exstat:

ΜΑΞΙΜΑ
ΙC ΘΕΟΝ
ΖΗC

Maxima in Deum vivas.

ΕΙΛΑΡΑ ΖΗCΙC
ΕΝ ΘΕω

Hilaras vives in Deo. Et rursum apud Boldettum p. 417.

ΒΙΚΤωΡΙΑ ΖΗCΗC
ΕΝ ΘΕω etc.

Mitto cetera exempla, quae extant apud eumdem Boldettum, apud Lupium, apud Aringhum et alios. Quod attinet ad alteram partem de requie in Christo, confer Boldettum *ibid. p.* 373. Extra urbem in s. Pauli ex Margarino apud Muratorium *tom.* IV. *p.* 1924. *inscript.*

☧ LOCVS ALLIS PONTI IOVINI ET FLAVIE CVSTATIE IN CHRISTO.
HIC REQVIESCIT IN PACE INNOCENS PETRVS QVI VIXIT ANNOS
DVOS DEPOSITVS D. VIII. IDVS SEPTEMB. ☧

In coemeterio Helenae reperta haec fuit inscriptio, quam refert Boldettus *lib.* I. *cap.* XV. *p.* 86.

MAVRENTIVS MAVRENTIAE
FD. QVE VIXIT ANNIS V. MENSES
XI. DIES DVO. DIGNA INTER SAN
CTOS DEVS IVSSIT IN PACE F.

Et in coemeterio Priscillae apud eumdum *ibid.*

ΕΙΟΥΛΙΑ ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ
ΜΕΤΑ ΤωΝ ΑΓΙωΝ.

Iulia in pace cum sanctis. In lapide an. 268. sub Paterno apud Boldettum p. 80. legitur VIBAS INTER SANCTIS. Consule Lupium *loc. cit. p.* 192.

(1) Etsi τὸ in PACE indicabat eos, qui decesserant, in communione ecclesiae obiisse, tamen negari non potest, quin illud etiam significare, pace, ac felicitate sempiterna eosdem in caelo gaudere. Confer Boldett. p. 394. Atque hoc illud est, quod persaepe in epigrammatibus sepulcralibus legimus, *dormire* christianos, qui extremum diem obierant, vel in *Christo,* vel in *pace.* Mortem enim sanctorum somnum esse norant. Quare Prudentius in *cathem. hym.* X. *p.* 57. *ed. an.* 1625.

qui caste, pie, integreque vixissent, frequens sit in antiquis chri-

Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno.

Quinetiam dormire dicebantur, quod certo crederent fore, ut resurgerent, sperarentque se una cum Christo sanctis rursum corporibus regnaturos. Itaque Augustinus in *ps.* LXXXVII. *n.* 5. *p.* 928. *tom.* IV. *opp. edit. monach. s. Mauri.* „ Ideo namque mortuos consuevit di„ cere dormientes, quia evigilaturos, id est resurrectu„ ros vult intelligi „. Atque ante Augustinum Prudentius *ibid.*

Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quae nunc gelidus sopor urget.

Et paullo superius dixerat :

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, et alti
Repetat collegia sensus.
Venient cito secula, cum iam
Socius calor ossa reviset,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.
Quae pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur etc.

Hinc loca, in quibus corpora defunctorum christianorum condebantur, *dormitoriorum* nomen consequuta sunt. Graece namque κοιμητήριον latine *dormitorium* significat. Ac Boldettus quidem hoc modo indicato *p.* 395. *seq.* inscriptiones aliquot numerat, in quibus τὸ DORMIT legitur. Similes harum referunt Muratorius, Lupius, Fabrettus, aliique. Ad immortalitatem quod attinet, vitamque sempiternam, confer Boldettum *lib.* II. *c.* VII. *p.* 417., qui hanc refert e coemeterio Praetextati inscriptionem :

DIOSCORE VIBE IN ETERNO

Atque huc etiam spectat τὸ *in refrigerio* apud eumdem *ibid. pag.* 418.

VRSVS ALEXANDER ET VALERIVS
IN REFRIGERIO
et
NICEFORVS ANIMA DVLCIS
IN REFRIGERIO
et
ANTONIA AN
IMA DVLCI
S IN PACE T
IBI DEVS
REFRIGERIT

et rursum

AMMERINVS
RVFINE COIVGI.
CARISSIME BENEMERENTI
SPIRITVM TVVM DEVS
RE. FRI. GERET.

Mitto cetera huius generis epigrammata, ne sim longior, quam oportet. De immortalitate intelligendum hoc est, quod *lib.* II. *cap.* VI. *pag.* 411. refert Boldettus *Xantippa immortalis vigilat.* et *cap.* IV. *p.* 370.

ΜΑΡΙΤΙΜΑ ΣΕΜΝΗ ΓΛΥΚΕΡΟΝ ΦΑΟΣ ΟΥ ΚΑΤ ΕΛΕΙΨΑΣ
ΕΣΧΕΣ ΓΑΡ ΜΕΤΑ ΣΟΥ ΠΑΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΑ
ΕΥΣΕΒΕΙΑ ΓΑΡ ΣΗ ΠΑΝΤΟΤΕ ΣΕ ΠΡΟΑΓΕΙ (*)

Quod sic vertit. *Maritima venerabilis dulce lumen tuum extinxisti, habebas enim tecum prorsus omne immortale, pietas enim tua semper te prodit.* Quo re fiebat, ut reminiscerentur, cum ad haec monumenta respicerent, eorum, qui pie, sancteque vixissent, cogitarentque, eos esse consequuturos immortalitatem. Sed omnia persequi, quae apud collectores antiquitatum christianorum reperiuntur, longum esset. Singulare autem est, etsi non adeo vetus, quod extat apud Muratorium *tom.* IV. *Inscript. p.* 1841. quod spem resurrectionis significat.

CREDO QVIA REDEMPTOR MEVS BIBIT ET IN NOBISSIMO DIE
DE TERRA SVSCITABIT ME ET IN CARNE MEA VIDEBO DOMI
NVM MEVM EGO BASILIVS FILIVS SALIBVDI E GREGORIA
CONIVGE VIVVS DVM IREM IN MANDATVM IPSORVM
MALVS HOMO APREHENDIT ET PORTABIT ME IN
RIBVM ET OCCISIT ME MORTEM CRVDELEM IN INFAN
TIA IAE MEAE ANNORVM DVODECIM IND. XIV. MENSIS
MAGI DIE XXVI.

(*) Versus duo priores *hexametri*, et alter *pentametrus* sunt, quod neque Boldettus notavit : immo claudicat latina versio, quam sic emendo - Veneranda Maritima, dulcem vitam non dereliquisti, quippe quae prorsus tecum immortalitatem habebas etc. — *Emen. not.*

stianorum monumentis commemoratio. Quid? si eorum, qui gloriam sempiternam consequuti essent, precibus plurimum christiani veteres confidere solerent, idque iam, ut memoria retinerent, insculpere marmoribus curarent (1)? Symbola vero omnia, quae in lapidibus, lucernis, gemmis, picturis cernuntur, persequi velle, opus et molestum fortasse multis, et scriptori grave, ac plenum difficultatis et laboris esset. Igitur potiora breviter complectar. Ordiar autem ex iis, quae ad veteris, tum ad reliqua descendam, quae ad novi testamenti historiam pertinent.

2. *De symbolis Adami, et Evae.*

2. Ac primum omnium, ut maiores nostri suae originis reminiscerentur, et saepe, ac multum cogitarent, ex terra corpora nostra non casu quopiam, sed volutante, operaque Dei esse concreta, atque ubi ex iis excesserint animi, dissolvi ea quidem, et in terram recidere (2) debere; Adami, *ex eiusque costa* Evae, primorum scilicet generis humani parentum, procreationem, ut fieri pictura, scalpturave poterat, suis oculis interdum proponebant (3). Quod ipsum eo etiam consilio faciebant, ut intellige-

(1) Romae in coemeterio Callisti inventus est lapis cum epigrammate, et ex Marangonio refert Muratorius *tom. IV. inscript. p.* 1833.

ATTICE SPIRITVS TVVS
IN BONV ORA PRO PAREN
TIBVS TVIS.

Sed de hac re alias.

(2) Itaque id quoque monumentis mandabant litterarum, lapidibusque insculpi interdum volebant. Praeclarum est, quod affert Boldettus *lib. II. c. V. p.* 387.

ΕΥΨΥΧΙ CΕΚΟΥΝΔΑ ΟΥ
ΔΙς ΑΘΑΝΑΤΟς ΡΗΓΙΤΑΝΑ

Eupsyce Secunda nemo immortalis regitana(*). Errat Boldettus, qui vertit *bis immortalis*. Simile est huius, quod ex Donio mutuatus est Muratorius *ibid. p.* 1840.

ΘΑΡCΙ
ΜΑΞΙ
ΜΙ ΝΑ
ΟΥΔΙς
ΑΘΑΝΑ
ΤΟC

Bono animo esto Maximina, nemo immortalis.

(*) Quin immo et Boldettus, et Mamachius hic errant: nam εὔψυχι, non est nomen mulieris, et ita vertenda inscriptio — Bono animo esto, Secunda Rhegitana, nemo immortalis —. *Emend. not.*

(3) In gemma, quam est Petri Francisci Foggini viri doctissimi, et amici mei, cuius quidem gemmae ectypon tab. II. fig. 6. describi curavi, proponitur imago hominis nudi, qui in monstrum desinere, et supposito pisci insistere videatur. Huic proximae sunt figurae humanae duae, quarum uni ille manum imponit. Draco ex altera parte ore pomum deferens cernitur. Desuper est anchora, quod signum erat apud christianos in usu, ut alio loco dicemus. Anselmus Costadoni monachus camaldulensis in ea dissertatione, quae inscribitur „ *del pesce simbolo di Gesù Cristo presso gli antichi cristiani* „ quam edidit anno superiore n. 37., futuros aliquos arbitratur, qui gnosticorum hanc fuisse gemmam, monstroque ille conditorem naturae, quem genus illud haereticorum versabatur, indicari putent. At sibi esse persuasum, subdit, mediam figuram in gemma, nescio quo casu, fuisse detritam, adeoque informe quidpiam monstri simile exhibere. Ceterum hisce figuris voluisse artificem procreationem primorum generis humani parentum significare, adeoque draconem pomum deferentem addidisse, a quo eos fuisse in fraudem inductos constat. Fuisse igitur eam propriam christianorum orthodoxorum, quod praesertim in superiore gemmae parte et boni pastoris, et columbae, et Ionae figuras conspicere liceat, quae sane symbola apud

rent, conditas a Deo, corporibusque coniunctas humanas animas fuisse, habereque eas aliquam cum ipso (1) similitudinem. Quare cum ille recte, beneque omnia fecerit, recte item ab eis, beneque agi (2) oportere. Quinetiam cum his imaginibus *primum hominem* ortum e terra, ut diximus, fuisse, in memoriam revocarent, *secundi hominis*, hoc est Christi, a quo immortalitatem, caelestemque gloriam expectabant, recordabantur (3), quem Paulus vocarat *de caelo caelestem*. Ubi vero ad haec omnia mentem adverterant, contemnendam pro caelesti putabant terrenam vitam, nihilque agendum statuebant, quod iniurium conditori Deo esset, vitiareque posset, quam ipsis Deus indiderat, et gratia per Christum servatorem perfecerat, imaginem, similitudinemque sui (4).

Accedebat usus pingendi, sculpendive figuras Adami, Evae, arboris, serpentisque illius, qui eosdem primos hominum parentes fraude circumvenerat, induxeratque, ut fructu eius arboris, contra atque imperatum a Deo fuerat, vescerentur (5). Ex qua

gnosticos non erant in usu. Haec si ita sunt, ut ille existimat, habent, iam plane liquet, quo consilio pingi haec, sculpire a maioribus nostris solerent. Nam quod ad reditum in terram, unde sumtus esset Adamus, pertinet, satis esse exploratum. Cur enim e terra concretum hominem ostendissent, nisi ut sibi in mentem revocarent, quae litteris a Mose commendata fuerant *Genes. cap.* III. *v.* 19. „ *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumtus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris* „? Vide Iustinum martyrem *cohortat. ad graecos num.* 30. *p.* 30. *edit. venetae*, et acta s. Achatii apud Ruinart. *p.* 131. *edit. veron.*

(1) Huc sane spectat s. Clementis I. pont. *in epist. ad cor.* I. *n.* 33. *p.* 25. *edit. Constantii* sententia: « Prae » omnibus, *inquit*, animal excellentissimum, et maxi» mum secundum intellectum hominem ταῖς ἱεραῖς, „ καὶ ἀμώμοις χερσὶν ἔπλασεν τῆς ἑαυτοῦ εἰκό„ νος χαρακτῆρα, *sacris, et immaculatis manibus condi» dit suae imaginis characterem.* Ita enim ait Deus: *Fa» ciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* » *Et fecit Deus hominem: masculum, et feminam fecit eos.* » Haec igitur omnia cum perfecisset, laudavit ea, be» nedixitque, ac dixit: *Crescite, et multiplicamini.* Vi» deamus, quod in bonis operibus ornati fuerint om» nes iusti. Et ipse ergo Dominus, cum se operibus de» corasset, gavisus est. Habentes itaque hoc exemplar » impigre ad voluntatem eius accedamus; ac totis vi» ribus nostris operemur opus iustitiae ». Igitur quod Clemens χερσὶν ἔπλασεν *manibus creavit* metaphora quadam dixit, hoc sculptor in fogginiana gemma exhibuit. Nulla est vero causa, cur ad hanc Clementis sententiam christiani sculptores non adverterent animum, cum epistola ad corinthios tanta in celebritate olim esset, ut in ecclesiis aliquot legeretur. Confer Eusebium *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XVI., *et lib.* IV. *cap.* XXIII., Epiphanium *haeres.* XXX. *n.* 15.

(2) Consule modo recitatum Clementis locum.

(3) Est hoc quidem Pauli apostoli *in* I. *ad corinth. cap.* XV. *v.* 45. *seq.* « Factus est primus homo Adam in » animam viventem, novissimus Adam in spiritum vi» vificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed » quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo » de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. » Qualis terrenus, tales terreni, et qualis caelestis, ta» les caelestes. Igitur sicut portavimus imaginem ter» reni, portemus et imaginem caelestis ». Confer etiam quae sequuntur, et auctorem ignoti carminis contra Marcionem inter opera Tertulliani *p.* 632. *edit. an.* 1744. Consule Bonarrotium *tom.* I. *fig.* 1. *p.* 8. *oper. sopra alcuni vetri ec.*

(4) Consule Clementem alexandrinum *lib.* I. *paedagogi cap.* XII. *p.* 133. *edit. paris. an.* 1641., et Tertullianum *de baptismo cap.* V. *p.* 226. *edit. opp. venet. an.* 1744. *et de corona mil. cap.* X. *p.* 107.

(5) Ita quidem in sarcophago marmoreo Iunii Bassi exhibentur primi parentes apud Aringhum *tom.* I. *Romae subterraneae lib.* II. *cap.* X. *p.* 277., et apud Bottarium *sculture, e pitture sacre estratte dai cimiteri di Roma tom.* I. *p.* 35. *edit. an.* 1737. Sed figurae Evae proxima est figura ovis, Adae autem vicinas spicas artifex ponendas censuit, ut indicaret, lana mulierem, virum autem labore manuum, ac sudore vultus victum quaeritare

re intelligi decebat, quae peccati, aerumnarum (1), captivitatis generis humani, interitus initia fuerint, et cuiusnam tandem virtute ac merito vindicati mortales in libertatem, erectique in spem maximam sint, fore ut, si declinassent malum, vita sempiterna, salute, gloria (2) potirentur. Atque praeter ceteras, haec item caussa fuit, cur christiani oculis eiusmodi figuras subiicerent. In his Adae, Evaeque post peccatum admissum *μετάνοιαν*, quam nos *resipiscentiam* dicere (3) possumus. Monebantur enim hoc sym-

oportere. Qua de re adeundus *ibid.* Bottarius pag. 46. Simile est huic, quod cernitur in altero sarcophago vaticano apud Bottarium p. 119., et Aringhum *lib. II. cap. XI. p.* 315. In ceteris sarcophagis, quos apud Aringhum, et Bottarium videre licet, Adami, et Evae esse foliis ficus tegentium, serpentis quoque, atque arboris anaglypho opere expressae figurae sunt. Confer Aringhum *tom. eodem p.* 325., Bottarium *tom. eodem p.*147., Aringhum *p.* 331., Bottarium *p.* 167., Aringh. *p.* 427., *et tom. II. p.*143. 354. 385. et 399. Picturis quoque idem christiani veteres factum exprimere consuerunt, cuiusmodi sunt eae, quae in coemeteriis urbis cernuntur, quasque refert Aringhus *tom. I. p.* 541. 581., *et tom. II. pag.* 109. 117. 123. 193. 199. Easdem ipsas illustravit Bottarius in opere mox laudato. Illustris praeterea est lamina aerea, quam describit Bonarrotius *osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro, tom. I. fig.* 1., in cuius parte superiore exhibentur Adamus, et Eva, qui serpentis dolis inducti pomum contra Dei praeceptum comederunt, et peccatum, mortemque suo scelere introduxerunt in orbem terrarum: in inferiore vero Christus praeferens figuram boni pastoris, ut indicaretur, huius opera revocatum genus humanum ad poenitentiam, restitutamque ei fuisse salutem, perpetuamque felicitatem. Hoc monumentum singulari dissertatione explicavit eruditiss. Ciampinus *loc. mox indic.* Quid? si in vitris quoque depictae figurae primorum parentum, atque serpentis arborisque fuerunt? Confer Bonarrotium *ibid. tab.* 1. *fig.* 2. *et* 3.

(1) Namque maiores nostri, ut ostenderent, quae essent aerumnae peccati causa in hominum genus illatae, primos parentes exprimi in sarcophagis opere anaglypho curabant, quos Deus ad opus, quo vitam substentare possent, damnaret, eiiceretque e paradiso. Igitur sic conditorem exhibuerunt, quasi mulieri quidem ovem, spicas viro ostenderet, ut dignosci inde posset, huic quidem fodiendo, illi nendo esse victitandum. Vide Aringhum *tom. I. pag.* 613. 621. *et* 623., Theophilus antiochenus *lib. II. ad Autolycum num. XXV. pag.* 392. *edit. venet. an.* 1747. *inquit*, « Primo homini « mandati praetergressio id attulit, ut e paradiso eii« ceretur, non quod mali quidquam inesset ligno scien« tiae, sed ex peccato, tamquam ex fonte in hominem « fluxerunt labores, dolores, molestiae, ac denique mors ipsa ».

(2) Clemens alexandrinus *admonit. ad gentes pag.* 6. *edit. paris. an.* 1641. „ Malus tyrannus, et draco, *inquit*, „ quoscumque ab ortu sibi potuerit vindicare .... vi„ vos, ut dicitur, adducens, una cum eis sepelit, do„ nec una cum eis interierint. Unus enim est sedu„ ctor, qui ab initio quidem Evam, nunc autem alios „ quoque iam homines ad mortem adducit: εἷς καὶ „ αὐτὸς ἐπίκουρος, καὶ βοηθὸς ἡμῖν ὁ κύριος, „ προσμηνύων ἀρχῆθεν προφητικῶς, νῦν δὲ ἤδη „ καὶ ἐναργῶς εἰς σωτηρίαν παρακαλῶν, Φύγω„ μεν οὖν, ἀποστολικῇ πειθόμενοι παραγγε„ λίᾳ, τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, „ τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς „ υἱοῖς ἀπειθείας, καὶ τῷ σωτῆρι τῷ κυρίῳ προ„ σδράμωμεν, etc. *Unus et ipse nobis auxiliator, et adiu„ tor Dominus ab initio prophetice praesignificans, nunc au„ tem iam et manifeste ad salutem adhortans, Fugiamus „ igitur, apostolicae obedientes admonitioni, principem po„ testatis aeris, spiritus nunc operantis in filiis diffidentiae, „ et Salvatori Domino occurramus etc.* „. Vide Iustinum *dialogo cum Tryphone n.* 88. *p.* 186., *et n.* 124. *pag.* 229. Non discrepant ceteri patres, quorum testimonia brevitatis causa praetermitto. Sed quae sunt de primis parentibus, de serpente, de arbore, deque mysteriis, quae his rebus continerentur, egregie explicat vetus auctor carminis adversus Marcionem *lib. II. pag.* 65. *seq.* inter opera Tertulliani.

(3) Confer Irenaeum *lib. III. cap.* XXIII. *contra haereses n.* VI. *edit. monachor. s. Mauri*, et Theophilum antiochenum *lib. II. ad Autolycum n.* 26. *seq. edit. an.*1747., quo loco rem hanc egregie, uti solet, persequitur. Sunt etiam, qui putent pingi haec, sculpique a maioribus consuesse, ut intelligerent nostri, primos parentes resipuisse, detestarenturque Tatiani assyrii haeresim, qui Adamum periisse pugnabat. Vide Bonarrotium *loc. citat. p.* 9. Quem quidem errorem ortum fuisse putaverim ex male intellecta Iustini martyris, quo ille magistro usus erat, sententia. Vide *cohort. ad graecos n.* 21. *p.* 22. *edit. venet. an.* 1747.

bolo, qui sese aliquo vitio implicaverant, non esse sibi ereptam recuperandae sanctitatis animi potestatem. Itaque ut redirent in meliorem mentem (1) incitabantur.

3. *De Abele a fratre interfecto.*

3. Abelis praeterea a Caino fratre interfecti imagines sibi christiani veteres (2) proponebant, ut invidiam (3), quae fratricidii caussa fuerat, vitarent; Abelisque patientiam (4), innocentiam morum, fortitudinemque in perferenda morte imitarentur. Cumque Abelem Christi (5) servatoris, et ecclesiae novi testamenti figuram esse (6) accepissent, commodum sibi exhiberi eiusmodi symbolum putabant, propterea quod moverentur et ad cogitandum cuius sanguine, ac sacrificio consequuti salutem essent, et ad eam, quae propria est ecclesiae, fidem, innocentiamque servandam (7).

(1) Theophilus *ibid. p.* 393.: « Quemadmodum homo non obediendo mortem sibi ipse traxit, sic voluntati Dei obsequendo, potest, qui voluerit, aeternam vitam sibi conciliare. Legem enim Deus, et sancta praecepta nobis dedit, quae si quisquis observaverit, potest salutem assequi, et compos resurrectionis factus, statu a corruptione alieni haereditatem accipere ». Fieri etiam potuit, ut christiani historiam rerum ab Adamo, et Eva gestarum sibi proponerent, ut gnosticorum opiniones magis, magisque eversarentur, qui τοῦ θανάτου τὴν γένεσιν ἔργον εἶναι τοῦ κτίσαντος τὸν κόσμον, *mortis generationem opus esse conditoris mundi* pugnabant. Consule Clementem alexandrinum *lib.* IV. *stromat. pag.* 509. *edit. paris. an.* 1641., et Theophilum *loc. cit. p.* 393. Estque verisimile christianos hisce symbolis usos detestari bacchantium morem voluisse, quae furore correptae quasi a malo daemone agitarentur, Evam clamare consueverant. Adeundi Theophilus *ibid. n.* 28. *p.* 394., et Clemens alex. *admonit. ad graecos p.* 9. *edit. an.* 1641. Sed de figuris Adami, et Evae a primis christianis pingi sculpive solitis, adeundi Aringhus *tom.* II. *Romae subterraneae p.* 467. *seqq.*, Bonarrotius *osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro pag.* 9. *seq.*, Iohannes Bottarius vir eruditissimus *tom.* I. *delle sculture, e pitture sagre estratte dai cimiterii di Roma p.* 45. 148. 173. *seq. edit. an.* 1737., et *tom.* II. *p.* 9. *seq.* 25. 34. 74. 84. 99. 102. 163. *seq. edit. an.* 1746., qui omnes fuse, copioseque hoc argumenti genus explicaverunt.

(2) In sarcophago in Lucinae coemeterio reperto, quem referunt Aringhus *lib.* III. *cap.* III. *p.* 427. *tom.* I., et Bottarius *tom.* II. *p.* 9. cernuntur Caini arvum, spicasque, et Abelis agnum offerentis imagines. Etsi vero persuasum maioribus nostris erat, Deum corporis expertem omnino esse, cautumque saepe ab episcopis est, ne quis eum figura vel humana, vel alia quapiam aut pingere aut sculptura exprimere auderet, de qua re dicam alio loco opportune, tamen erant aliqui interdum, qui haec picturas, sculpturasve fieri curarent, ut ex hoc ipso sarcophago, et ex gemmis, cuius pag. 20. mentionem fecimus, plane constat. Quamquam fatendum est, quo primum saeculo sarcophagi, gemmaeque huiusmodi perfici coeperint, nobis esse ignotum.

(3) Consule Clementem romanum *epist.* I. *ad corinth. n.* 4. *p.* 11. *collect. epist. rom. pontif. tom.* I. *edit. Coustantii*, et Theophilum antiochenum *lib.* II. *ad Autolycum n.* 29. *pag.* 394. *edit. venet. an.* 1747., s. Cyprianum *de zelo, et livore p.* 222. *edit. oxon.*

(4) Adeundus s. Cyprianus *epist* VI. *pag.* 12., LIX. *p.* 119. *edit. oxon.*

(5) Confer s. Ambros. *in psal.* 39. *p.* 862. *num.* 12. *tom.* I. *edit. monach. s. Mauri*, et Prudentium *in praefat. hamartigeniae p.* 178. *edit. Amstel. an.* 1625.

(6) Vide Tertull. *lib. adv. iudaeos cap.* V. *pag.* 187. *edit. venet. an.* 1744., et s. Ambros. *lib.* I. *de Cain, et Abel cap.* II. *tom.* I. *cit. edit. p.* 185.

(7) Caini sacrificio corpus, animam vero nostram Abelis significari scribit Prudentius in tetrastichis *vet. et nov. testam. p.* 255. *edit. an.* 1625.

« Festum sacra Deus dote distante duorum
« Aestimat, accipiens vivo, et terrena refutans.
« Rusticus invidia pastorem sternit, in Abel
« Forma animae exprimitur, caro nostra in munere Cain.

4. *De Noemo, et arca.*

4. Iam vero Noemum in arca aquis diluvii (1) innatante manentem, et columbam, quae ramum olivae deferret, pacemque indicaret (2), picturis, sculpturisve (3) exprimere christiani veteres consueverant. Cuius rei hae omnino caussae fuerunt. Nempe ut Noemus, filiique arcae praesidio commune periculum declinaverant, ut pacis, quam columba (4) allato olivae virentis ramo significarat, indicio accepto, in terram, id quod iamdiu expetiverant, salvi, incolumesque desilierunt; ita *arcae* quidem *ecclesiam*, extra quam nemo assequi salutem potest, *aquarum* vero *baptisma*, quo expiamur, *Noemi* autem, ac *filiorum* eos, qui in nostram venirent societatem (5), *columbae* denique *ramum olivae deferentis* figuris, *spiritum pacem nunciantem* demonstrari christiani veteres contendebant. Quid? si *aquis diluvii* tempestates in ecclesiam ab hostibus concitatas indicari arbitrarentur, indeque pacem sequuturam confiderent, suosque proinde cohortarentur, ut ne animis conciderent, sed in proposito manerent,

(1) Consule Boldettum *osserv. sopra i cimiteri p.* 22., Bonarrotium *tab.* 1. *fig.* 1. *osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ec.*, quam figuram lamina e metallo exhibet multis symbolis ornata, in cuius parte superiore Noemi in arca consistentis, et columbae ramum deferentis imaginem cernuntur. Idem monumentum illustrat Ciampinus *diss. de duobus emblematibus musei card. Carpinei p.* 10. *edit. rom. an.* 1748.; vide etiam museum veronense etc., quod anno 1749. edidit Scipio Maffeius vir eruditissimus p. 279. Iam vero in lucerna coemeteriali, quae extabat apud Iohannem Petrum Bellorium, quaeque in antiquis lucern. Petri Sanctis Bartholi ab eodem Bellorio illustratis par. III. est n. 29., arca noemica, cui insidet columba, exhibetur. Huius figurae est omnino simile ea, quam impressam videre licet gemmae fogginianae a nobis supra relatae *tab.* 2. *fig.* 6.

(2) Picturas coemeteriales referunt Aringhus *tom.* II. *Romae subterraneae p.* 67. 71. 101. 105. 111. 187. 283. 285., et Bottarius *tom.* II. *operis supra indicati p.* 23. 34. 129. 132. 153. 163. Atque ex Aringho quidem nos ipsi mutuati sumus tabulam 1. cubiculi secundi coemeterii sancti Callisti, protulimusque *tom.* I. *p.* 263. In ea vero ad n. 2. videre licet imaginem Noemi ramum olivae a columba delatum accipientis. De columba confer quae dixi *tom.* I. *p.* 72. *seq.*

(3) Multi extant apud collectores christianorum monumentorum sarcophagi, in quibus sculptae Noemi in arca consistentis imago conspicitur. Confer Aringhum *ibid. tom.* I. *p.* 325. 331. 333. 619., *et tom.* II. *pag.* 355. 393., et Bottarium *tom.* I. *p.* 147. 167. *et* 175. Mitto ceteras, ne lectori molestiam afferam.

(4) Prudentius in *tetrastichis ad hist. vet. et nov. testam. p.* 255. sic habet.

» Nuntia diluvii iam decrescentis ad arcam
» Ore columba refert ramum viridantis olivae.
» Corvus enim ingluvie per foeda cadavera captus
» Haeserat, illa datae revehit nova gaudia pacis.

(5) Confer *epist.* I. *sancti Petri apost. cap.* III. n. 20. *seq.*, Clementem romanum *epist.* I. *ad corinth.* n. 9. *p.* 14. *tom.* I. *collect. epist. roman. pontif. edit. paris.* Coustantii an. 1721., Iustinum martyrem in dialogo cum Tryphone n. 86. *p.* 194., n. 138. *p.* 242. *edit. venet. an.* 1747., et Tertullianum *lib. de baptismo cap.* VIII. *p.* 227. *edit. venet.* an. 1744. ubi „ Quemadmodum, *inquit*, post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem caelestis irae, „ praeco columba terris adnunciavit dimissa ex arca, et „ cum olea reversa, quod signum etiam apud nationes „ paci praetenditur: eadem dispositione spiritualis effectus terrae, id est carni nostrae, emergenti de lavacro „ post vetera delicta, columba sancti spiritus advolat, „ pacem Dei afferens, emissa de caelis, ubi ecclesia est

et quaecumque acciderent adversa, aequo animo (1) sustinerent? Rursum *aquis*, quae, diruptis cataractis, undique concurrebant, et mirandum in modum augebantur, multitudinem gentium in ecclesiam concurrentem dicebant intelligi licere. Postremo Noemi, quod scilicet nomen *requiem* indicare (2) existimabant, figura admonebantur, ne *fluctus*, hoc est impetum inimicorum, quibus *arca*, hoc est ecclesia, agitabatur, metuerent, utque sibi persuaderent fore, ut corpore soluti sempiternam requiem consequerentur. Sed quoniam sine virtutis, pietatisque cultu cognorant ad requiei, gloriaeque locum pertingere posse neminem, nihil praetermittere monebantur, quod ad virtutem ipsam (3), innocentiamque morum aut parandam, aut augendam pertineret.

5. *De Abrahamo, et Isaaco.*

5. Est vero traditum a Mose in genesi, praeceptum Abrahamo patriarchae a Deo fuisse, ut in certum quemdam, destinatumque montem filium Isaacum duceret, eumque sibi huius universitatis rerum conditori sacrificaret. Paruisse hominem, lignisque concisis, impositisque Isaaco, qui victima esset futurus, conscendisse in montem, cumque ferire vellet adolescentem, deterritum ab angelo fuisse, ne quod iussus erat, perficeret. Hoc totum fuisse figuram Christi servatoris constat (4). Cum ethnici calumniarentur, idque maxime laborarent, ut mortales ab institutis, sacrisque christianorum averterent, propterea quod religio nostra praescriberet, Christo esse adhibendum cultum, quem illi ignominia affectum dictitabant, quod cruci auctoritate Pilati affixus esset; maiores nostri, qui reperiri aliquos posse ineptos, imperitosque divinarum rerum sciebant, quibus haec ludibria detri-

„ arca figurata „. Adisis s. Cyprianum *epist.* LXXIV. *ad Pomp.* p. 216., *et lib. de unit. eccl. pag.* 109. *edit. oxon. an.* 1682., *et epist.* LXXII. *ad Magnum p.* 184., et Firmilianum *epist. inter cyprianicas* LXXV. *p.* 224. *edit. eiusd.*, Augustinum *lib.* V. *de baptismo cap. extremo p.* 160. *tom.* IX. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri*, *et lib.* XV. *de civ. Dei cap.* XXVI. *p.* 410. *tom.* VII., *et lib. catech. rud. cap.* XXVII. *p.* 494. *tom.* VI.

(1) Confer Aringhum *tom.* II. *Romae subterraneae lib.* V. *cap.* II. *p.* 473. *seq.*

(2) Theophilus antiochenus *lib.* III. *ad Autolycum* n. 19 *p.* 418. „ Noe, cuius nomen hebraeum si graece „ interpreteris, idem est ac ἀνάπαυσις *requies* „. Confer Iohannem Bottarium *ibid. tom.* II. *p.* 98.

(3) Ceteras eius rei significationes legere quisque poterit apud Aringhum *pag. modo indicata seq.*, et Ciampinum *diss. de duobus emblematibus musei card. Carpinei p.* 20. *edit. an.* 1748.

(4) Vide s. Paulinum *epist.* XXIX. *ad Sever. pag.* 181. *seq. edit. veron. an.* 1736., *et epist.* XXXVIII. *al.* XXIX. *ad Aprum p.* 229. ubi » Ab initio, *inquit*, saeculorum Chri» stus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium, et

mentum afferrent, sic aliquando secum constituerunt: sacrificium, quod Iesus in cruce pro salute generis humani obtulerat, quodque Isaaci facto, divino consilio, olim (1) significatum erat, cum aliis nonnullis, tum huiusmodi symbolo adumbrari saepe, exprimique posse (2). Atque hinc omnes assequuturos intelligebant, Christum, quem vindicem libertatis, quem salutis restitutorem, quem viam, quem veritatem, quem vitam esse, sibi merito persuaserant, sponte se patri obtulisse, tamque praeclaro facinore iter nobis munisse ad caelum, quod ante fuisset primi parentis scelere interclusum. Igitur his etiam imaginibus, quas frequentes in aedibus (3) sacris, cryptisque (4) urbium videbant, incendi magis, magisque ad eius amorem consueverant, quem noctes diesque contemplabantur, quo uno se oblectabant, quocum denique confidebant fore, ut corpore soluti felicem, plenamque gaudii vitam degerent. Fuerunt etiam, qui exemplo Abrahami moneri homines affirmarent, ut res adversas aequo animo ferrent, utque filiorum, rerumque omnium, quas in hoc mundo chariores haberent, amorem Christi praeceptis (5), charitatique postponerent.

« finis, qui in lege velatur, in evangelio revelatur ......
» In Abel occisus a fratre ... in Abraham peregrinatus,
» in Isaac oblatus etc. ».

(1) Tertullianus *lib.* III. *adversus Marcionem c.* XVIII. *p.* 407. *edit. an.* 1744. « De figuris prius edocebo. Et utique vel maxime sacramentum istud figurari in praedicatione oportebat, tanto incredibile, quanto magis scandalo futurum, si nude praedicaretur, quantoque magnificum, tanto magis obumbrandum, ut difficultas intellectus gratiam Dei quaereret. Itaque in primis Isaac, quum a patre in hostiam deditus, lignum sibi ipse portaret, Christi exitum iam tunc denotabat, in victimam concessi a patre, et lignum passionis suae baiulantis ».

(2) Vide Aringhum *tom.* II. *lib.* V. *Romae subterraneae cap.* X. *p.* 478. *seq.* Negari tamen nequit, quin patres cruces etiam fieri, ornarique curarent, ut restitutionis in libertatem reminiscerentur. Sed de crucibus erit alibi disserendum.

(3) Vide Gregorium nyssenum *orat. de divin. filii tom.* III. *opp. edit. paris. an.* 1638. *p.* 276.

(4) Cernitur ea figura in sarcophagis coemeterialibus repertis Romae. Confer Aringhum *tom.* I. *Romae subterr. pag.* 277. 305. 309. 317. 325. 331. 423. 613. 622, et *tom.* II. *p.* 399., et Bottarium *tom.* I. *p.* 167., *et tom.* II. *pag.* 1. 101. *etc.* In picturis quoque coemeterialibus apud Aringhum *tom.* I. *pag.* 139., *et tom.* II. *p.* 65. 87. *etc.*, et apud Bottarium *p.* 23. *et* 142. *tom.* II. Quinetiam nos ipsi *t.* I. *p.*263. *tabulam* 1. cubiculi secundi coemeterii Callisti descripsimus, in cuius *fig.* 4. Abrahami Isaacum sacrificare volentis imago cernitur. Quid? si metallis, ut alia pleraque, ita quoque hoc symbolum in primi veteres christiani curabant? Vide Bonarrotium *osserv. sopra alcuni frammenti di vasi di vetro ec. tab.* 1. *fig.* 1., et Ciampinum loco indicato.

(5) Consule Clementis rom. *epist.* I. *ad corinth.* n.10. *tom.* I. *collect. epist. rom. pont. p.* 14. *edit. Constant.*, *et fragm. ibid. p.* 47. Vide etiam a novis Bottarium *tom.* II. *p.* 144. Iam vero huic symbolo alias quoque inesse significationes veteres, recentesque scriptores putant. In his est resurrectionis figura, ut censet Origenes *hom.* VIII. *in genes. tom.* II. *opp. p.* 81. *edit. paris. monacher. s. Mauri*, cuius est auctoritate Pauli *epist. ad hebraeos cap.* XI. *v.* 17. 19. confirmata sententia. Adeundus Aringhus *lib.* V. *Romae subterr. cap.* XI. *p.* 479. Dici autem vix potest, quantum recordatione mortis, resurrectionis, praemii sempiterni maiores nostri ad recte sancteque agendum moverentur. Quod sane quoniam observatum paullo ante est, nunc omittatur.

6. De Iosepho patriarcha, 7. de Mose, 8. de Pharaone aegyptiorum rege fluctibus maris oppresso, 9. de arca foederis, 10. deque candelabro.

6. Eodemque consilio describi Iosephi patriarchae imaginem (1) consuesse arbitror. Namque eius casu, qui venditus a fratribus, quique deinceps multis aerumnis, laboribusque perfunctus, in altissimo tandem gradu honoris, ac dignitatis locatus est, profuitque potissimum his, quorum caussa tantum acceperat calamitatis; ad Christum servatorem, cui sese totos devoverant, cogitationem convertere solebant, atque animo colligentes, ut venditus ille ab Iuda (2) discipulo, ut captus, ut caesus, ut spinis coronatus, ut cruci affixus, mortuusque fuerit, utque a mortuis revocatus, victor maximam gloriam comparaverit, ac non ceteris hominibus solum, sed iis etiam aditum in caelum munierit, qui rapi ipsum in extremum supplicium curassent; grata in eum voluntate ferebantur, adversos casus, aerumnas, cruciatus certo, confirmatoque animo, quod satis tuto gloriam sibi inde promitterent, perferebant, dabantque operam, nihil ut agerent, quod iniustum, quod turpe, quod malum, quod indignum christiana institutione esse videretur.

7. Etsi res a Mose propheta, et hebraeorum legislatore egregie, mirificeque gestae numerari permultae possunt, hae tamen in primis a christianis primorum temporum delineatae, insculptaeve lapidibus fuerunt. Primo ut in montem Horebum conscensurus, rubi inflammati visu commotus, calceos laxarit (3), et deposuerit, tum ut divinitus lapideas tabulas (4) acceperit, qui-

(1) Consule Bottarium *tom. II. p.* 20, quo loco explicat tabulam 4. *cubiculi primi coemeterii s. Callisti, via appia, et ardeatina*; et ex antiquis Prudentium *hymn.* 10. II. Σ. v. 476.

(2) Auctor carm. advers. Marcionem inter opera Tertulliani *lib.* III. *p.* 533. *edit. venet. an.* 1644.

Sequitur Ioseph, foedae sine sorde iuventae
Carceris et dura confecta calumnia poenae,
Gloria post gemitus, regnique secunda corona,
Inque fame panis tribuendi larga potestas,
Iam propria Christi tam lucida lucis imago
Omnibus est manifesta, quibus sunt lumina menti,
Ut speculo vultus firmam spem cernere possit.

Sed multa in hanc rem congerit Aringhus *lib. cit. cap.* II. *p.* 480. *seq.*

(3) Confer tabulam 4. cubiculi 5. coemeterii s. Callisti apud Aringhum *tom.* I. *p.* 567. n. 3., ubi exhibetur Moses calceum solvens. Huius similis est fig. 1. tab. 10. sepulcrorum coemeterii eiusdem apud Aringh. *ibid. p.* 558. Vide sarcophagi ab Aringho ipso p. 613. relati fig. 1. ordinis inferioris, quae Mosem calceum solventem, deumque specie humana prophetam alloquentem indicat. Non discrepat fig. 1. sarcophagi vaticani ex Bosio, et Aringho apud Bottarium *tom.* I. *p.* 175.

(4) Insculptum id quoque sarcophagis apud Aringhum *tom.* I. *p.* 291. 303. 309., et *tom.* II. *p.* 355. 393.

bus inscripta naturae lex erat, easque ad populum attulerit; postremo ut virgae ictu e saxo magnam aquae (1) copiam elicuerit. Atque illud de rubo, deque solutis calceis, suis oculis proponebant, non modo ut indicarent, verbum divinum diu ante, quam humanam sibi naturam coniunxisset, prophetis apparuisse, salutemque israelitis attulisse, quos sibi Deus fecerat populum (2) peculiarem; sed etiam, ut omnes cognoscerent, vindicatas deinde a Christo verbo Deo, atque homine gentes universas fuisse in eam, quam peccato primi parentis (3) amiserant, libertatem. Quid? quod inde quoque perciperent, qui sit ubique honos adhibendus Deo, quantoque cum metu ac reverentia quemque (4) nostrum in locis sacris versari oporteat? Quod ad legis tabulas attinet, dubitari non potest, quin descriptae, iusculptaeque marmoribus, tum vero his confractis, renovatae denique fuerint, ut figuram eas novi testamenti fuisse ostenderetur, quae proinde figura tolli deberet, cum lata lex altera (5) fuisset. Est autem diligenter animadvertendum, idcirco manum tabulas Mosi porrigentem, non in sarcophagis, picturisque coemeterialibus solum, verum etiam *in volumine mss. histor.* iudicum, quod in bibliotheca vaticana servatur, videri; ut intelligatur, Deum, qui sub aspectum cadere nequeat, rerum ab se conditarum ope cognosci, quae opera manuum eius, etsi ille manibus careat, in sacris litteris appellantur. De aqua ex petra in regione (6), qua ethnici

Easdem tabulas exhibet Bottarius *tom.* I. *p.* 71. *tab.* 27. *p.* 99. *tab.* 29. *p.* 105., et *tom.* II. *p.* 3. 101. Neque insculptam solum, sed pictam etiam in sacellis coemeteriorum fuit. Qua de re consulendi Aringhus *ibid. tom.* II. *p.* 91. 95. 97., et Bottarius *tom.* II. *p.* 147. 151. et 174.

(1) Vide sarcophagos apud Aringhum *tom.* I. *p.* 291. 313. 319. 323. 325. 331. 333. 423. 613. 615. 622., et *tom.* II. *pag.* 395. 399., et picturas apud eumdem *tom.* I. *p.* 535. 539, 563. 571. 589., *tom.* II. *p.* 25. 71. 87. 101. Similes figuras exhibet Bottarius *ibid. tom.* I. et II. Adiais praeterea Ciampinum *loc. cit.*, et Bonarrotium tab. 1. fig. 1., quo loco exhibetur lamina aerea, cui est insculpta Mosis ex rupe aquam elicientis imago. Confer tab. relatam *tom.* I. *huius op. p.* 263. *fig.* 1.

(2) Vide Iustinum martyrem *apol.* I. n. 63. *p.* 83. *seq.*, et in dialogo cum Tryphone n. 60. *p.* 165., et 127. *p.* 233. *edit. venet.*, et Tertullianum *lib. adversus iudaeos cap.* VIII. *p.* 194. *edit. venet. an.* 1744., et *lib.* II. contra Marcionem *cap.* XXVII. *p.* 395., et *lib.* III. *cap.* IX. *p.* 402., et contra Praxeam *cap.* XVI. *p.* 510. Novi Petavium nescio quid contra Tertullianum, et Iustinum disputare in *v.* de trinitate libro. Sed horum est patrum a p. Marano benedictino congregationis s. Mauri viro doctissimo in opere *de divinitate Christi pag.* 383. *seq. edit. paris.*, et a Georgio Bullo homine alioqui de episcopalium secta in opere de fide antenicaenorum patrum *pag.* 12. *seq. edit. oxon. an.* 1688. vindicata sententia.

(3) Quemadmodum enim tum primum Deus Mosi praecepit, ut de liberandis a captivitate hebraeis cogitaret, *exod.* III. *v.* 7. *seq.*, ita christiani cum haec sibi proponerent, vindicatum intelligebant genus humanum Christi opera, et sacrificio in libertatem. Confer auctorem carm. adversus Marcionem inter opera Tertulliani *lib.* III. *p.* 634. *edit. venet. an.* 1744.

(4) Consule Aringhum *lib.* V. *Romae subterr. p.* 482. *tom.* II. quo loco multa, quae ad hanc rem spectant, persequitur.

(5) Videndus Aringhus *lib.* V. *cap.* XII. *pag.* 462. *seq. tom.* II. *Rom. subterr.*

(6) Consule Bonarrotium *tab.* 1. *fig.* 1. *pag.* 5. *delle osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi di vetro ec.*

potiebantur, educta, sic statuit Iustinus vetus auctor in primis, atque philosophus in eo dialogo, qui contra Tryphonem inscribitur: esse eam symbolum cognitionis rerum divinarum, quam gentes, quae verum Deum ignorabant, consequuturae gratia Christi servatoris (1) essent. Quod si sunt, qui alias item eius rei significationes consectentur, nemo tamen est, qui hunc scriptorem non verissime sentire censeat. Intelligo autem esse aliquos, qui virga Mosis crucem indicari (2) putent, a quibus nulla est caussa cur dissentiam (3).

8. Iam vero Pharaonis aegyptiorum regis, qui cum israelitas insectaretur cum exercitu in mari rubro perierat, eventu christiani veteres suos (4) commonere videbantur, ut ne perturbarentur, neque animis conciderent, cum contumeliis exagitatos se, insidiis, calumniaque vexatos, omnique suppliciorum genere excruciatos intuerentur; confiderentque fore, ut hostibus, qui ecclesiae vastitatem ac pestem frustra machinarentur, victis, migrarent ipsi victores in patriam (5) beatorum. Inesse item ei rei alias significationes (6) putabant. In his baptismum, cuius aquis sub-

(1) Iustinus martyr *dial. cum Tryph.* n. 69. *p.* 176. *edit. venet. an.* 1747., *et n.* 131. *p.* 239.

(2) Iustinus *ibid.* n. 86. *p.* 183. « Quem autem scripturae rursum gloriose, postquam crucifixus fuisset, venturum demonstrant, illius symbolum fuisse tum lignum vitae, quod dictum fuerat in paradiso plantatum fuisse, tum ea, quae omnibus iustis eventura erant, dictum audite. Moses cum virga missus est ad populum liberandum, eamque manibus gestam, cum populum antecederet, mare diasecuit. Per eam ex petra aquam scaturientem vidit etc. ».

(3) Confer Aringhum *lib.* v. *Romae subterr.* *cap.* III. *p.* 483. *tom.* II., et Bottarium locis supra indicatis. Vetus auctor carminum contra Marcionem *lib.* III. *p.* 634. inter opera Tertulliani *edit. an.* 1744.

« Dux populi Moses, qui limina regia liquit,
« Spernens divitias florentes tempore parvo,
« Maluit afflictus populi portare labores.
« Submixa cervice minis non territus ullis,
« Quam sibi delicias, multasque remittere poenas.
« Pro magnaque fide, pro tanto mirus amore,
« Armatus virtute Dei magnalia gessit.
« Percussit gentem plagis, terramque reliquit,
« Confudit gentem, mundum populumque reducit.
« Calcavit fluctus, hostes demersit in undis,
« Fecit aquam dulcem per lignum, semper amaram,
« Cum Christi populo manifeste multa locutus,
« Cuius de facie lux, et nitor ore refulsit,
« Acceptam legem per paucos fudit in orbem,
« Exempla implicita propriorum certa laborum,
« *Percussit petram, inscus quoque flumina fudit,*
« Extenditque manus, et signo vinceret hostem,
« Omnia de Christo per Christum cuncta loquuntur.

(4) Pharaonis casum, triumphumque israelitarum in suis sarcophagis exprimi christiani veteres curabant. Confer Aringhum tom. I. *Rom. subterr.* *p.* 331., *et tom.* II. *p.* 397., eadem refert Bottarius *tom.* I. *p.* 167.

(5) Vide *exod.* *cap.* XIV. *v.* 1. *seqq.* Confer sanctum Cyprianum lib. de exhortatione martyrii n. 7. *pag.* 174. *edit. oxon. an.* 1682., et Prudentium in *tetrastichis* *p.*256. *edit. an.*1625., qui inquit

« Tutus agit vir iustus iter, vel per mare magnum,
« Ecce Dei famulis scissum freta rubra dehiscunt,
« Quum peccatores rabidos eadem freta mergunt,
« Obruitur Pharao, patuit via libera Mosi.

Adeundus Clem. alex. *lib.* IV. *strom.* *p.*543. *edit. an.* 1641., Aringhus *lib.* v. *cap.* XIII. *p.* 485.

(6) Confer Tertullianum *lib. de poenit.* *cap. ult* *p.*129. *edit. venet. an.* 1744., et e novis Aringhum *loc. cit.*

mergi humani generis inimicum, adserique eos, qui initiarentur (1), in libertatem filiorum Dei cognoverant.

9. Nam arcam foederis proponebant, quasi Christum, cuius ea (2) symbolum fuerat, sibi, suisque ante oculos constituerent. Atque arcam considerantes, qua olim tabulae testamenti, et manna continebantur, Christi doctrinam considerabant, a qua sine summo flagitio nemini recedere liceret (3).

10. Quin etiam candelabrum, quod Deus poni contra mensam *in latere tabernaculi meridiano* praeceperat, in lapidibus sepulcralibus, aut in lucernis, tabulisque fingere, exprimereque maiores nostri (4) solebant. Cuius quidem rei, ut cetera omittam, haec quoque in caussa fuerunt. Primo, ut Christum, qui nos lumine doctrinae collustret (5); secundo, ut ecclesias significarent (6).

(1) Adisis s. Gregorium nazianzenum *orat.* 39. *p.* 634. *edit. colon. an.* 1690. ceterosque patres, quos laudat Bottarius loco modo indicato p. 171.


(2) Aringhus *lib.* III. *cap.* XXII. *p.* 534. *tom.* I. in tabula 4. cubiculi primi coemeterii s. Callisti arcam foederis exhiberi suspicatur. Contra putat Bottarius *tom.* II. *pag.* 20. Utut est, negari profecto non potest, quin arca foederis symbolum Christi servatoris esset. Atque eius sanae rei, praeter patres, quos laudat *ibid.* Aringhus, testis est Clemens alexandrinus in v. stromateon libro *p.* 578. *edit. paris. an.* 1641. Rursum quod Bonarrotius tabernaculum p. 20., hoc idem vitrum Boldettus arcam exprimere contendit p. 201.

(3) Clemens alexandr. *ibid.* inesse quoque arcae alias significationes arbitratur. Adeundus Clemens *ibid. p.* 563. *seqq.*


(4) Candelabrum pingi, sculpive in sepulcris christianorum consuesse, testata res est. In coemeterio, ut Aringhus putat, ss. Quarti, et Quinti repertus lapis est, in quo Lazari sepulcrum; mosaicae legis candelabrum, sed paullo discrepanti figura ab eo, quod in arcu triumphali Titi, in lucernis, quarum mox schemata producam, inque vitris, quae refert Bonarrotius tab. 2. fig. 1. operis saepe laudati, exhibetur; trutina, domus, piscis cernuntur. Ac sepulcrum quidem Lazari nonnisi a christianis sculpi, aut pingi potuisse, certum est. Quid si in coemeteriis reperta lucerna huiusmodi (vid. tab. 2. num. 2) fere est, quae in museo Victorio servatur, cui est impressa candelabri figura, cuiusque similem refert Boldettus p. 527.? Vide Aringhum *lib.* IV. *cap.* VII. *pag.* 19. *tom.* II. *Rom. subterr.* Quod autem is auctor arbitratur, coemeterium detectum an. 1602. in via portuensi a Bosio, proprium fuisse hebraeorum, qui Romam agebant, propterea quod nullum ibidem symbolum inventum fuerit, quod spectare ad christianos videretur, sed solum candelabrum (vid. ibid. num. 3.) vel in pariete pictum, ut hoc est, quod proponimus; vel lucernis fictilibus impressum, non tam est grave argumentum, ut a nobis extorquere assensionem possit. Confer Bottarium tom. II. *in praef. p.* 9. Similem eius lucernae *refert* Petrus Sanctes Bartholus *lucern. antiq. p.* 111. n. 32., quamque Bellorius illustrator statuit, iudaei cuiuspiam fuisse, quod mos apud eam gentem obtineret, ut more ethnicorum, lucernas ad sepulcra mortuorum accenderent. Id vero satis grave argumentum esse negari ad id constituendum quod Aringhus quasi certum sumit, propterea quod in monumentis christianorum cum aliae veteris testamenti, tum candelabri etiam, ut est animadversum, ne repugnante quidem Aringho, figurae inveniuntur. Vide Gruterum p. 1058. Ac Zosimi inscriptionem, cui suppositum est candelabrum, christianam esse Reinesius censuit *epist.* XXI. *n.* 300. *p.* 359. Sed contra pugnat Fabrettus *inscript. cap.* v. *p.* 339. *edit. an.* 1689. Iam vero, ut olim, sic sequiore aetate factum id quoque a christianis fuit. Namque apud Muratorium exempla eius rei non admodum antiqua cernere cuique licebit tria. Neque est verisimile in hebraico coemeterio nullam fuisse repertam hebraicam inscriptionem. Quod si perplures iudaeorum Romae degentium hellenistae, et aliqui saltem palaestini erant. Sed de candelabri figura ab iudaeis, christianisque usurpata qui plura volet, consulat Lupium *monum. s. Severae p.* 177., et Bottarium *praef. ad tom.* II. *p.* 6. *seq.*

(5) Clemens alexan. lib. v. stromateon *p.* 563. *edit. paris. an.* 1641. *inquit:* « Habet aliud quoque aenigma « aureum candelabrum signi Christi, non figura sola; « sed eo etiam, quod lucem immittit multifariam, mul« tisque modis in eos, qui in ipsum credunt etc. ».


(6) S. Cyprianus *adv. iudaeos n.* 20. *pag.* 27. *edit.*


CALEVIVS BENDIDIT AVIN TRI SOMVVBIPOSITI ERANT VINI ET CALVILIVS ET
LVCIVS INPA COS STIL

2.



3.



11. *De Sampsone*, 12. *de Iobo*, 13. *de Davide*, 14. *de Elia*, 15. *de Tobia*, 16. *de tribus pueris in fornace babylonica consistentibus*, 17. *de Daniele*, 18. *de Iona*, 19. *de Ezechiele*.

11. Sampsonem, quem viribus corporis maxime valuisse, foresque urbis Gazae, quae urbs in potestate erat philistinorum, abstulisse (1) constat, Christi, qui claustra inferorum sustulerit, aditumque in caelum mortalibus aperuerit, significasse, traditum memoriae a patribus (2) est, quibus vehementer assentior. Quapropter mirabile non est, si huius item portas deferentis imagines adumbratas ab antiquis christianis conspiciamus (3).

12. Iobi autem figuram idcirco depingi in coemeteriis (4) curabant, ut memores eorum, quae incredibili constantia, virtuteque animi perpessus esset; eius in perferendis laboribus, iacturis bonorum, doloribus (5) patientiam imitarentur. Sibi enim persuaserant, si Iobi fortitudinis virtutisque imitatores fuissent, fore ut quemadmodum ille post aerumnas requiem, salutem, felicitatem, duplicatis commodis, honoribus, divitiis consequutus est, ita ipsi heroes in gloria sempiterna felices, beatique futuri essent (6).

13. Atque eadem sane veteres mente, ac ratione Davidis sibi imagines proponebant (7). Non enim id faciebant solum, quod ille Christi figura esset, quem Christum cum verum Deum, ser-

eiusd. oxon. « Sterilis, *inquit*, septem peperit, et quae » plurimos habebat filios infirmata est. Filii autem » sunt ecclesiae septem. Unde et Paulus septem eccle» siis scripsit; et apocalypsis ecclesias septem ponit, ut » servetur septenarius numerus: ut dies septem, qui» bus Deus mundum fecit, ... et lucernae septiformes » in tabernaculo etc. ». Confer, quae de ecclesia paullo ante disputat.

(1) Cap. xvi. Iudicum v. 3. seq.

(2) Adeundi Aringhus *lib.* v. *cap.* xv. *p.* 488., Ciampinus dissert. de duobus emblematibus musei cardinalis Carpinei n. 7. p. 23., Bonarrotius tab. 1. fig. 1. p. 2.

(3) Consule Aringhum *Rom. subterr. lib.* iv. c. xxxvii. *pag.* 331. *fig.* 2., et emblema primum musei Carpinei apud Bonarrotium tab. 1. fig. 1., et Ciampinum loc. cit. pag. 18.

(4) Confer Aringhum *tom.* i. *p.* 277. 533. 551., et tom. ii. *p.* 25. 75. *etc.*

(5) Adeundus s. Cyprianus *lib.* iii. *testimonior.* n. 6. *pag.* 63. *edit. oxon.*, et *lib. de mortalitate pag.* 159. Vide etiam Aringhum loc. cit.

(6) Tertull. *lib. de patientia cap.* xiv. *seq. pag.* 148. *edit. an.* 1744., et Pontius diaconus de s. Cypriano episcopo carthaginiensi agens, apud Ruinartium *act. ss. mm. sinc. p.* 180. n. 3. *edit. veron.*, et initio *opp. Cypr. edit. oxon.* an. 1682. *p.* 2. „ Nam et sermo illi, *inquit*, de „ hoc fuerat assiduus, ut si quidem praedicatum Dei „ laudatione legisset, suaderet inquiri, propter quae fa„ cta Deo placuisset, si Iob, Dei testimonio gloriosus, „ dictus est veri Dei cultor, et cui in terris nemo com„ pararetur, faciendum docebat ille quidquid Iob ante „ fecisset, ut dum et nos paria facimus, simile in „ nos Dei testimonium provocemus etc. „. Confer quae sequuntur.

(7) Vide tab. 1. fig. 3. cubiculi tertii coemeterii s. Callisti, quem post Aringhum edidit Bottarius tom. ii. *pag.* 30.

vatorem, vindicemque salutis, ac libertatis suae esse crederent, variis symbolis expressum, veluti praesentem contemplari studebant, ut eius amore incendi vehementius, atque inflammari possent; sed etiam uti memores (1) latebrarum, in quas se prophetes idem abdiderat, cum ab Saule rege quaereretur ad necem, squallorem cryptarum, in quibus latebant non repugnanter ferrent, et virtute tandem, ac patientia regnum, non terrenum illud quidem, sed caeleste, perpetuumque consequerentur. Quid? si funda instructum, paratumque ad pugnandum Davidem exhibuerunt, ut eius exemplo ostenderent, christianos, quos ethnici insectarentur, fide munitos, paratosque ad certandum esse oportere, quo superato hoste generis humani, quem a Goliatho gigante indicari norant, victores in caelestem patriam ingredi possent (2)?

14. Eliae vero prophetae curro igneo rapti pictas, sculpasque imagines in coemeteriis (3), aliisque locis, quae Deo consecrata essent, veteres ponebant, ut intelligerent christiani, post labores, pericula, gravesque calamitates, quibus conflictabantur, salutem, gloriam, resurrectionem denique futuram (4).

15. Nam Tobiae iconem cur nostri fingerent (5) multae, eaeque iam gravissimae caussae postulabant. Principio, quod piscis, cuius virtute pulsus e Sarae corpore diabolus, et ei viro restituta lumina fuerunt, Christum coercentem diabolum, gentesque universas illuminantem, atque sanantem (6) significarent. Deinde quod symbolum gloriae, post aerumnas concedendae, Tobias esset. Postremo quod aqua, in qua piscis manebat, figura baptismi esset, sine quo vivere in Christo credimus posse neminem (7).

(1) Consule Aringhum *lib.* v. *cap.* xvii. *p.* 491.

(2) Confer Aringhum *ibid.* *p.* 489. *seq.*

(3) Adeundus Aringhus *tom.* i. *p.* 305. 309. 429.

(4) S. Irenaeus *lib.* v. *contra haereses cap.* v. *p.* 298. *edit. paris.* an. 1710. Adisis Bottarium *tom.* ii. *pag.* 13., et Aringhum *lib.* v. *cap.* xvii. *p.* 492. De pallio, quod porrigi ab Elia Eliseo in iconibus videbimus, quae sunt ab Aringho *tom.* i. *pag.* 305. 309. 429. relatae, confer Bottarium ibid., et Villemerum, si quidem licet, *de pallio Eliae thesaur. dissert. theolog. philolog. tom.* i. *p.* 509. *seq. edit.* an. 1701.

(5) Vide Aringhum tab. 3. cubiculi tertii coemeterii s. Callisti *lib.* iii. *cap.* xxii. *fig.* 2 *p.* 551., et Bottarium *tom.* ii. *pag* 34., et vitrum apud Bonarrotium tab. 2. fig. 2.

(6) Confer quae dixi *tom.* i. *huius oper.* *p.* 60., Aringhum *lib.* v. *cap.* xii. *p.* 497. *seq.*, et Anselmum Costadonum monachum camaldulensem virum eruditum *dissert. sopra il pesce come simbolo di Gesù Cristo* §. 2., auctorem libri *de promiss. et praedict. inter opera s. Prosperi* *p.* 165. *edit.* an. 1711. *p.* 11. *cap.* xxxix. inscripto „ Praedictio in „ Tobia ex pisce Christo, et daemonia fugari, et illuminari caecos „.

(7) Vide quae dixi *tom.* i. *huius oper.* *p.* 58.

16. Sidrachum, Misachum, et Abdenagum pueros, religionis caussa, in caminum ignis iussu Nabuchodonosoris regis iniectos fuisse, indeque, propterea quod Deo confiderent, evasisse, quin ullum salutis ceperint detrimentum (1), testata res est. Ergo ut in fide, speque in Deum se, suosque nostri homines (2) confirmarent, hortarenturque non oratione modo, sed etiam exemplo aliorum, ut ne tormentis a suscepto consilio deterreri se sinerent, imagines eorum puerorum pingi in parietibus (3), et sarcophagis (4), aliisque lapidibus insculpi fecerunt.

17. Quo consilio factum est, ut Danielis etiam in lacu (5) leonum consistentis, extensisque brachiis orantis imaginem exhiberent. Quemadmodum enim is prophetes, qui res a Christo praeclare, fortiter, magnaque cum gloria gestas, longe ante quam accidissent, luculenter descripserat, divino praesidio servatus incolumis fuit; ita ii, qui Christo se totos dediderant, sin minus reprimere bestias, quibus exponi ab ethnicis solerent, consequi quidem certe vitam sempiternam, salvique in regnum caelorum pervenire se posse sperabant (6).

18. De Iona, quoniam dictum copiose est libro (7) superiore, nihil hoc loco attinet (8) dicere. Hoc quaeri potest: cur pi-

(1) Daniel. *cap.* III. v. 12. *seq.*

(2) Vetus auctor carminum contra Marcionem *lib.* III. inter opera Tertulliani *pag.* 635. sic habet:

« Ex numero tanto decretum regis iniquum
« Contempsere pii, quorum data corpora flammis,
« Tradere se poenis potius, pro nomine magno,
« Quam genibus nisi simulacro pandere palmas.
« Iam praeclara fides, iam spes super omnia fulgens
« Extinxit rabidos ignes, et vicit iniquos.

Adeundi Tertullianus *lib. scorpiace cap.* VIII. *p.* 493. *edit. an.* 1744., s. Cyprianus *lib.* III. *testimoniorum num.* 10. *p.* 64. *edit. oxon.*, et *de exhort. martyr. p.* 178., et *epist.* VI. *ad Sergium, et Rogatianum etc. pag.* 13., *epist.* XVIII. *p.* 122., et *epist.* LXI. *pag.* 144. Confer Aringhum *lib.* V. *cap.* XI. *p.* 499. *tom.* II.

(3) Consule Aringhum *tom.* I. *p.* 379. 539., et tabulam 1. cubiculi 2. coemeterii s. Callisti fig. 3., quam ipsi ex Aringho attulimus *tom.* I. *huiusce oper. p.* 263.

(4) Aringh. *ibid. pag.* 295. 333. 619., *et tom.* II. *pag.* 401.

(5) Vide sarcophagos in coemeteriis repertos apud Aringhum *tom.* I. *p.* 277. 331. 333. 423. 613. 622., *et tom.* II. *pag.* 401. Confer etiam picturas coemeteriales apud eumdem *tom.* I. *pag.* 543. 545. 347. 567. 571., *et tom.* II. *pag.* 66. 101. 105. Easdem imagines refert Bottarius *tom.* I. *et.* II. Extat in museo vaticano inter nummos maximi moduli lamina aerea, qua exhibetur Daniel brachiis extensis inter leones duos orans Deum, cui Danieli Abacuchus propheta dextera manu naviculam panum plenam porrigit. Nam quod apud Bottarium *tom.* II. *p.* 26. sinistra manu naviculam tenere videatur, error illius fuit, qui lignο figuram incidit. Vide eamdem *fig. tom.* I. *huius op. pag.* 190. Quid? quod in emblemate musei Carpinei 1., quod Ciampinus singulari dissertatione illustravit, Daniel stans, extensisque manibus inter leones cernitur? Vide Ciampinum *ibid. p.* 18., et Bonarrotium tab. 1. fig. 1.

(6) Confer Tertullianum *lib. de idololatr. cap.* XV. *p.* 93. *edit. venet. an.* 1744., Clementem alexandrinum *lib.* IV. *stromateon p.* 405. *edit. paris. an.* 1641., *et lib.* I. *p.* 329. ceterosque, quorum testimonia adducit Aringhus *lib.* V. *cap.* XXX. *p.* 502. *seq.*

(7) *Tom.* I. *p.* 254. *seq.*

(8) Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone n. 107. *p.* 212. « Quod tertio die, postquam crucifixus fuisset « (Christus) resurrecturus erat; scriptum est ..... ho« mines vestri generis, (o Iudaei) cum disputarent « cum eo, dixisse, *ostende nobis signum*, eumque re-

scem, qui Ionam voravit, draconis forma christiani veteres adumbraverint. Eius autem rei hanc patres afferunt (1) caussam. Piscem diaboli fuisse figuram pugnant. Appellari autem diabolum in sacris bibliis draconem. Nam ratio, quae maiores nostros impulit, ut sub cucurbita iacentem Ionam (2) depingerent, satis perspicua est. Cucurbitam enim, quod nunc hederam latini, ut septuaginta, quae dicitur, interpretum versio postulabat, legebant, antequam emendata fuissent sacra biblia ab (3) Hieronymo. Ex cucurbita autem, vel hedera, quam repente Deus nasci, crescereque fecerat, ut umbra aestuantem prophetam refrigeraret, christiani intelligebant, eis, qui religionis verae caussa vexarentur, sive exsularent, sive abditi, inclusique moererent, Deum semper praesidio futurum (4).

19. Ab Ezechiele autem disertis verbis facta resurrectionis mentio (5) cum esset, depingendam in coemeteriis, ubi sepeliri ab

» spondisse: *generatio prava et adultera signum quaerit,* » *et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae.* Quae cum » ab eo dicerentur arcana, intelligere erat audientibus, eum, postquam crucifixus fuisset, tertio die resurrecturum. Ac vestram quidem generationem nequiorem, et magis adulteram civitate ninivitarum » demonstrabat, qui cum eis Ionas e ventre magni piscis tertio die eiectus, praedicasset fore, ut post (quadraginta) tres dies universi perirent, ieiunium omnium prorsus animalium, hominum scilicet, et pecudum, cum saccis, et vehementi eiulatu, et vera ex » cordibus conversione ... promulgarunt ... Quinetiam » cum moereret Ionas, quod die (quadragesimo) et tertio, ut praedicaverat, urbe eversa non fuisset, prudenti consilio Deus hederae illi e terra proferenda, » sub qua sedens ab aestu obumbrabatur (erat autem » hedera repentine cucurbita, nec plantata a Iona, » nec irrigata, sed subito ad umbram ei ministrandam exorta) easque rursus alio praecepto exsiccanda, » qua ex re angebatur Ionas, itaque eum moerere arguit Deus, quod civitas ninivitarum eversa non fuisset. *Tu pepercisti,* inquit, *hederae, in qua nihil fecisti* » *operae, neque nutrivisti eam ... et ego non parcam super* » *Ninive etc.* ». Consule patrum loca, quae in hanc rem adducuntur a Natali alex. *hist. eccl. vet. test. pag.* 196. *tom.* II. *edit. lucensis an.* 1734.

(1) Consule Aringhum *lib.* V. *cap.* XXII. *p.* 505. *seq. tom.* II.

(2) Praeter monumenta, quae modo dixi ab Aringho proferri, quaeque nos *tom.* I. *huius operis loc. cit.* descripsimus, confer emblema paullo ante laudatum musei Carpinei apud Ciampinum, et Bonarrotium *loc. cit.* Adeo autem hoc symbolo, quod misericordiam Dei erga resipiscentes homines indicat, christiani veteres delectabantur, ut non solum in vitris, sarcophagis, in laminis, in parietibus pingi, sculpique, sed etiam in aeneis, fictilibusque lucernis atque in gemmis exprimi curarent. Vide *tom.* I. *huius op. p.* 254., et Petri Sanctis Bartholi *lucern. par.* III. *tab.* 29. *et* 30., et gemmam foggianam, quam dedi tab.

(3) Vide *lib. Ion. cap.* IV. V. VI. *seq.* Septuaginta autem interpretum versio habet κολοκύνθαν, quod est *cucurbita.* Hebraei legunt *kikaion,* quod interpretes aliquot scripturarum genus plantae esse putant, quod ab latinis *palma Christi* vocari solet. Ac de hac quidem re disputatum ab Hieronymo, et Augustino fuit, illo pro *hedera,* hoc vero contra pro virgulto nescio quo pugnante. Consule Hier. *epist.* LXXIV. *al.* LXXXIX. *p.* 625. *tom.* IV. *opp. edit. Martianaei,* et August. *epist.* LXXI. *al.* X. *p.* 161. *tom.* II. *edit. paris. monachor. s. Mauri, et epist.* LXXXII. *p.* 206. Rufinus, qui Hieronymo iratus erat, propterea quod castigatus ab eo fuisset, extrema fere *invect.* II. *pag.* 99. *inter opera s. Hieron. tom.* IV. *edit. an.* 1546. sic summum virum irridens habet: « Scribamus etiam in sepulcris veterum, ut sciant et ipsi, qui aliter se gerunt, » quia Ionas non habuit umbram cucurbitae, sed hederae ». Adeundi Bonarrotius *tom.* I. *fig.* 1. *p.* 2. *delle osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro,* Bottarius *tom.* I. *p.* 151. *seq.*, Aringhus *ibid.*, Ciampinus *ibid. p.* 20., et interpretes sacrorum bibliorum in locum modo indicatum prophetiae Ionae.

(4) Confer Aringhum *ibid.*, et Bottarium *tom.* II. *p.* 161. At fuerunt etiam aliae caussae, cur sub cucurbita pingendum Ionam veteres putarent. Vide locum Iustini *pag. super. not.* 8. descriptum.

(5) Consule Iustinum martyrem *apolog.* I. *num.* 52.

ipsis corpora solebant, esse eius mortuos ad vitam revocantis imaginem, maiores nostri (1) putarunt; ut quae illis vita, quae dignitas, quae praemia parata essent, memoria tenerent, maioresque spiritus et ad pugnandum pro Christo, et ad sustinendum sumerent.

20. *De sacris symbolis e novo testamento acceptis, in primisque de Christi imagine in monte consistentis, ex quo monte quatuor flumina oriuntur*, 21. *deque eiusdem crucem, aut virgam gestantis figuris.*

20. Venio nunc ad novi testamenti historiam. Ac de Christi quidem servatoris incunabulis, de Iohanne Baptista, de magorum in oppidum Bethleemum adventu, deque rebus plerisque omnibus praeclare a Christo, cum inter nos ageret, mirificeque gestis, quoniam dictum superiore libro est, nihil esse caussae arbitror, cur esse rursum dicendum putem. Iam vero obtinuerat apud maiores nostros, ut doctrinam evangelii, quae nata ex Christo in universum terrarum orbem manaverat, hoc in primis symbolo significarent. Nempe imaginem servatoris Christi in monte, ita ut traditum ab evangelistis est, docentis, ex quo monte fluvii quatuor, qui terram irrigarent, nascerentur, aut in parietibus sacrarum aedium, et coemeteriorum pingi, aut sculpi in lapidibus (2) fecerunt. Quinetiam fuerunt, qui quatuor eorumdem fluminum symbolo quatuor evangelistas, vel virtutes cardinales, quae item quatuor numerantur, significari defenderent. Quibus profecto symbolis fiebat, ut qui cernerent et gratias referrent Deo, quod imbuti hac caelesti doctrina essent, et darent operam, ut eam non propugnarent modo, sed etiam propagare latius conarentur (3).

p. 76. *edit. venet. an.* 1747., Tertullianum *lib. de resurrectione carnis cap.* xxix. *seq. p.* 343. *edit. venet. an.* 1744., Hieronymum *in cap.* xxxvii. *Ezechielis p.* 958. *seq. t.* iii. *edit. Martianaei*, auctorem quaestionum ad respons. ad orthodoxos inter opera s. Iustini *quaest.* 45. *pag.* 542. *edit. eiusd.*

(1) Vide Aringhum *tom.* i. *p.*227., quo loco exhibet sarcophagum marmoreum in vaticano repertum.

(2) Consule Aringhum *tom.* i. *Romae subterr. p.*281. 293. 294. 297. 299. 301. 321. 425. etc. Haec eadem documenta rursum publicavit eruditissimus Bottarius *tom.* i. et ii. operis saepe a nobis laudati. Neque vero supposita imagini Christi solum, sed cruci etiam quatuor flumina videmus in musivis operibus christianorum. Confer *tom.* i. *p.* 71. *huius operis.*

(3) Confer eumdem Aringhum *lib.* vi. *cap.* xiii. *p.* 543. *seq.*

21. Est autem recte ab Aringho animadversum in plerisque subterraneae Romae cubiculis (sunt haec vero illius scriptoris verba), ac coemeteriorum sarcophagis, ipsius Christi (1) Domini, vel certe (2) Petri, aut aliorum martyrum manibus (3) gemmatam crucem, veluti pretiosum quoddam salutis humanae vexillum pariter, ac symbolum a veteribus christianis fuisse aptatam, ut videlicet, qui ad illibatam Christi fidem accesserunt, et tamen tamquam oves occisionis, ut psalmista ait, a venaticis canibus ad carnificinam ingiter inquirebantur, ubi crucem tam splendide coruscantem in coemeteriorum abditis viderent, se proculdubio vel ipsas inter contumelias, ac insectantium probra, quae Christum confitentibus in dies suppetebant, locupletissimos tamen computarent ..... Ac res eiuscemodi oculis intuentium, ac animis obiecta, invictos pugiles praemonebat, ut promto, libentique animo crucem tollerent. Haec ille. Atque etsi (4) ornandae crucis usus ante Costantini aetatem in ecclesiam invectus (5) esset, tum ta-

(1) Vide sarcophagi marmorei Probi, et Probae ectypon apud Aringhum *tom. I. p.* 281., Bottar. *p.* 56. 115. 138. *tom.* I.


(2) Aringhus *ibid. p.* 293. 295. 297. 299. 301. etc. Eamdem figuram exhibet Bottarius *tom. I. p.* 99. 105. *etc.*

(3) Aringh. *lib.* VI. *cap.* XIV. *p.* 544. *seq.*

(4) Aringhus *ibid.* Confer Iohannem Baptistam Casalium de sacris veterum christianor. ritibus *cap.* II. *p.* 3. *seq. edit. an.* 1644., qui etiam *p.* 4. describit crucem gemmatam, ex opere musivo veteris basilicae vaticanae, et ad pedes eiusdem crucis imaginem agni sanguinem e pectore effundentis.

(5) Sunt qui ante Costantinum gemmatas cruces aut pictas, aut insculptas sarcophagis, aut lucernis aeneis, fictilibusve impressas negent. Ego vero, etsi raro, at aliquando id fuisse ab antiquioribus Constantino christianis factum censeo. Neque enim lucernas omnes, quae in coemeteriis reperiuntur, recentiores esse eo imperatore probari gravi aliquo argumento potest. Quodsi christianos Septimii Severi, sequentiumque imperatorum temporibus, aliquos fuisse dites, annulosque gestasse, quorum gemmis impressum monogramma Christi esset, vasaque pretiosa ecclesiae usui destinata habuisse etc. constat, non equidem video, cur gemmis ornare cruces recusarent, quas maximo honore colere solebant. Lucernae fictilis ectypon, cui lucernae impressa est crux gemmata, atque foliata, circumque crucem corona spinea, refert vir clariss. commendator Franc. Victorius *in nummo aereo p.* 39. Estque ea, quae in tab. 5. num. 1. est signata. Altera lucerna, quam referunt Bosius *Rom. subterr. lib.* III. *cap.* XXXII. *p.* 209. *edit. an.* 1632., et Aringhus *lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 519. *tom.* I. crucem gemmatam praefert, et circum crucem diadema. Eamdem exhibet tabula 4., in qua tres alias lucernas expressas vides, quarum duabus palmae, tertiae monogramma Christi gemmatam crucem praeseferens cernitur. Transferri praeterea huc potest lucerna, quam post Bosium edidit Aringhus: haec vero monogramma, crucis instar nobis exprimit; ut etiam tab. 7. exhibens lucernas duas cum cruce, cui insidet columba.






1



2




3





2



men vigere, latiusque manare coepit, cum virtute Iesu Christi victi (1) tyranni, labara, clypei, galeae militum cruce ornatae,

(1) In primisque Maxentius. Vide, quae dixi *tom.* I. *huius operis pag.* 390. *seq.*, *et tom.* II. *pag.* 208. Eusebius *lib.* I. *de vita Constantini cap.* XXVIII. *pag.* 515. ,, Crucis ,, tropaeum, *inquit*, in caelo ex luce conflatum, soli ,, superpositum ipsis oculis se vidisse (Constantinus) ,, firmavit, cum huiusmodi inscriptione τούτῳ νίκα ,, hoc vince », *et c.* XXIX. *p.*516.: Cogitanti ipsi, et diu ,, multumque apud se reputanti, nox tandem super- ,, venit. Tum vero Christus Dei dormienti apparuit ,, cum signo illo, quod in caelo ostensum fuerat, prae- ,, cepitque, ut militari signo, ad similitudinem eius, ,, quod in caelo vidisset, fabricato, eo tamquam salu- ,, tari praesidio in praeliis uteretur ,,. *Cap.* autem XXX. narrat Eusebius, quemadmodum artifices a Constanti- no acciti, doctique fuerint modum eius signi militaris, quod labarum vocant, construendi; tum subdit cap. XXXV. ,, Erat autem huiusmodi. Hasta longior auro contecta ,, transversam habebat antennam instar crucis. Κέρας ,, εἶχεν ἐγκάρσιον σταυροῦ σχήματι πεποιημέ- ,, νον ,,. Igitur crux hac antenna transversa, non mo- nogrammate exprimebatur. Nam supra antennam fa- stigio crucis imposita erat corona, qua corona gemma- ta includebatur monogramma, ut mox addit Eusebius. Supra autem πρὸς ἄκρῳ τοῦ παντὸς, στέφανος ἐκ λίθων πολυτελῶν, καὶ χρυσοῦ συμπεπλεγ- μένος κατεστήρικτο. *In extremo totius hastae co- rona variis gemmis auroque contexta constituta erat* καθ' οὗ τῆς σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο ςοιχεῖα τὸ Χριςοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα, διὰ τῶν πρώτων ὑπεσημαῖνον χαρακτήρων, χιαζομέ- νου τοῦ Ρ κατὰ τὸ μεσαίτατον. *In qua* (corona) *salutaris appellationis symbolum, duo litterarum elementa Christi indicantia nomen per primos (duos) characteres* (vo- cis Χριςός) *littera* ρ *in medio decussata.* Huius labari figuram, qualem describit Eusebius, cernere licet in nummo relato a Baronio ad an. 312. n. 26., a Ban- durio, aliisque. Extat quoque apud clarissimum Passe- rium Pisauri lucerna fictilis, in qua labarum eadem omnino ratione expressum videtur. Confer tab.6.n.2.3. Vide etiam Georgium *de monogramm. Christi p.* 10. Est autem in ea lucerna singulare, quod non solum ha- stam, transversam antennam crucis imaginem exhiben- tem, et coronam cum incluso monogrammate exhi- beat; sed etiam antennae appensam tabellam, in qua sunt litterae ἐν τούτῳ νίκα *in hoc vince*, quas litteras fuisse visas in caelo a Constantino Eusebius scribit *cap.* XXVIII. *p.* 516. *edit. Cantabrig.* Praeterea imagines militum duorum, qui ad labari latera hinc inde ga- leati, dextera batillis, et sinistra clypeis innixi starent, impressae lucernae eidem visuntur. Ex quo vetustissimo monumento in coemeteriis reperto intelligi licet, quam esset olim celebris visio Constantini, quamque recte ab Eusebio descripta fuerit. Nam recentiores quosdam hy- percriticos nihil moror. Non enim qui suo arbitratu negant, sed qui documenta in promtu habent, hi sunt, mea quidem sententia, audiendi. Praeterea in vitris coemeterialibus eadem labara, quae crucem praeferre- rent, depingebantur, ut in hoc musei Victurii, quod edidit eruditissimus, nobilisque in primis vir Franciscus Victurius *diss. glyptograph. c.* XIV. *p.* 44. Vide tab.5.n.2. Ad scuta militum quod attinet, confer Lucium Caeci- lium *de mortibus persecutorum cap.* XLIV. *p.* 339. *tom.* II. *opp. Lactantii edit. paris. an.* 1748. ubi ,, Commonitus ,, est, *inquit*, Constantinus in quiete, ut caeleste si- ,, gnum Dei notaret in scutis ,,: caelesti autem signo crucem indicat, ut ex Lactantii, cuius esse hunc li- brum permulti censent, *lib.* IV. *instit. cap.* XXVII. *p.*347. *edit. eiusd. tom.* II. liquet. Nam quod ad galearum cri- stas, labarum, clypeosque simul spectat, Prudentius in I. *contra Symmachum libro pag.* 219. *edit. an.* 1655. sic habet:

,, Agnoscas regina libens mea signa necesse est,
,, In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
,, Aut longis solido ex auro praefertur in hastis.
,, Hoc signo invictus transmissis alpibus ultor
,, Servitium solvit miserabile Constantinus,
,, Quum te pestifera premeret Maxentius aula,
. . . .
,, Testis Christicolae ducis adventantis ad urbem
,, Mulvius, exceptum tyberina in stagna tyrannum
,, Praecipitans, quanam victricia viderit arma
,, Maiestate regi, quod signum dextera vindex
,, Praetulerit, quali radiarint stemmata pila.
,, Christus purpureum gemmanti textus in auro
,, Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
,, Scripserat, ardebat SVMMIS CRVX ADDITA CRISTIS.

Erunt qui solum monogramma clypeis militum im- pressum dicant. Sic enim quidem Caecilii locum in- telligunt. Eodemque spectare versus Prudentii viden- tur. Sed cum Lactantius *salutare signum* crucem appel- let, Caecilius vero *caeleste signum* impressum clypeis scribat, sequitur, ut verisimile sit, signum quoque crucis impressum clypeis fuisse. Nisi forte velis a mo- nogrammate non Christi nomen solum, sed figuram etiam crucis indicari, adeoque unum monogramma utriusque rei symbolum fuisse clypeis impressum, id quod verisimilius esse censeo. Vide Coperum *in not. in Lactant. tom.* II. *edit. nov. pag.* 500.

posita marmora, eiusque (1) nummi fuerunt (2), quibus significaretur, spem atque salutem reipublicae Christum crucifixum esse, cuius praesidio romani, mortalesque ceteri adserti essent in (3) libertatem. Quamobrem quod victoriae a Christo partae, salutisque humanae tropaeum tot oraculis, figurisque a prophetis praenunciatum (4) in abditis olim, occultisque locis aut pingere nostri, aut sculpere consueverant, ut si veram, stabilemque gloriam adipisci vellent, exemplo Christi ad incommoda, aerumnas, mortem ipsam aequo, hilarique animo perferendam (5) incitarentur; idem post signum multo ornatius in (6) templis, in (7) palatio, in statuis (8) summisque columnis, in privatis publicisque aedi-

(1) Consule Bosium *lib.* II. *cap.* VIII. *p.* 59. 61. 63. 65. 67. 69. 75. 76., quo loco sarcophagum exhibet, in quo medio est crux ita insculpta, ut Constantino apparuit, descriptaque fuit ab Eusebio; Aringhum *lib.* II. *cap.* X. *p.* 293. 295. 297. 299. 304. 307. 311. *tom.* I. *etc.* Baronium ad an. 312., Mabillonium *annal. bened. tom.* I. *lib.* XVIII. *n.* 72. *p.* 575. *seq. edit. lucensis*, Bottarium *loc. indic.* Nam monumenta, quae ibidem proferunt, facta esse arbitror post pacem, Constantini opera, ecclesiae restitutam.

(2) Ad Crispum Caesarem spectat nummus, qui servatur in museo Burghesio, et est a Blanchino viro clarissimo initio *tom.* IV. *Anastasii bibliothecarii edit. rom. Salvioni* animadversum. In huius postica cernitur imago Christi servatoris media inter figuras duas, quas aliqui Crispum, et iuniorem Constantinum exhibere putant. Mihi duo milites videntur. Christi effigies sinistra crucem tenet, et quasi benedicat dexteram protendit. In peripheria nummi leguntur litt. SALVS ET SPES X REIPVBLICAE, hoc est, *salus et spes Christus reipublicae*. Vide tab. 6. n. 4. De huius fide dubitavit Baronius. Itaque praetermittendum in priore annalium editione putavit. At virorum, qui harum rerum peritissimi habebantur, in primisque Fulvii Ursini auctoritate permotus in altera ponendum curavit ad an. 324. n. 14.; Bandurius *tom.* II. *p.* 324. non Christi eam esse figuram, quam descripsimus, sed Constantini defendit. Verum Baronio, virisque gravissimis, qui nummum viderunt, assentiri malo. Confer Georgium *de monogrammate Christi cap.* V. *n.* 10. *p.* 36., et Petrum Franciscum Fogginium eruditissimum virum *de rom. d. Petri itinere, et apostolatu exercit.* 20. *pag.* 453. Sed de nummis eiusmodi qui plura volet, consulat Iacobi Gretseri *sec.* I. *de num. crucig. cap.* VIII. *p.* 17. *tom.* III. *edit. an.* 1734. Georgium *loc. cit. p.* 35. *seq.*, Baronium *ad an.* 312. *n.* 26. *seq.* Mitto autem Tristanum, Gangium, Bandurium, aliosque numismatum collectores, atque illustratores, ne longa oratione lectori molestiam afferam.

(3) Lege quae scripsi *tom.* I. *huius operis pag.* 391. *not.* 2.


(4) Consule Iustinum martyrem in dialogo cum Tryphone *p.* 215. *num.* 111., et n. 91. *pag.* 199., ubi, „ Atque illam etiam figuram, *inquit*, illudque signum, „ quod adversus serpentium morsus Israeli institu- „ tum est, ad eorum salutem erectum esse liquet, „ qui iam tunc praenunciatam fuisse credunt et mor- „ tem serpenti per eum, qui crucifigendus erat, futu- „ ram, et salutem iis, qui serpentis morsibus laesi ad „ eum, a quo crucifixus ille filius in mundum missus „ est, confugiunt „. Quid? si n. 90. p. 97. extentas manus Mosis crucem significasse scribit? Crucem praeterea praedictam in benedictionibus Iosephi testatur n. 91. p. 198. Similia habet Tertullianus *lib.* III. *contra Marcionem cap.* XIX. *seq. p.* 408. *edit. venet. an.* 1744. Plures autem veterum eadem describentium recensere non est necesse.

(5) Monuerat enim Christus, ut qui eum imitari vellent, suam crucem tollerent, hoc est omnia incommoda, resque adversas, si quae contigissent, libenter ferrent. *Matth. cap.* XVI. *v.* 24. Adeundi Tertullianus *de idololatria cap.* XII. *p.* 92. *edit. venet. an.* 1744., et e novis Aringhus *lib.* VI. *Rom. subterr. cap.* XVI. *seq.*

(6) Vide s. Paulinum nolanum *epist.* XXXII. *al.* XII. *pag.* 203. *edit. veron. an.* 1736., et s. Felicis *natal.* XI. *v.* 638. *seq. ibid. pag.* 496., Iohannem Baptistam Casalium *de vet. sac. christ. ritibus cap.* I. *p.* 4. *edit. an.* 1645., Bosium de cruce triomphante *lib.* VI. *cap.* XI. *p.* 602. *edit. an.* 1617., et quae diximus ipsi *lib.* I. *huius operis p.* 71.

(7) Eusebius *lib.* III. *de vita Constantini cap.* XLIX. *p.* 605. *edit. Cantabrig.* « Tantus divini numinis ardor, « *inquit*, imperatoris animum occupaverat, ut in totius « palatii eminentissimo cubiculo in maxima tabula, « quae in medio lacunaris inaurati expansa est, si- « gnum dominicae passionis ex auro, pretiosisque la- « pidibus elaboratum indiderit „. Confer *eiusdem libri cap.* III. *p.* 577., ubi de imagine Constantini, cui crux superposita, infra autem draco erat, agitur.

(8) Euseb. *lib.* IX. *cap.* IX. *hist. eccl. pag.* 452., et *lib.* I. *de vita Constantini cap.* XL. *p.* 521. *edit. Cantabrig.*,



bus (1) poni, obiicique hostibus ab exercitu populi romani solebat, quod non religione modo christiani, sed experiundo etiam didicissent, cruce se consequi quidquid boni cuperent, posse (2).

Nam quod Christi imaginem ita exhiberent, ut dextera manu virga prodigia patraturus (3) teneret, eo fortasse consilio factum est, ut qui in eam oculos coniecissent, cognoscerent regia ipsum, sacerdotalique valere potestate; propterea quod *virga* utriusque *potestatis* symbolum (4) haberetur. Estque illud, mea quidem sententia, verisimile, virga etiam fuisse a maioribus nostris designatam crucem, ut qui huiusmodi figura crucem in vetere testamento adumbratam fuisse indicarent (5). Quid si arborem vitae, cuius est in genesi facta mentio, significarunt *virgae* symbolo, ut indicarent, arborem eamdem figuram crucis, Christique fuisse, qui sanitatem aegris, vitamque mortuis restituere, si vellet, posset?

22. *De monogrammate* ☧. 23., *deque corona cruci imponi solita, et cuius ambitu monogramma continebatur.*

22. Sed quoniam satis de cruce disputatum est, restat, ut de monogrammate Christi dicendum esse videatur. Nam est in eo X littera, quam plerique omnes antiqui, recentesque rerum christianorum scriptores symbolum quoddam crucis esse (6) arbitrantur. Componitur autem hisce duobus litteris X, et P, quae iunctae hoc modo ☧, Christi nomen significant, ut est demonstra-

Bosius *de cruce triumphante lib.* VI. *cap.* IX. *p.* 587. *seq.*, Gretserum *lib.* II. *de cruce cap.* XLIV. *edit. novae operum tom.* I. *p.* 56.

(1) Adeundi Rufinus *hist. eccl. lib.* II. *cap.* XXIX. *p.* 247. *edit. lugdun. an.* 1570., Socrates *lib.* V. *cap.* XVII. *p.* 283., Sozomenus *lib.* VII. *cap.* XV. *pag.* 298. *edit. Cantabr.*, et e novis Dominicus Georgius *de monogramm. Christi cap.* VIII. *p.* 46. *seq.*

(2) Euseb. *lib.* III. *de vita Constantini cap.* XLIX. *p.* 605., Lactantius *lib.* IV. *cap.* XXVII. *divin. instit. p.* 346. *tom.* I. *nov. edit.* Sed de signi crucis virtute erit alibi opportunior disserendi locus.

(3) Consule tabulam 7. fig. 1. et 2., et tab. 9. fig. 1. *de' frammenti di alcuni vasi di vetro* m. cl. Bonarrotii. Multa eiusmodi monumenta extant apud Bosium, Aringhum, aliosque rerum veterum christianorum collectores, et aliqua nos vidimus in museo illustrissimi commendatoris Francisci Victorii eruditissimi viri, quae praeterimus, ne nimium longi videamur.

(4) Confer Aringhum *lib.* VI. *cap.* XV. *p.* 648. *tom.* II. *Rom. subterr.*

(5) Vide Iustinum martyrem *dial. cum Tryph. n.* 86. *p.* 193. *edit. opp. an.* 1747. Sed cum virgam Christus, aut sanitatem cuiquam, aut vitam Lazaro restituens, gestare videatur, fieri sane potuit, ut ea virga patres lignum vitae significarent, quam esse figuram Christi virtutis, crucisque censebant. Confer Iustin. *ibid.* Sed Bonarrotius *lib. indic. p.* 62. videri sibi, ait, quod cum Christus eam teneat, cum miracula patrans pingitur, eadem ipsa designari potestatem supra naturam illi a patre concessam.

(6) Consule s. Paulinum *natal.* XI. s. *Felicis v.* 608. *p.* 481. *edit. laudatae*, et Georgium *lib. indic. cap.* IV. *n.* 10. *p.* 25.

stratum paragrapho superiore. Atque video equidem esse nonnulla, quae plane efficiant, hoc monogrammatis genus diu ante Constantini aetatem usurpari a nostris hominibus consuesse. Quamobrem miror fuisse (1) aliquos, qui, contra veterum monumentorum auctoritatem, aliter esse (2) statuendum defenderent. Nisi enim lucernis impressum, at insculptum saltem lapidibus, inque vitris depictum fuisse constat non Diocletiani modo, sed etiam Antoninorum, Hadrianique temporibus. Ego vero non assentior his, qui huiusce monogrammatis factam ab (3) Iustino in priore apologia mentionem putant; ut ne viris quidem doctis, et in hoc genere studiorum magna cum laude versatis, qui ab se in Cle-

(1) Errat Fortunius Licetus, qui *lib. vi. de lucern. cap.* XLVII. *pag.* 866. *edit. an.* 1662. negat τὸ ☧ nisi additae litterae Α et Ω fuissent, a christianis ante Constantini tempore usurpatum. Igitur non a Georgio solum *lib. de monogramm. Christi p.* 9., sed etiam a Menckenio homine ceteroqui de secta lutheranorum refellitur *diatrib. de monogr. Christi tom. I. opusculor. p.* 92. *seq. edit. an.* 1734. Iacobus Basnagius *hist. des juif. lib.* XII. *cap.* XXIII. *pag.* 617. *tom.* III. *edit. an.* 1716. „ Il „ n'y a rien, *inquit*, de plus connu depuis Constan„ tin, que le monogramme de Iesus Christ ... Cepen„ dant il ne faut pas s'y tromper; car les payens s'en „ servoient aussi „. Similia habet *lib.* XVIII. *de l'hist. de l'églis cap.* VI. *p.* 1031. *edit. an.* 1699. *tom.* II.

(2) Extabat monogramma in monumento s. Marii militis, et martyris, qui passus est sub Hadriano, quod monumentum retuli *tom. I. huius op. p.* 425., et s. Alexandri, qui sub Antonino martyr decessit, quod etiam descripsi *ibid. pag.* 432. In inscriptione ad sepulcrum s. Caii papae, qui obiit Diocletiano imperatore, quod fuse quidem singulari commentariolo Caesar Becillus congregat. orat. presbyter, breviterque Aringhus *lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 454. *tom.* I., *et lib.* VI. *cap.* XLIII. *pag.* 642. *tom.* II. illustrarunt. Quinetiam martyrum aliorum titulis idem monogramma fuisse insculptum constat. Hos autem martyres ante Constantinum passos fuisse, ne Basnagius quidem negaverit. Namque sub Iuliano si dixerit, vereor ne magis cruentam eius persequutionem fuisse, quam velit, confiteatur. Iam vero in inscriptione sepulcrali s. Primitii τὸ ☧ cernitur, quam nos inscriptionem retulimus *tom. I. p.* 460., quamquam non apposuimus idem monogramma. Nec omissum a sculptore tituli s. Hermetis est apud Fabrettum *cap.* 8. *inscript. p.* 736. ex coemeterio Priscillae:

ERMETES ☧ PASSVS.

Ut ne ab altero quidem, qui hoc sculpsit, apud eumdem *ibid. p.* 639.

Α ☧ Ω

SAN O MARTYRIBVS PETRO IPSO

QVI VIXIT AN. X. PASSVS EST XIIII. KAL. FEBR.

Quid? si extat etiam in sepulcro Laurentii martyris effosso e coemeterio Priscillae, relatoque a Boldetto *lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 370.? Quinetiam in vasculo vitreo coemeteriali, quod sanguine martyris plenum fuisse olim constat, haec indita observavit Bonarrotius

ASIN ☧ PRE

Vitrea praeterea vascula, quae in coemeteriis reperiuntur, vetustatis huius monogrammatis indicia esse manifeste possunt. Vide Bonarrotium *in praefat. operis saepe laudati p.* 13. *seq.*, Georgium *diss. de monogr. Christi cap.* II. *p.* 4. *seq.* Mitto Bosium, Aringhum, aliosque.

(3) Errat Casalius, qui τὸ X. quasi figura, et symbolum crucis sit, memorari ab Iustino martyre putat. Non enim hoc statuit Iustinus, sed Platoni vitio dat, quod ex male intellecta Mosis de aeneo serpente historia, non crucem nominarit, sed verbum decussatum dixerit. Confer eius *apol. I. n.* 60. *p.* 81. *edit. an.* 1747.

mentis alexandrini (1) libris, inque Iohannis (2) apocalypsi rei eiusdem vestigia fuisse reperta dicerent. Namque *signum Dei vivi*, cuius in septimo capite Iohannes meminit, quodque idem esse liquet atque *agni nomen*, quod aliud indicet, quod sit a monogrammate discrepans, etsi suspicari non possum, tamen non est eiusmodi, ut a negante assensionem extorqueat. Quamquam Primasius vetus auctor in primis, et episcopus adrumetinorum τὸ ☧ iisdem in locis ab Iohanne commemoratum fuisse (3) censeat.

(1) Sunt qui Clementem vel monogramma ☧ vel nescio quid huic simile descripsisse in VI. stromateon libro ferant. Adeundus Bottarius *tom.* I. *Rom. subterr. sculpt. e pitt. etc. tab.* 33. *pag.* 134. *edit. an.* 1737. At enim ille stromateus T litteram, quae numeri 300. apud graecos figura est, non ☧ memorat. Φασὶν οὖν, *inquit*, εἶναι τοῦ μὲν κυριακοῦ σημείου τύπον κατὰ τὸ σχῆμα τὸ τριακοσιοστὸν στοιχεῖον. *Aiunt igitur esse dominici signi typum iuxta figuram trecentesimum elementum.* Consule rursum Bottarium *ibid. p.* 83. Meminit praeterea Clemens litterarum, quibus nomen Iesu significatur, idque iam accepit a Barnabae, quae dicitur, epistola, ut mox constabit. Has autem duas fuisse initiales nominis ΙΗΣΟΥ nempe I et H scribit pag. modo indicata. Iam vero, ut quisque intelligit, neuter locus referri in monogramma Christi potest.

(2) Scio Bonarrotium in *praef. ad opus, di alcuni frammenti di vasi di vetro ec. pag.* 13. *seq.*, ex Ezechielis *cap.* IX. *v.* 4. 6. T hebraicum praedicentis, et ex *c.* VII. *apocalypsis Iohannis de signo* electorum, quod signum *Dei vivi* appellat, ut *cap.* XIV. *de nomine agni scripto in frontibus electorum* loquentis, ionatim consideratis, colligere τὸ ☧ iam inde a primis ecclesiae temporibus invaluisse. Non me latet in eadem sententia versari Dominicum Georgium τὸν μακαρίτην *de monogr. Christi pag.* 4., et Iohannem Bottarium virum eruditissimum loc. cit. pag. 134., quamquam is non monogramma, cuiusmodi in usu nunc est, sed simile quidpiam Iohanni memoratum putat. Ego vero, etsi non audeam reiicere uti falsum, at ne probare quidem, quod illi inde concludunt, possum. Nam si τὸ ☧ nomen Christi est, cuiusmodi *signum patris agni* ab Iohanne memoratum fuit? Ac mea sane sic est ratio, quodnam illud fuerit, nulla satis gravi ratione ostendi posse. Ad Ezechielem quod attinet, facile patior iodicari ab eo litterae thau, quae hoc modo olim describi ab hebraeis solebat X. Huius rei cum testes sint Origenes *in Ezech. ad cap.* IX. *tom.* III. *opp. pag.* 424. *edit. monach. s. Mauri*, et Hieronymus *in cap.* IX. *Ezech. pag.* 754. *tom.* III. *opp. edit. Martiannei*, tum argumenta e siglis suppetunt haud contemnenda, ut est demonstratum contra Scaligerum ab Hieronymo Alexandro iuniore *epist.* IV. V. *seqq. ad Iohannem Morinum*, et in eo libro, qui inscribitur: *Navis ecclesiam referentis symbolum in veteri gemma annulari, pag.* 110. *edit. an.* 1686. Consule Bernardum Montfauconum palaeograph. graecae *lib.* II. *cap.* I. *itt. p.* 121. *et* 133. Negari autem non potest, quin signo Dei, quod angelus visus est Iohanni *cap.* VII. *apoc.* notare in frontibus electorum, signum crucis veteres intellexerint. Nam hoc signum filii hominis esse, iodicarique etiam a Christo apud Matthaeum *cap.* XXIV. *evangel. v.* 30. putabant. Confer Cyrillum hierosolymitanum *catech.* XV. *p.* 168. *edit. paris. an.* 1720. ceterosque, quos recenset Marcus Iohannes Philippus Pfeifferus *dissert. de signo filii hominis, tom.* II. *thesaur. theol. philol. edit. an.* 1702. Igitur agnum interdum aut pingere maiores nostri, aut sculpere, eiusque capiti signum crucis imponere consueverunt. Id quod cum ex aliis multis, tum ex sarcophago marmoreo vaticano constat, quem post Bosium, atque Aringhum, retulit, explicavitque Bottarius *tom.* I. *p.* 82. Quid? si τὸ *thau* idem esse atque τὸ T graecorum existimarunt? Igitur auctor epistolae, quae Barnabae adscripta fuit, apud Coteler. *tom.* I. *pp. apostolicorum pag.* 29. *edit. Amstelod. an.* 1724. „ Discite, „ *inquit*, primum decem, et octo, dein trecentos. De„ cem autem, et octo exprimuntur per ι decem, η „ octo; habes initium nominis ἰησοῦς. Quia vero crux „ in figura litterae T, quae designat numerum 300., „ habitura erat gratiam, ideo ait et 300. „. Confer Tertullianum *adv. Marcionem lib.* III. *cap.* XXII. *p.* 410. *edit. venet. an.* 1744., s. Cyprianum *lib.* II. *testimon. adv. Iudaeos cap.* XXII. *p.* 48. *edit. oxoniensis*, et Clementem alexandrinum loc. cit.

(3) In apocalypsim *lib.* IV. *p.* 320. *tom.* X. *biblioth. patrum edit. Lugd.* Sed is auctor multa turbat, quae componi cum apocalypsi Iohannis nullo modo possint. Vixit sexto saeculo. Quo tempore primum cognosse nostros, monogramma falsum memoratum ab Iohanne, inducere animum non possum, ut credam. Nam antiquiores patres, cum eum Iohannis locum interpretantur, de ☧ silent.

Sunt autem, qui consuetudinem adhibendi monogrammatis ex apostolorum aetate repetendam existiment; a quibus, cum in usu illud iam usque ab Hadriani aetate fuisse constet (1), nulla est caussa cur dissentiam.

Sed ubi Constantinus accessit ad gubernandam rempublicam, visisque, ut alio loco diximus (2), permotus, labarum fecit, atque alpibus superatis, in Italiam venit, cum Maxentio conflixit, et victor senatui, populoque romano saluti fuit; tunc maximo numero non modo templa (3), tabulae (4), amuleta (5), litteraeque *pacificae*, atque *formatae* (6), sed etiam signa (7), scuta (8), an-

(1) Vide quae paullo ante de inscriptione Marii martyris dicta sunt.

(2) Confer loca ex Euseb. descripta num. super.

(3) Consule s. Paulinum *natal.* xi. s. Felicis v. 608. *et seq. edit. veron. an.* 1736. *p.* 484., et Georgium *de monogrammate Christi p.* 25.

(4) Euseb. *lib.* iii. *de vita Const. cap.* iii. *pag.* 577. *edit. Cantabrig.*


(5) Consule Sponium *miscellaneor. p.* 297., Georgium *loc. cit. p.* 18., Bottarium, qui ex Bosio, et Aringhu thecas, seu encolpia quaedam attulit *tom.* i. *p.* 155., Gretserum *de cruce lib.* ii. *cap.* xxiv. *tom.* i. *opp. nov. edit. p.* 237., et Cangium *lex. med. et infim. latin. ad v. encolpium etc.*

(6) Bonarrotius *loc. cit. praef. p.* 13. *et seq.* sic habet. « È molto probabile, che i cristiani cominciassero a usare il monogramma sino nelle primitive chiese, e quando forse ella ancora uscita non era dall'oriente; mentre essendo composto di parole greche, l'averlo sempre adoprato così anco nella chiesa latina, una tal origine molto antica, e prima, che si venisse alla divisione, o distinzione della chiesa greca, e latina dimostra; e non sarebbe gran fatto, che avesse avuto la sua origine circa il tempo istesso, quando i fedeli si cominciarono a chiamare cristiani, come per una cifra, per adoprarlo nelle lettere ecclesiastiche particolarmente. Una delle quali pare, che si rappresenti in quel volume svoltato, in cui è scritto DOMINVS PACEM DAT col ☧, che nel mosaico antichissimo di s. Costanza, creduto dei tempi di Costantino, il Salvatore consegna ad un apostolo, e sembra, che l'artefice abbia voluto imitare la forma delle lettere dette pacifiche ». Consule eumdem Bonarrotium *ibid. tab.* 5. *fig.* 1. *pag.* 29., Bottarium *tom.* i. *tab.* xxvii. *pag.* 152., qui huc spectare censet Iohannis Chrysostomi, de nomine Domini litteris ecclesiasticis inserendo, locum; Claudium Molinetum *cabinet de s. Genevièv. tab.* 1. *n.* 5., Mabillonium *de re diplom. lib.* v. *tab.* 45. *p.* 432. *edit. an.* 1709. Mitto ceteros, quod hos nominasse satis esse putem.

(7) Adeundus Eusebius *lib.* ii. *de vita Constantini cap.* vi. vii. viii. ix. *p.* 539. *seq. edit. Cantabr.*


(8) Consule Lucii Caecilii, et Prudentii verba, quae produxi *num. superiore.* Galeis quoque militum fuisse impositum, etsi non ex Prudentii loco, qui de sola cruce agere videtur, et ex nummis saltem colligitur. Nam Baronius ad an. 312. n. 2., et Isaacus Grangeus *in not. in Prud. contra Symmachum pag.* 126. *edit. paris. an.*1614., duo numismata referunt, unum Constantini, in quo monogramma galeae inditum, alterum Maioriani, in quo idem monogramma insculptum scuto conspicitur. Hoc refert etiam Bandurius *numism. imperator. tab.* 2. *p.*590.





nuli (1), lucernae (2), sepulcra (3), coronae militum (4), colla-

(1) Vide Aringhum *lib.* VI. *cap.* L. *pag.* 706. 708. *tom.* II., Boldettum *osserv. sopra i cimiterii lib.* II. *c.* XIV. *p.*502., quo loco annulos quatuor exhibet, in quibus est τὸ ☧, Menckenium *dissert. de monogr. Christi tabula fig.* 10. *p.* 86. *decad. dissert. edit. an.*1734., Franciscum commendatorem Victorium virum eruditissimum *de nummo aereo p.*52., Iustum Pontaninum archiepiscopum ancyranum summum virum *in comment. di s. Colomba vergine sacra della citta di Aquileia pag.* 78. *edit. an.* 1726., qui refert annulum veterum christianorum, qui servabatur in museo card. Amidei, cui praeter monogramma, haec sunt insculpta: *spes in Deo vivas.* Nam in eo, cuius meminerunt Peireskius *epist.* ad *Lucam Holsten. apud Sponium récherches dissert.* X. *pag.* 179., et Gassendus in Peireskii vita *lib.* IV. *p.* 230. *edit. primae*, et in quo haec legebantur: *Tecla vivat Deo cum marito suo*, crux, non monogramma impressum est; Georgium *de monogr. Christi p.* 14. *seq.*, et Bottarium *loc. cit. p.* 158. Nobis satis erit unius illius schema proponere, quem Aringhus refert



loc. indic. p. 708. *tom.* II., et in quo cernitur ☧, columba, et stella. Stellam autem insculptam fuisse ad Christum indicandum censeo, quae stella est a Balaamo praedicta, quae oriri ex Iacobo debebat.

(2) Huiusmodi lucernas fictiles, in quibus est monogramma, referunt Bosius *lib.* III. *cap.* XXIII. *p.* 209. 211. Aringhus *lib.* III. *cap.* XXII. *p.* 547. *tom.* I., Fortunius Licetus *lib.* III. *de reconditis antiquorum lucernis cap.* XI. *p.* 211., *lib.* VI. *cap.* XLVIII. *p.* 851., Georgius *ibid. p.*10., Petrus Sanctes Bartholus *par.* III. *fig.* 22., Franciscus commendator Victorius numquam sine laude nominandus *in nummo aereo par.* I. *cap.* XI. *p.* 53. *seq.*, et Iohannes Baptista Casalius *de vet. sac. christianor. ritib. c.* XLIX. *pag.* 228. *fig.* 1. *et* 3. Vide sup. *tab.* 6. *fig.* 1. *et* 2., Aeneas quoque videre licet apud Licetum *lib.* VI. *c.* LXXX. *pag.* 994., Iohannem Baptistam Casalium *ibid. fig.* 2., Menkenium *loc. cit. fig.* 2. *et* 6., Bartholum *loc. cit. tab.* 23. 24. 25. 30. Atque fictilem, quae servatur in museo Victorio, referturque a Boldetto *lib.* I. *cap.* XV. *pag.* 63. damus *tab.* 8. *fig.* 1., nam figuram alteram explicabimus, ubi de palma instituetur sermo.

(3) Consule Bosium, qui multa recenset *lib.* III. *cap.* XXX. *p.* 302. *seq.*, Aringhum *lib.* III. *cap.* XXII. *p.*562. *seqq. tom.* I., Boldettum *lib.* II. *cap.* III. *pag.* 334. *seqq.*, *pag.* 365. *seq.* Sarcophagos hoc monogrammate ornatos vide apud Bosium *lib.* II. *cap.* VIII. *p.* 79. 87. 93., Aringhum *lib.* II. *cap.* X. *pag.* 311. 319. 325., Mabillonium *annal. bened. lib.* XVIII. *cap.* LXXII. *tom.* I. *pag.* 575. *edit. edit. lucen.*, et Bottarium *tom.* I. *p.* 147. *tab.* 37.

(4) Vide Baronium ad an. 351. n. 7., Aringhum *lib.* VI. *cap.* DCLXXII. *tom.* II., et schema coronae, quod nos exhibuimus *p.* 146. *tom.* I.

res circuli (1) servorum, vitra (2), et nummi (3), ac marmora (4) monogrammate ornata extiterunt. Quibus nummis, marmoribusque inscriptas interdum litteras fuisse constat, quae niti maiores nostros, ac summopere Christi virtute confidere (5) consuesse demonstrarent. Varias autem, interque se discrepantes eius describendi, pingendive rationes christiani, quemadmodum cuique opportunum videbatur, excogitabant. Modo enim, id quod potissimum erat in usu, sic ☧ (6); modo ita, ut formam crucis prae-

(1) Confer Laurentium Pignorium *de servis p.* 16., Licetum *lib.* VI. *de rec. antiq. lucernis cap.* XLVIII. *p.*862., Fabrettum *inscript. cap.* VII. *n.* 365. *p.* 522., Georgium *de monogr. Christi cap.* VI. *pag.* 39. *seq.*, et Bottarium *p.* 153. *tom.* I., Basnagius *loc. cit. p.* 618. irridet Fabrettum, propterea quod is auctor ex ☧ collari circulo inscripta colligat, eum circulum christiani hominis fuisse. Nam monogramma aut servi nomen, aut heri indicans, non Christi appellationem patet. Qua in sententia versatur Licetus *ibid. p.* 863., Bottarius *loc. cit.* « Dall'iscri- « zioni, *inquit*, ch'erano sopra i collari medesimi si ap- « prende, che furono christiani, a'quali non era illecito « di avere de' servi ». Ac sapienter hic quidem. Nam servos christianis fuisse, cum ex aliis monumentis permultis, tum ex Athenagorae *legat. pro christ. num.* 35. *p.* 332. *edit. opp. Iust. mart. venet. an.* 1747., *et ex actis mm. lugdun. apud Euseb. lib.* V. *hist. eccl. cap.* I. *p.* 201. *edit. Cantabr.* liquet. Georgius autem impugnat Basnagium his rationum momentis. Initio refert lamellam collaris, cuius anticae parti haec sunt inscripta: *Tene me quia fugi, et revoca me Victori Acolito a Dominico Clementis* ☧. In aversa autem parte haec habentur: *Fugi Eu-plogio ex pre urb.* ☧. Secundo loco animadvertit, Pignorium, qui aliud collare vidisset apud Lelium Pasqualinum cum hac epigraphe: *Tene me quia fugi, et revoca me Domino meo Bonifacio Linario* A ☧ Ω X, sic statuere pag. 15. huiusmodi circulos in Constantini aetatem conlici oportere, qui lege lata, *ut est in codice theodosiano de poenis. leg.* 2. cavisset, ne quis in facie noxiorum quidquam coteret. Pignorio deinde assentiri, ait, Gothofredum in *comment. ad eam legem*, conlicereque proinde merito Pignorium, eos circulos collares proprios fuisse christianorum, quod in iis et ☧ esset, et mentio *Acolythi* atque *Dominici Clementis*, hoc est e. *Clementis basilicae* fieret. In eamdem sententiam Sponium venisse, ut constat ex eius *miscell. antiq. p.* 301., Licetus autem iure vapulet a Monkenio *loc. cit. cap.* I. §. V. *p.* 93., *et cap.* II. §. IV. *pag.* 117. Quamobrem autem a christianis servi collo τὸ ☧ appendi nequiret, ne suspicari quidem possum. Cur enim non fecissent, si servi non minus, quam ceteri conditi ad imaginem Dei fuissent? Atque hoc a christianis fuisse factum Acolythi Victoris, qui herus erat, appellatio ostendit plane ad veritatem.

(2) Consule Aringhum, qui coemeterialia vitra, quae sanguine martyrum plena fuissent, refert *lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 501. 507., et quae nos exhibuimus tabula *tom.* I. *huius op. p.* 459. *fig.* 2., Boldettum *lib.* I. *c.* XXXIX. *p.* 194. 197., Bonarrotium tab. 8. fig. 1., tab. 14. fig. 2., tab. 15. fig. 1. 2., tab. 20. fig. 2., tab. 21. fig. 2. Ex his autem figuris vitro impressis vetustatem usus pingendi monogrammatis colligit Bonarrotius in praefat. pag. 15. Atque exempli loco, exhibemus tab. 9., cuius similem exhibuit Boldett. *l. c. c.* XXXIX. *p.* 204. In qua tab. fig. 2. exprimitur fundum vitrei vasis exhibentis monogramma, imaginem Christi, septemque sportas ad indicandum de multiplicato pane prodigium, et ex altera parte nescio cuius hominis stantis figuram, circumque vitrum volumina quatuor.

(3) Insigne est Constantini numisma ex museo Angeli Breventani papiensis a Baronio anno 1592. vulgatum ad an. 325. n. 206., in cuius numismatis postica parte monogramma in summo labaro cernitur. Idem est editum a Lelio Pasqualino, illustratumque brevi dissertatione, quae appendicis loco addita est dialogis Antonii Augustini. Confer Gretserum *lib.* I. *de cruce cap.* XXXVII. *p.* 245. *tom.* I. *novae edit.* De nummis ceteris monogramma praeferentibus agit Georgius *loc. cit. p.* 29. *seq.*


(4) Vide sarcophagos paullo ante indicatos, quos ab Aringho, Bosio, Bottario etc. referri dixi.

(5) In mox laudato nummo exhibetur serpens transfixus hasta labari cum inscriptione: *spes publica*. Quae verba inscripta fuisse animadvertit Iacobus Oiselius, *numism. pag.* 331., *ad denotandum, quod in contritione veteris serpentis per nomen Christi spes publica consisteret.* Qua in re ille cum Eusebio caesariensi praeclare convenit, *lib.* III. *de vita Constantini cap.* III. *p.* 577. *edit. Cantabr.*


(6) Ut in hac lucerna, quam edidit Aringhus, et cui impressi pisces duo cernuntur, de quibus piscibus dictum est *lib.* I. *huius op. p.* 58. monogramma est impressum, ut vides pag. seq.


VINCENTIA · IN
PACE


2



1



seferret  (1); modo ex his figuris duabus, hoc est ex P cum linea transversa et ex X conflatum (2); modo P ad levam (3)



(1) Velut in hoc Marciani pueri epitaphio, quod post Baronium ad an. 342. n.25. ediderunt Aringhus, aliique.

MIRAE INNOCENTIAE AC SAPIENTIAE
PVERO MARCIANO QVI VIXIT ANN. IIII. ET
MENSES IIII. DIES II. QVIESCET IN PACE
D PRID. KAL. DEC. ARBETIONE ET LOLLIANO COSS. PARENTES
FECERVNT



Vide Caparum in not. ad lib. de mort. persec. tom. II. app. Lact. p. 500. nov. edit. paris. Atque huius monogrammatis crucem, nomenque Christi indicantis extant apud Bosium, Aringhum, Lupium, Muratorium, Georgium p 33. aliosque, quos praetereo, exempla multa.

(2) Primasius adrumetinorum episcopus hoc modo monogramma describit lib. IV. in apocalyps. p. 320. t. x bibl. pp. Atque hac ratione factum est monogramma; ut cetera, ne sim longus, monumenta praeteream; in sepulcro Constantiae edito a Boldetto lib. II. p. 344. deindeque a Georgio de monogr. Christi p. 16. Simile est huius, quod exhibet monumentum Iulianae apud Lupium mon. s. Severae p. 145.

(3) Ut omnium, aliaque vetera monumenta omittam, in quibus est τὸ  inversum, sat erit lucernas duas referre, in quibus est monogramma geminatum, re-

converso, monogramma exprimebatur, ut est a doctissimis viris, harumque rerum in primis peritis animadversum. Atque in nummis quibusdam, cum in summo labaro *vi* ☧ (1), tum intima labari eiusdem parte *serpens* transfixus exhibebatur, ut omnes cognoscerent virtute nominis, crucisque Christi servatoris expugnatum hostem generis humani, restitutamque mortalibus salutem fuisse, quam scelere primorum parentum amiserant (2).

Intelligo autem fuisse aliquos, qui monogramma ☧ quod in monumentis coemeterialibus cernitur, negarent esse inscriptionum christianorum diiudicandarum (3) notam. Est vero illorum, ne quid gravius dicam, magnis in erratis sententia. Nam hoc sublato, vereor, ne nullum indicium reperire quisquam, vel excogitare divinando possit, quo res christianae ab ethnicis distinguantur. Quod namque esse evidentius signum christianismi potest Christi nomine? Iam vero inventa epitaphia in coemeteriis vetustissima fuisse, in quibus esset monogramma ☧, qui neget, haud scio cur non idem rem quamque certam, atque exploratam negare confidenter possit. Cumque nullum marmor, inscriptio nulla, nummi, annuli, lucernae, vitra nulla unquam reperta cum ☧ in arenariis fuerint, in quas nostros, dum in vitae fortnnarumque periculum vocabantur, perfugere consuesse diximus; quae monumenta non demonstratione (nam est id quidem omnino difficile), sed opinione ostendere unus aliquis possit propria ethnicorum fuisse; quis tanta erit temeritate, ac impudentia, ut quaecumque ante Constantini aetatem huiusmodi signo notata fuisse constat, ea omnia ad graecos, latinosve spectasse putet, qui es-

ctaque linea dissectum, ut tab. 10. fig. 1. 2. Huius nos similem dedimus supra tabula 7. ex Aringho. Haec autem, quam hic exhibuimus, extat in museo Victorio, editaque est a cl. viro commendatore Francisco Victorio in nummo aereo veterum christianor. *par.* I, *cap.* XXIII. *p.* 53. Non discrepat altera, quam idem vir egregius dedit *ibid. p.* 54. quamque in tab. 10. fig. 2. Nam fig. 3. quae adnexa est, lucernamque musei Victorii praeferentem monogramma linea recte dissectum non inverso q, sed p, ad ea illustranda, quae paullo ante diximus, conducere plurimum potest.

(1) Vide Georgium *loc. mox ind. pag.* 28., et Baronium ad an. 325. n. 206.

(2) Confer Tristanum *tom.* III. *pag.* 633. qui nummum Vetranionis refert, in quo est ☧ cum epigraphe: *hoc signo victor eris.* Andreas Erasmus a Seidel *epist. singulari* de nummo Vetranionis aureo agit, in cuius aversa parte est ☧ in labaro cum inscriptione: *Salvator reipublicae.*

(3) Basnagius loc. cit., et ante eum Iohannes Baptista Casalius *de vet. sac. christian. rit. cap.* II. *pag.* 11., quo etiam loco primum omnium fuisse Constantinum negatur, qui in usum christianorum monogramma transtulerit. Fortunius Licetus *lib.* VI. *cap.* XXI. *pag.* 850., qui nisi monogramma hinc inde notis A. Ω. munitum sit, ethnicum esse potius, quam monogramma christianorum garrit. Quo fere in errore fuit aliquando Fortunatus Scacchius *sacror. elaeochrism. myroth. lib.* I. *cap.* VII. *pag.* 35. Sed castigavit deinde erratum in fronte operis. Confer Georgium *ibid. p.* 9.

sent imbuti superstitione deorum? Ac nostros scilicet, qui ita essent ab idololatria distantes, ut ne mortuos quidem suos in iis locis sepeliendos existimarent, in quibus ethnicorum corpora sepelirentur, horum sepulcris proxima esse non reliquorum christianorum modo, sed etiam martyrum sepulcra voluisse, quis (1) credat? Atqui Marii, Alexandri, Primitii, Hermetis, Laurentii (2) etc. martyrum monumenta ☧ monogrammate ornata inventa in cryptis sunt, in quibus scriptores illi, contra quos agimus, sepultos fuisse ethnicos arbitrantur. Concludendum est igitur, nullum aut graecum, aut latinum monumentum in coeme-

(1) De christianis, qui caverent, ne in iis locis quemquam sepelirent suorum, in quibus ethnici sepelirentur, agam paullo post opportune. Interea satis sit adnotasse s. Cyprianum invectum acriter fuisse in Martialem estu-ritensem, quod id, contra atque religio posceret, tentasset. *Epist.* LXVII. al. LXVIII. *p.*173. *edit. oxon.* Vide Georgium *de monogr. Christi p.* 69.

(2) Confer Boldettum *lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 370., et Georgium *ibid. pag.* 6. Inscriptio est huiusmodi. *Laurentius* VI. *idus Ianuarias decessit* A. ☧ Ω. Fortasse antiquior est etiam Constantino inscriptio, an. 1744. in coemeterio Praetextati reperta, quam cl. Georgius e Mazochio illustratam, deindeque diarii romani scriptores an. 1745. apud Palearinum *p.* 205. *tom.* I., ac postremo doctissimus Maffeius *mus. veron. pag.* 359. ediderunt, quaeque est huiusmodi:



Hanc, minus eruditissimi Mazochii coniecturis, ita viri docti legerunt, quos est Maffeius sequutus: *Hic requiescit in pace fide constitutus Hilarus, qui vixit annis plus minus* XXV. Fide constitutus dicitur, propterea quod baptismo fuisset initiatus. Sed de hac re alias. In hac tabula, ut cernis, infimum est in media corona monogramma cum A. Ω. Atque hanc quidem spectare ad virum christianum nemo, nisi sit insanus, negaverit.

teriis christianorum inventum dari, quod cum sit ornatum monogrammate ☧, tum constet fuisse alicuius ethnici proprium.

Qui autem τὸ ☧ a romanis, graecisque usurpatum, coemeterialibusque lapidibus insculptum fuisse, idque iam nummis Decii, auctoritateque Martiani Capellae confirmari posse existimant; caveant ne, cum periti rerum antiquarum videri velint, tum esse omnium imperitissimi videantur (1). Quod enim ad Decii nummum Magnesiae cusum attinet, in quo hae litterae BA☧ATOY leguntur, spectat; inane est. Nam est a Tristano animadversum, non monogramma in nummo observari, sed contractionem litterarum, quae *Baccharati* bis (2) stephanophori magnesiorum nomen componerent, propterea quod spatium totius nominis describendi in peripheria nummi non esset. Itaque artificem pro BAKXAPATOY, ita ut fieri interdum a multis, cum aut otium, aut spatium non haberent, solebat, fecisse BA☧ATOY. Neque est gravius, quod ex Martiano Capella proferunt, quasi ille X N litteras in mysticis numeraverit: ex qua re etiam ridendo concludunt, non defuturos, qui Χριςὸς νικᾷ legendum arbitrentur. Non enim Capella litteras X N; sed X H solis nomen mysticum indicare scribit. Quod si X N in aliquot exemplaribus legitur, factum id quidem est non Capellae errore, sed imperitia, oscitantiaque librariorum. Quamobrem qui hisce momentis rationum invidiam nostris conflare se posse arbitrantur, iidem turpissime labnntur, dignique sunt qui cum alios irrideant, ipsi a doctis sapientibusque viris irrideantur (3).

At in nummo Ptolemaei (4) regis (quisnam autem is fuerit Ptolemaeus nescio) τὸ ☧ cernitur, quod alii notam ΧΡΗΣΤΗΡΙΟΥ

(1) Basnag. *ibid.*

(2) Tristan. *tom.* II. *p.* 595. Nummos alios Apphiani vide apud Vaglientium *colon. graec. p.* 169. De hac ipsa re agunt Menckenius *diatr. de monogr. cap.* II. §. IV., et Georgius *cap.* VII. *de monogr. Chr. pag.* 43. Miror autem quid sit, quod Chaulium sequutus non fuerit Basnagius aientem visum ab se Maxentii nummum in quo esset ☧. Nam id ex Chaulio transtulit Caugius in *dissert. de infer. aevi numism.* §. XXIV. *p.* 20. Fortasse a Copero deterritus Basnagius est, ne id faceret. Vide Cuperi *notat.* in *Lac. Caecil. cap.* XLIV. *pag.* 501. *edit. nov. paris. app. Lactant.* Magnentii namque, non Maxentii is nummus est, ut ostendit *ibid.* Coperus. Confer Menckenium *diss. de monogr. Christ. cap.* II. §. I. *p.* 95., et Georgium *de monogr. Christi p.* 30. *seq.* Magnentius enim etsi perverse vivebat (Athanas. *apol. ad Constantium n.* 6. *p.* 299. *edit. montfaucon.*), tamen non solum ☧, sed etiam τὰ A. Ω. in nummis suis, fratrisque Decentii poni curavit, ut simularet, quoniam multos esse in exercitu christianos norat, spem ab se in Christo esse collocatam. Consule Baronium ad an 350. n. 2. 3. 4., et Brewerum *annal. trevirens. lib.* IV. *p.* 234. *tom.* I. *edit. an.* 1671.

(3) Consule Grotium comment. *in apocalyps. c.* XIII. *v.* 18., et Georgium *ibid. p.* 43. *seq.*

(4) Ptolemaei cyrenensis nummum esse nugatur Basnagius, in cuius aversa parte visitur aquila fulmini insistens, inter cuius pedes hoc est signum ☧. Bosius *l.* IV.

oraculi Iovis Ammonis, alii epitheton regum aegyptiorum, alii praefecti monetae signum esse contendunt, qui *Chrysanthus*, aut *Chrysippus*, aut *Chrysodorus* (1) appellaretur. Quis negat? Nam in nummis graecorum nomina interdum contractis litteris fuisse indicata tam est notum, atque testatum, ut revocari a nemine in dubium posse videatur. Sed hoc quaeritur, ullum ne monumentum inventum in coemeteriis nostris umquam sit, in quo τὸ ☧ esset, spectareque ad ethnicos demonstraretur. Cum autem nullum eiusmodi deprehensum uspiam fuerit, sequitur, ut nihil eos, qui contra pugnant, agere arbitremur. Nam gemma, cuius est a Cangio (2) facta mentio, in qua est monogramma, cuique impressae hae litterae sunt SAL DO N ALEX FIL LVCE hoc est, ut idem interpretatur Cangius, *salus domini nostri Alex. filii lucet*, aut ad aliquem Alexiorum imperatorum (3), aut, si ad Alexandrum Mammaeae filium spectabat, scalpta a christiano quopiam est, qui, ut nostri semper consueverant, bene Caesari (4) precaretur. Quid? si peccat etiam Cangius, qui gemmam alteram, in qua sub monogrammate ☧ Iovis, Apollinis, ac Dianae capita, scalptaeque circum litterae VIVAS IN DEO F cernuntur, explicans, ab ethnicis idem monogramma deorum imaginibus adscriptum fuisse interdum (5) censet? Longe in hoc genere diligentior Cuperus fuit. Is enim a christiano imperito religionum, fabularumque ethnicorum monogramma, et litteras deorum imaginibus fuisse additas putat. Cuius quidem opinio non mihi solum, sed Georgio etiam, atque Bottario (6), viris in hisce doctrinis,

Rom. subterr. cap. xxxi. *p.* 629., Arieghus *lib.* vi. *c.* xxiii. *p.* 567. *tom.* ii., Laurentius Pignorius *epist.* xxiv. *p.* 90. aliique hunc nummum referunt. Scaliger. in animadv. in Euseb. Ptolemaei Apionis Cyrenes *regis* fuisse proprium pugnat pag. 150. Hunc est sequutus Basnagius. At Cuperus loc. cit. optare se dixit nummum eumdem inspicere. Bottarius *Rom. subterr. tom.* i. *pag.* 154. nihil ab se simile visum scribit. Quod si coniecturae sibi uti liceret, statuere se posse, dicit, in postica nummi eiusdem parte expressum fulmen fuisse, quod cum detritum vetustate esset, velut monogramma quoddam exhiberet. Nam in quibusdam veteribus monumentis, ut apud Ciampinum *tom.* ii. *vet. mon. pag.* 72. *tab.* 19. fulmen esse expressum hoc modo  . Menckenius in *tab. diatribae de monogr. Christi fig.* 4. et 5. nummum, qualem esse censebat, affert. Sed de Ptolemaeo qui fuerit, nihil certi statui potest, Mencken. *ibid. cap.* i. §. ii. Confer Georgium *loc. cit. p.* 45.

(1) Vide Pignorium, Bottarium, Georgium, Menckenium locis modo indicatis.

(2) Dissert. de infer. aevi numismat. *cap.* xxiv.

(3) Cuperus *loc. cit. p.* 501., Bottarius *ibid. p.* 153. Non placet Georgio *ibid. p.* 22. *seq.* Non enim latinas in gemma scalpi litteras potuisse censet, si Alexii fuisset.

(4) Georg. *ibid.*

(5) Geor. *ibid.*, Cuperus *ibid.*

(6) Bottar. *ibid.*

disciplinisque versatis, probata est. Ac de monogrammate quidem satis dictum esto.


23. Nunc de coronis, quas crucibus aut imponere saepe, aut supponere solebant, quibusque monogramma ☧ circumplectebantur, disquirendum (1) est. Neque vero de his solum, sed etiam de ceteris, quae vel marmoribus insculptae, vel pictae, vel aeneae, aereaeque in coemeteriis et repertae olim sunt, et hoc etiam tempore interdum inveniuntur. Quod eo libentius faciam, quo his quoque esse nonnnmquam aut impressum monogramma, aut additum videam. Atque sarcophagis quidem, qui sunt a Bosio, Aringho, Mabillonio, Bottarioque descripti, cruces aliquando impressae conspiciuntur; inque summis crucibns coronae, quibus τὸ ☧ comprehenditur. Quod idem factum ab antiquis christianis, iisque potissimum fuisse, qui aetate Constantini, vel paullo post viguerunt, in (2) lucernis, gemmis, aliisque rebus, quas posteritati commendabant, plane constat. Cumque crux illa, quae Constantino, antequam in Italiam cum Maxentio pugnatum accessisset, apparuerat, huiusmodi formam (3) praeseferret, mirabile sane non est, si labaris, nummisque illius, successorumqne imperatorum crux coronata, atque in media corona gemmis ornata τὸ ☧ positum videamus. Qua in sententia confirmatos magis, magisque maiores nostros fuisse intelligo, propterea quod similia ostenta visa in caelis accepissent, quo tempore Iulianus (4) imperator de christiana religione delenda cogitabat. Si quis autem roget, quae caussa eos impelleret, ut cruci esse coronas aut

(1) Vide sarcophagos, quos paullo ante numeravimus, diximusque a Mabillonio, Bosio, Aringho, et Bottario describi. Confer etiam monumentum Hilari paullo ante productum. In monumento Flaviae Iovinae apud Baronium ad an. 367. n. 31., Papebrochium *act. ss. bollandianor. ad d. 20. maii tom. v. p.* 210., et Boldettum *lib. 1. cap. LI. p.* 271. cernitur monogramma in media corona, ut in tabula 11. cernere est. In superiore etiam parte tabulae exhibuimus monogramma palmis circumornatum, ita ut visum a Boldetto in coemeteriis est litter. A., quibus palmis indicatur triomphus Christi, ut *ibid. p.* 272. animadvertit Boldettus. In musivis praeterea operibus, quae in basilicis visuntur, interdum conspicitur crux, ita ut in tab. 11. litt. B. expressum est. Confer Bold. *ibid.* Vas quoque coemeteriale in superiore parte tabulae posuimus, in quo est palma depicta, ut eam saepe non martyrii signum, sed triumphi Christi indicium esse cognosceretur. Sed de hac re alias. Ac monogramma palmis circumornatum, etsi Christi nomen significat, notari tamen interdum in sepulcris solebat signi caussa. In coemeterio s. Agnetis an. 1710. inventa a Boldetto inscriptio est, insculpta marmori an. 331., quae sic habet: *Asellus, et Lea Prisco patri benemerenti in pace, qui bixit an. XXIV. mens. III. dies n. XII. In signo* ☧ *v. kal. oct. D. Basso, et Albavio Coss.*


(2) Vid. sup. tab. 6. p. 37. fig. 3.

(3) Euseb. *lib. I. cap.* XXVIII. *de vit. Constant. p.* 525. *edit. Cantabr.*

(4) Vide Gregor. nazianz. *orat.* IV. *in Iulianum pag.* 112. *edit. Colon. an.* 1590., *et orat.* III. *p.* 70. Atque etsi coronae lucidae crucem circumornantis perspicua est, monogrammatis tamen nulla est est a Gregorio facta mentio. Fit tamen ab Eusebio, ubi de labaro, loco mox indicato, disserit.


B
A


FL·IOVINA.QVAE·VIXIT
ANNIS·TRIBVS·D·XXXII·DEPOS
NEOFITA·IN·PACE·XI·KAL·OCTOB



imponendas, aut supponendas arbitrarentur, is sic habeat: hisce signis, indiciisque moneri christianos consuevisse, ut reminiscerentur, nulli eorum esse coronam gloriae concedendam, qui exemplo Christi crucem non tulissent, hoc est incommodi quidquam pro Christo passi non essent (1). Ac serto quidem, seu coronae τὸ ☧ includebatur, ut intelligeretur, non ab alio quopiam, sed a Deo per Christum coronari pios, sanctosque homines (2) oportere. Quamobrem in sepulcris, vitrisque veterum Christus quandoque (3) coronam ostentans, aut capiti alicuius imponens cer–

(1) Sanctus Paulinus *epist.* xxxii. *al.* xii. *ad Sever. n.* 17. *p.* 206. *edit. veron. an.* 1736.

« Sanctorum labor, et merces sibi rite cohaereat,
« Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.

Atque hinc sane profectas fuisse coronas, censet Bottarius *tom.* i. *Rom. subterr. etc. p.*117., quibus cruces circumornantur, quae affigi sacris aedibus, cum dedicantur, solent.

(2) Hinc factum etiam est, ut lucernis quoque monogramma ornatum serto imprimeretur. Vide supra tab. 1. pag. 45., et tab. 8. fig. 1. in qua lucerna cernitur monogrammate ornata, quod circumdat corona, circum quam sunt litterae, quarum intelligere sensum numquam potui. Apud Petrum Sanctem Bartholum par. iii. de lucernis e Bellorio illustratis tab. 22. exhibetur lucerna, in qua est monogramma diademate circumornatum appositis palmis duabus, ut et tab. 24. lucerna exprimitur cum ☧, additis utrimque litteris A. Ω. diademate inclusis, cuius similem lucernam refert Boldettus *lib.* i. *cap.* xvi. *pag.* 64., sed sine A. Ω. Quoniam vero de monogrammate non dubitato, sed hoc modo expresso ⳨ facta rursum est mentio, videri apud Bartholum lucerna tab. 26., et icon s. Petri tab. 27. possunt, quarum alterius monogrammati insidet columba, alterius monogramma crucis loco gestatur a Petro. Animadvertendum est autem τὸ Χ solum monogrammatis loco interdum fuisse usurpatum, ita ut Christum significaret. Confer numisma Crispi Caesaris *sup. p.* 37. huius voluminis, in quo est inscriptio: *salus et spes* Χ *reipublicae*; τὸ Χ autem Christum indicat. Itaque osorem τοῦ Χ Iulianum apostatam vocarunt antiochenses, propterea quod Christi hostis esset. Confer Iuliani *misopogona p.* 360. *opp. edit. an.* 1696. Sustulerat is imperator *monogramma*. Confer Molinetum in opere gallico inscripto: *Cabinet de s. Genevieve pag.*89., quod monogramma restituit Iovianus, de qua re agit Menckenius *loc. cit. cap.* i. §. iii. *pag.*105. et *seq.* Quid? si interdum christiani, ut corona monogramma includerent, cum Ionae sub cucurbita quiescentis imaginem exprimere statuissent, cucurbitam coronae in modum formarunt, eaque incluserunt monogramma? Confer tabulam 12., quae exhibet lucernam aeneam in coemeteriis orbis repertam, apud Franciscum Gualdum ariminensem olim servatam, et relatam a Scacchio *sacror. elaeochrismat. myrothec. lib.* i. *c.* vii. *p.* 15. *edit. an.*1625., Liceto *lib.* vi. *cap.* lxxx. *pag.*994., Barthole *par.* iii. *tab.* 30. Hanc vero miror cur non Ionam, sed Venerem exhibere putarint Licetus *ibid. et cap. seq.*, et Iohannes Baptista Casalius *de aegyptior. ritib. cap.* xxv. *p.*84., cum ante Scacchius, cuius veterem sunt sequuti opinionem, palinodiam recantasset in praef.

(3) Vide Bonarrotium tab. 15. *fig.* 1., *tab.*18.*fig.*1., et Boldettum *tab.* 28. *p.* 205. *n.*32. et *alibi.* Quod ipsum videre licet in adiuncta tab. 13. fig. 3., quam huc ex Aringho *lib.* iv. *cap.* xxxvii. *pag.* 265. transtulimus. In eo vitro coemeteriali, quod erat Francisci Gualdi, vir, ac femina, quos coniuges fuisse censeo, cernuntur, quorum capitibus Christus coronam imponit, cum inscriptione: *Lucifer vivas cum tuis feliciter Zeses Sirtea.* Ac Luciferi nomine Christum indicari censet Aringhus *ibid.* Ego vero quid repugnet, quominus marito Lucifer esset nomen, ignoro. Consule Murator. *tom.* iv. *thesaur. class.* xxv. *pag.* 1905., qui binas inscriptiones refert, ex quibus liquet idem nomen fuisse olim apud christianos in usu. Sirtea autem cur non dici posset uxor, non video. Quot enim nomina perrara in epigrammatibus sepulcralibus christianorum visuntur apud Boldettum pag. 475. sqq. At fortasse Cyriacam pingere imperitus artifex voluit. Inde fig. 1. exprimitur effigies viri gestantis crucem, cuius capiti impositum exhibetur ☧ cum inscriptione: *Ani vivas in Christo.* Transversae quoque hae litterae, *Laurentio*, in vitro, quod est dimidiatum, leguntur. Fig. 2. effigiem viri exhibet, cum epigraphe: *cum tuis pia Zeses.* Hoc est *vivas pie cum tuis.* In fig. 4. cernuntur coniuges nescio qui, cum inscriptione: *pie zeses.* In fig. 5. exhibetur vitrum, in

nitur. Est illud praeterea a doctis hominibus, et peritis antiquitatum animadversum, serta, quae in sepulcris visuntur (sunt haec autem magno numero) etsi non semper martyrii, gloriae tamen a Christo iis, qui recte viverent, praeparatae indicia quaedam esse. Quod si quis forte miretur, quod cum maiores nostri, qui ante Constantinum florebant, abhorrere ab ethnicorum consuetudine coronandi vivos, mortuosque viderentur, tum mutata deinceps ea ratio sit, mosque coronas militibus distribuendi invaluerit, quibus coronis additum esset τὸ ☧ monogramma; nae is profecto mirari desinet, si animo collegerit, christianos imperatores evellere ex animis mortalium voluisse inveteratam, penitusque insitam opinionem, quae ferret, ab Apolline victores milites coronari, atque omnibus persuadere coronam expectandam a Christo, qui verus auctor victoriae crederetur, et esset. Quamquam ne illud quidem omnino est verum, quod aliqui putant, christianos primorum temporum funditus sustulisse usum coronarum. Nam etsi eas reiici ab suis oportere censebant, quae ritibus, religionibusque deorum consecrabantur, tamen sic erant affecti, ut ceteras in quibus nihil esse superstitiosum scirent, non militibus modo, qui victoriam ab hoste reportassent, sed aliis etiam imponi contenderent licere (1).

quo sunt pictae imagines Petri, et Pauli, et Peregrinae nescio cuius. In fig. 6. vitrum repraesentatur cum imaginibus duabus sine epigraphe. In fig. 7. exhibetur in medio vitro Christus coronas imponens coniugibus, qui nescio qui fuerint. In peripheria imagines Petri, Pauli, Laurentii, Susti, vel Iusti, vel Syxti, Cypriani, et Hippolyti. Tres minores ceterae figurae exprimunt, ut Aringhus putat, magos dona Christo servatori offerentes. Atque hinc factum arbitror, ut sanctorum imaginibus, aliorumque christianorum veterum figuris diademata superponerentur, ut coronam regni sempiterni iustis, qui fortiter pro Christo certassent, concedendam, vel iam datam indicarent; cuiusmodi imagines permultae cernuntur apud Bonarrotium, Boldettum, Bosium, Aringhum, aliosque collectores monumentorum veterum christianorum.

(1) Vide Clementem alexandrin. *lib.* II. *paedagogi cap.* VIII. *p.* 175. *seq. edit. an.*1741., Tertullianum *lib. de corona militis cap.* X. *p.* 106. *edit. an.*1744. qui sic habet: « Quid tam dignum Deo, quam quod dignum idolo? « Quid autem tam dignum idolo, quam quod et mortuo? Nam et mortuorum est ita coronari, vel quoniam et ipsi idola statim sunt et habitu, et cultu « consecrationis, quae apud nos idololatria est ». Confer Minucii in Octavio locum, quem produxi *tom.* I. *huius op. lib.* I. *cap.* III. §. XXVIII. *p.*186. Sed ea Minucii verba de coronis intelligenda sunt, quae aut dedicatae diis essent, aut aliquid secum ferrent superstitionis. Quem in sensum converti Clem. alex. sententia debet loc. cit. ubi, *qui a verbo*, inquit, *instituuntur, a coronis arceantur, non existimant rationem esse a se obligandam, quae in cerebro sita est: non quod convivalis, quae per vinum excitatur, petulantiae sit corona simbolum, sed* ὅτι τοῖς εἰδώλοις κατωνόμασται, *quod simulacris dedicata sit.* Quamquam capita coronis redimire ad sanitatem corporis conferre idem Clemens *ibid.* inficiatur. Iam vero illustris est de coronis superstitiosis in actis Pionii martyris smyrnensis locus apud Ruinartium *pag.* 126. *edit. veron. n.* 18. « Post haec, *inquit auctor*, coronas, quas « sacrilegi gestare consueverunt, Pionii capiti conabantur imponere, quae, dissipante eo ante ipsas, quas « ornare consueverant, aras, in frusta iacuerunt ». Quod si superstitio nulla accessisset, licebat christiano praesertim militi coronam ferre, id quod ab eruditissimo Paschalio *lib.* II. *cap.* I. *de coronis p.* 63. *edit. an.* 1610. demonstratum est. Itaque qui Septimio Severo impe-

pag. 52.

4.



7.



24. *De symbolo* Α. Ω., *quod aut monogrammati adiungere christiani, aut solum describere solebant.*

24. Erat praeterea nostris consuetum, ut medium interdum constituerent monogramma ☧, eique dexterum τὸ Α. sinistrum vero τὸ Ω. litteras ponere solerent. Cuius quidem rei exempla extant apud antiquitatum christianarum collectores (1) permulta. Atque hisce symbolis id maxime intelligebant, quod est in apocalypsi Iohannis, *principium* Christum servatorem, et *finem* rerum omnium esse (2) credendum. Fuerunt etiam qui dicerent, litteris hisce graecis, atque monogrammate significari Christum ipsum verum esse habendum Deum (3). Quod si in pluribus, quin ullum

ratore tulerunt ob partam adversus hostem victoriam rei sceleris acti ab orthodoxis minime fuerunt. Neque vero audiendus Tertullianus est, qui cum in Montani haeresim incidisset, carpereque catholicos vellet, eius militis defensionem suscepit, qui deferre coronam recusarat, atque in se, christianosque ceteros concitarat iram ethnicorum. Confer Baronium ad an. 201. n. 2. seq. Quid? si patres ut martyres victores decessisse ostenderent, coronam esse consequutos prodiderunt, coronae nomine indicantes praemium sempiternum? Confer acta s. Polycarpi apud Ruinartium *p.* 37. n. 17. *edit. veron.*, ss. Tryphonis, et Respicii *apud eumdem* n. 5. *p.* 139., ss. Fructuosi, et Augurii n. 7. *p.* 193., ss. Iacobi, et Mariani n. 1. *pag.* 194. *seq.*, ss. Montani, et Lucii *pag.* 201. *n.* 4., *et p.* 205., s. Nicephori n. 9. *p.* 212., et s. Genesii n. 3. *p.* 237. Sed haec ratio trita sermone veterum christianorum erat, ex victoria militum, qui coronarentur, in victores martyres translata. Qua de re apud Cyprianum, Prudentium, aliosque illustria extant loca. Confer Bonarrotium *tom.* XIX. *p.* 134. *seq.* Consule Paschalium *ibid.*, Aringhum *lib.* VI. *Romae subterr.* n. 49. *pag.* 667. *seq. tom.* II., ubi de variis coronis, et earum usu copiose disputat, et Marangonum *delle cose gentilesche ad uso delle chiese cap.* XXXII. *p.* 110. *seq. edit. rom.* an. 1744.

(1) Vide Boldettum *pag.* 53. 80. 86. 339. *seq.*, 502. 522. *seq.*, 545. *seq.*, Aringhum *tom.* I. *pag.* 336. 339., *et tom.* II. *p.* 130. 134. 138. *seq.*, 163. 255., Botterium *tom.* I. *p.* 151., Muratorium *tom.* IV. *thesauri inscription. pag.* 1821. 1831. 1858. 1888. 1891. 1900. 1904. 1907. 1915. 1918. 1920. etc. Similia reperire licet apud Bosium, Gruterum, Licetum, Casalium, Fabrettum, Maffeium in *mus. veron.*, Marangonium, Lupium, Bonarrotium, Donium, Georgium, Menckenium, Victorium, utque ceteros praetermittam, apud eruditissimum virum Antonium Franciscum Gorium cum alibi, tum *opusc. inscripto*: Crux e vitali ligno sanctae crucis, in qua sculptus Iesus Christus Nazarenus capite mitrato, quae adservatur in thesauro basilicae baptisterii florentini *cap.* VI. *p.* 120. 139., *et cap.* VII. *p.* 135. quo loco exhibet figuram tabulae ex aere in museo Gorio servatae, in qua est ☧ cum Α. Ω. *volum.* III. *symbolar. litterar. edit. florent. an.* 1749., et apud Iohannem Dominicum Bertholum aquileiensem canonicum, virum doctum *dissert. sopra un monumento antico col sacrosanto monogramma di Cristo p.* 129., *dissert.* VII. *delle memorie della società colombaria florentina, edit. florent. an.* 1747. Est autem id monumentum, quod ille explicat, ex aere flavo diametri rom. ped. 1. unciar. 9., extatque in museo Bertholio. Confer etiam monumentum Hilari, quod nos paullo ante attulimus, et paucis explicavimus *p.* 47. *huius volum.*

(2) *Apocalyps. cap.* I. *v.* 8. 17., XXI. 14., XXI. 6., XXII. 13. Consule Tertullianum *lib. de monogamia cap.* V. *p.* 527. *edit. venet. an.* 1744., et Clementem alexandrinum *l.* IV. *stromateon p.* 537. *edit. an.* 1641., Prudentium *hymno* IX. *cathemer. p.* 53. *v.* 11. *seq.*

» Alpha, et Ω cognominatur ipse fons, et clausula
» Omnium, quae sunt, fuerunt, quaeque post future sunt.

Confer e novis Aringhum *lib.* VI. *cap.* XXII. *p.* 564. *seq.*, Bonarrotium *tab.* 9. *p.* 67., Botterium *loc. cit. pag.* 155. *seq.*, et Gorium, atque Bertholum *ll. cc.*

(3) Verum id quidem est. Nam Iohannes *loc. cit.* apocalypseos de Christo agens eum esse, inquit, *alpha, et omega, principium, et finem Deum, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotentem.* Sunt qui ante arianam haeresim hasce litteras christianis monumentis inscriptas fuisse negent. In his Laurentius Ramiresius in *not. ad chronicon Luitprandi pag.* 363., Menckenius *diss. t.*

extet vestigium monogrammatis, monumentis τὸ A. Ω. reperitur, tamen inest litteris iisdem, quae demonstrata a nobis mox est, de principio, ac fine significatio.

25. *De figura boni pastoris*, 26. *deque Christi speciem agni praeseferentis imagine.*


25. Age vero, cum in evangelio Christum *bonum esse pastorem, qui animam suam pro nobis*, quos *oves* (1) appellavit, posuerit, legerent; annon aequum esse iudicassent, eumdem pastoris forma, qui aut pascere oves, aut earum aliquam, quae periisset, humeris gestare, atque in ovile reducere videretur, in vitris (2), in lucernis (3),

de monogramm. Christi cap. II. §. 2. Sed errant. Repertum namque Heraclii martyris sepulcrum in coemeterio Priscillae est, in quo erat τὸ A. ☧ Ω. Hunc autem martyrem obiisse ante Constantinum nulla est ratio, cur negemus. Vide Aringhum *lib.* III. *cap.* XXII. *p.* 605. *tom.* I., et Lupium *monum. s. Severae pag.* 142. Hoc idem constat ex lapide, quem ex Fabretto paullo ante retuli. Atque ad rem ipsam confirmandam plurimum valebit patera in coemeterio Callisti inventa, cuius ectypon dedit Boldettus *lib.* I. *cap.* XXXIX. *p.* 194. *n.* 4. Adeundus Georgius *de monogrammate Christi p.* 10., qui sapienter animadvertit, non negari ab eo, hasce siglas fuisse ab arianis de industria omissas. Sed quoniam de monogrammate simplici, et cum Ω. A. hactenus dixi, moneri lectorem volo, non meo, sed typographi vitio contigisse, ut *tom.* II. *huiusce operis p.* 243. *not.* 4. monogramma in inscriptione, quae sub Damaso posita fuit, irreperit. Cum enim mihi eius exscribendae, ex transumto suo, copiam fecisset Gregorius Iacobus Terribillinus vir doctus, cui lapidem p. Contuccius soc. I. vir eruditissimus museo kirkeriano praefectus incredibili, qua est humanitate, ostenderat, eamdemque in meum autographon transtulissem, typographus pro τὸ PL. quod est *plus*, posuit τὸ ☧.

(1) *Matth. cap.* XVIII. *v.* 12. *seqq.*, Iohann. *cap.* X. *v.* 1. *seq.*

(2) Huiusmodi aliqua exhibuerunt Bosius, et Aringhus. Bonarrotius quoque nonnulla refert tab. 6. fig. 1. 2. 3., tab. 6. fig. 2. Similia eorum sunt, quae exhibet Boldettus pag. 200. n. 10. 11., et pag. 212. n. 2., quam nos in tab. 14. transferri voluimus: in qua est fig. 1. in medio vitro exhibens ☧, et in peripheria imagines Samuelis, Saulis, Petri, et Iusti, seu Systi. In altera est imago boni pastoris ovem humeris gestantis. In tertia duorum virorum nummulariorum effigies.

(3) Confer Casalium *de ant. sacr. christianor. ritib. p.* 228., Liceturn *lib.* VI. *cap.* XLIX. *p.* 870., Petrum Sanctem Bartholum *de lucern. par.* III. *tab.* 28. quam *tab.* 29. lucernam variis symbolis ornatam exhibentem in tab. 15. n. 1. huius vol. reiicimus. Atque alteram nos dare hoc loco statuimus, quam post Casalium vulgavit Aringhus, estque huiusmodi.




SAM
PETRVS
IVS
SA
VLVS


COLLIBIST
SACVLVM
CCCXX



in sarcophagis (1), in parietibus (2), in gemmis (3), in calicibus (4) exhibere (5), ut omnes, quae sit illius erga mortales non solum bene moratos, sed etiam lapsos in peccatum clementia intelligerent, confiderentque fore, ut si resipuissent, gratiam, salutemque (6) consequerentur? Atque hoc sane consilio pictas sculptasve eiusmodi imagines iam usque a primis ecclesiae temporibus fuisse, cum scriptores orthodoxi plerique, tum vetus auctor Tertullianus testis est in primis locuples (7), qui scilicet, quod ad cataphrygas defecisset, aegre ferebat, pastorem in sacris calicibus exprimi a catholicis consuevisse, qui indicaret, patere, nostrorum sententia, iis, qui sese quovis scelere implicaverant, ad resipiscentiam, et salutem viam. Cataphrygarum enim haec erat opinio, eos orthodoxos, qui aut in haeresim, aut in idololatriam, aut in adulterium, aut in grave aliquod peccatum incidissent, etiamsi reversi fuissent ad sanitatem, coniungi bonis societate communionis non oportere (8).

26. Nam cur veteres Christum agni (9) figura in picturis,

Addi huic altera potest, quam a Bosio, et Aringho vulgatam fuisse constat.

(1) Consule Aringhum *p.* 517. *tom.* I. *p.* 303. 315. 321. 323. 327. 335. 619. *etc.* Hic a Bosio accepit. Eosdem sarcophagos exhibet Bottarius *Rom. sotterr.* *ec.* *tom.* I. *et* II. In tabulis quoque sepulcralibus hoc symbolum Christi saepe visitur, eiusque rei exempla extant apud Boldettum, Bosium, Aringhum, Muratorium, Gruterum etc. permulta. *Tab.* 1. *fig.* 3. *pag.* 15. *huius vol.* quae figura exhibet sepulcrum Lucii, cernitur pastor ovem deferens, cuius capiti inest monogramma ☧, et ad sinistram vas lacte fortasse implendum.

(2) Vide Aringhum *tom.* I. *p.* 389. 531. 548. 573. 579. 581. 585. 589., *et tom.* II. *pag.* 25. 29. 59. 63. 65. 67. 75. 79. 91. 97. 101. Similem figuram cernere licet apud Bosium, Bottarium, aliosque.

(3) Eiusmodi nos unam apud commendatorem Franciscum Victorium virum eruditissimum vidimus. Non discrepat alter annularis lapis in urbis nescio quo coemeterio repertus, qui apud Felicem Rondaniniam illustrem matronam servabatur, cum Aringhus scriberet, cuique insculpta erat arbor, sub qua pastor ovem deferens conspiciebatur. Aringh. *tom.* II. *p.* 654. Utque iam alias praetermittam, quae sane neque exiguo numero, neque parum elegantes sunt, in parte superiore foggininae gemmae, quam *pag.* 20. *huius vol.* *n.* 3. descripsimus, medius inter oves duas cernitur pastor ovem tertiam gestans. Sed de hac re hactenus.

(4) Tertullianus *lib. de pudicit. cap.* VII. *p.* 559. *edit. venet. an.* 1744. catholicos carpens, qui lapsis in capitalia scelera, si resipuissent, veniam concedendam putabant, sic habet: « Procedant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne christiano, an ethnico peccatori de restitutione conliniet ». Et *c.* X. *p.* 563. « Cui (libro, qui inscribitur *pastor*) si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis etc. ».

(5) Id quoque symbolum impressum aeris laminis fuit. Confer Bonarrotium *ibid. tab.* 1. *fig.* 1., et Ciampinum saepe laudata *dissert. de duobus emblem. musei carpinei.* Bonarrotius *tom.* IV. *p.* 25. sapienter, ut solet, animadvertit, loco ovis pictum interdum arietem in vitris, aliisque monumentis esse. Quinetiam interdum pro ove haedum sculpi, fingive ab antiquis consuesse, scribit. Id vero eo consilio factum patet, quod illi centum ovium, quarum fit in evangelio mentio, armentum minutum omne contineri arbitrarentur, in quo sunt arietes, capellae, haedi, oves etc.

(6) Multa in hanc rem disputat Aringhus, quem consule *lib.* VI. *cap.* XVIII. *p.* 551. *seq.*

(7) Loco modo indic.

(8) Consule Tertullianum *lib. de pudicit. cap.* XXI. *pag.* 581. *seq. edit. an.* 1744., et a novis Orsium *lib. de capital. crim. absolut. per tria priora eccl. saecula cap.* IV. *digres.* 2. *p.* 115. *seq. edit. mediol.* Sed de hac re erit in eo libro, qui inscribetur de poenitentia, opportunior disserendi locus.

(9) Agni formae modo crucem transversam, modo capite crucem eamdem ferentis, modo sine cruce, in

sculpturisve exhiberi curarent, haec omnino in caussa fuerunt. Primum quod a prophetis messiam *agnum* fuisse appellatum (1) scirent; deinde quod *agnum* symbolum esse innocentiae accepissent. Christum vero, etsi summa innocentia praestitisset, tamen incredibili in genus humanum pietate, accusari, flagellis caedi, atque in crucem agi voluisse, ut pro nobis aeterno Patri satisfacere, hostique diabolo in mortales saeviendi adimeret potestatem.

27. *Cur veteres christiani Orphei*, 28. *apostolorum, sanctorum martyrum*, 29. *animalium quorumdam*, 30. *plantarum*, 31. *domorum*, 32. *navis*, 33. *anchorae*, 34. *doliorum aliarumque rerum figuris uterentur.*


27. Sed erit fortasse, qui roget, quid fuerit, quod cum maiores nostri a superstitione tantopere adhorrerent, nihilominus Orphei, ut est in fabulis, imagines describere (2) consuescerent. Hi autem si considerent nonnulla, ut sibi christiani quidam veteres persuaserant, ab Orpheo de uno Deo fuisse dicta, et animo colligant, quae de immanibus feris a poeta, ut mansuescerent, inductis, fabulosis monumentis mandata sunt litterarum; non admirabuntur, curatum a nostris fuisse, ut his imaginibus mortales recordarentur, Christum servatorem tot barbaras, efferatasque nationes doctrina, potestateque sua mites, ac mansuetas reddidisse. Neque vero cum Orpheum pingerent, ullum eidem cultum adhibendum arbitrabantur. Nam ethnicos, si qui erant, qui cum-

pictis sculptisque tabulis fuisse adumbratum servatorem Christum perspicua res est. Confer Aringhum *lib.* IV. *cap.* VII. *tom.* II. *p.* 23. 25., *cap.* XIV. *p.* 91. 95., *c.* XXIV. *p.* 136., et *lib.* VI. *p.* 559. Similes imagines cernere licet apud Bosium, Bonarrotium, Boldettum, Bottarium, Ciampinum. Extat in museo Victorio antiquum vitrum caeruleum et perlucidum agnum exhibens stantem cum nimbo rotundo, et cruce hastata, atque transversa. Quinetiam vidi in eodem museo gemmam, cui est insculpta imago s. Iohannis baptistae tenentis librum, in quo libro agnus cubans, crucemque ferens exhibetur. Vide Francisci Victorii viri eruditissimi *dissert. de nummis aereo pag.* 68. *seq.*, et figuram, quam dedimus *tom.* I. *huius operis p.* 240.

(1) Isaiae *cap.* LIII. *v.* 7. *seq.*, Ierem. XI. *v.* 9. Quamobrem Iohannes baptista Christum cum vidisset, *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Iohann. *evang. cap.* I. *v.* 29. Iesus praeterea in apocalypsi Iohannis *cap.* XIV., et alibi agnus appellatur. Consule Tertullianum adversus iudaeos *cap.* VIII. *p.* 195. ubi, Ut eum, *inquit*, hoc est Christum, iudaei intelligerent *esse* agnum, quem Moses passurum nunciabat. De hac eadem re agunt Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone n. 41. *p.* 143. *edit. venetae an.* 1747., Eusebius *demonstr. evang. lib.* I. *prooem. p.* 464. *seq. edit. paris. an.* 1628. Qui plura volet, is consulat Aringhum *lib.* VI. *cap.* XX. *pag.* 558. *seq.*, Bonarrotium *tab.* 6. *p.* 45. *seq.*, Boldettum *lib.* I. *cap.* VI. *p.* 22., Victorium *numm. aereo par.* I. *cap.* XI. *p.* 51. *seq.*

(2) Confer Aringhum *tom.* I. *p.* 547. 563. 577. *etc.*, Boldettum *p.* 27. *etc.*, Bottarium *tom.* II. *p.* 30. et 43. *etc.* In museo Victorio servatur gemma in coemeteriis christianorum inventa, cui est impressa Orphei imago. Cur id christiani facerent, explicant Boldettus, et Bottarius *ibid.*, et Aringhus *lib.* VI. *cap.* XXI. *pag.* 560. *seq.*, et Marangonus *delle cose gentilesche ad uso delle chiese cap.* XI. *p.* 41. *seq.*

1



2



dem poetam (modo is umquam vixerit; sunt enim (1) qui dubitent) in diis ponerent, christiani merito irridebant, confirmabantque numeranda in fabulis esse, quae de lenitis ab Orpheo deorum interprete feris iactarentur (2).

28. Sequitur ut de imaginibus sanctorum apostolorum, quales in sarcophagis (3) aliquot cernuntur, in primisque Petri, ac Pauli, quae saepe in picturis (4) coemeteriorum, in vitris (5),

(1) Vide Ciceronem *lib. I. de nat. deor. cap.* XXXVIII. *p.* 542. *edit. genev. Oliveti.*

(2) Consule Clementem alexandrinum *admonit. ad gentes pag.* 3. *seq. edit. an.* 1741.

(3) Huiusmodi sarcophagi referuntur a Bosio, Aringho, Bottario etc. Interea confer Aringhum *tom.* I. *Rom. subterr. pag.* 281. 283. 301. 307. 311. Confer Eusebium *lib.* IV. *de vita Constant. cap.* LX. *p.* 660. *edit. Cantabr.*

(4) Bonarrotium *tab.* 10. *p.* 75. « Specialmente, *in* « *quit*, la chiesa romana ebbe particolar mira di man« tenere le vere immagini di tutti due i principi degli « apostoli, e ce ne danno una certa riprova le anti« che pitture, ed i mosaici, nella maggior parte de' « quali si vedono tempo per tempo fedelmente osser« vate le loro stesse fisonomie ». Confer Boldettum *lib.* I. *cap.* V. *p.* 21. Atque huc fortasse spectat, quod habet Eusebius *lib.* II. *hist. cap.* XXV. *p.* 83. *edit. Cantabrig.* Ubi enim martyres Romae Petrum, ac Paulum decessisse narravit, tum καὶ πιστοῦταί γε, inquit, τὴν ἱστορίαν, ἡ Πέτρου, καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐτόθι κοιμητηρίων πρόσρησις : *et confirmant historiam Petri, Paulique hucusque manentia in iis, quae ibi sunt, coemeteriis monumenta.* Nam praeter ea, quae memoriae causa in Vaticano, et via ostiensi posuerunt, imagines quoque in reliquis coemeteriis constitui veteres curarunt, quae utrumque apostolum exhiberent. Vide Blanchinum *prol. in tom.* III. *Anast. p.* 25., Ciampinum *p.* 1. *veter. monum. cap.* XXII. *p.* 195., Mabillonium *liturg. gallic. lib.* II. *p.* 160. *edit. an.* 1685. Quinetiam s. Augustinus eos accusat, qui cum imagines in ecclesiis cernerent ss. Petri, et Pauli, in quorum medio Christus sedens pingeretur, inde imperite concluserunt ad Petrum, Paulumque libros a Christo magicos fuisse scriptos, quibus libris improbi illi homines delectabantur. *De consensu evang. lib.* I. *cap.* X. *p.* 5. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri tom.* III. *par.* II.

(5) Confer Aringhum *lib.* IV. *cap.* XLVII. *pag.* 403., Bonarrotium tab. 10. seq., Boldettum *lib.* I. *cap.* XXXIX. *p.* 191. *seq.*, Fabrettum *inscriptionum domest. cap.* VIII. *p.* 593., Marangonum *in not. ad acta s. Victorini p.* 42., *et in append. p.* 118., Pogginium de romano d. Petri itinere, et apostolatu *exerc.* XX. *p.* 453. *seq.* Est autem animadvertendum, non ita ut saepe in pictis, musivisque operibus sinistram; sed dexteram in hisce vitris occupare Petrum. Ac de causa alteram pingendi quidem Petri sinistram occupantem, Paulum autem dexteram, unde profectum sit, investigarunt post Petrum Damianum *opusc.* XXXV. *epist. ad Desider. abbatem p.* 263. *tom.* III. *edit. opp. an.* 1665., s. Thomas *in epistolam ad galatas lect.* I. *pag.* 378. *tom.* XVIII. *opp. edit. an.* 1689., Durandus *ration. divin. officior. lib.* VII. *cap.* XLIV. *p.* 293. *edit. an.* 1568., et Molanus *hist. sacr. imag. lib.* III. *cap.* XXIV. *p.* 373. *seq. edit. an.* 1619., Petrus de Marca *opusc. de primatu Petri edit. opusculor. an.* 1681. *p.* 69., Leo Allatius civis meus *de eccles. occid. et orient. consens. lib.* I. *cap.* VI. *pag.* 86. *seq.*, Inchoferus soc. I. theologus apud eumdem Allatium *ibid. cap.* VII. *p.* 142. *seq.*, Caracciolus apud Allatium *ibid. p.* 90., Mabillon. *de re diplomatica lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 130. *edit. an.* 1681., Musantius de ss. Petri, et Pauli imaginibus etc. *pag.* 163. *seq. tom.* VI. *iun. Boll. par.* II., Theophilus Raynaudus *de bicipiti ecclesia tom.* X. *opp. p.* 221. *seq. edit. an.* 1665., Iohan. Baptista Casalius *de veter. sacr. christianor. rit. lib. cap.* II. *pag.* 20. *edit. rom. an.* 1645. Horum aliqui partem eam digniorem putarunt apud veteres christianos fuisse, quae dextera intuenti esset. Ergo Paulum dexterum Petro fuisse positum, ut videnti Petrus dexter appareret. Confer Bonarrotium tab. 10. p. 77., et Pogginium ibid. p. 464. Negari tamen non potest, quin in vitreis vasculis veterum aliquando, etsi perraro, dexter Paulus pingeretur. Extat eius rei apud Boldettum *lib.* I. *cap.* XXXIX. *p.* 192. exemplum unum, si imaginum ratio habeatur. Nulla quippe in vitro inscriptio est. Calvus autem, et qui longiore est barba, sic enim saepe depingi Paulus solebat, dexter est. De effigie Pauli consule *ibid. Bonarrotium.* Quod si apud Aringhum *lib.* IV. *cap.* XLVII. *p.* 403. duo extant schemata vitreorum vasculorum, in quibus Paulus dexter cernitur, non antiqui artificis factum id vitio est, sed novi incisoris errore. Quamobrem recte, ac sapienter, ante Bonarrotium, Boldettum, atque Pogginium, eruditissimus Fabrettus *loc. cit. p.* 593. « Vide« bis, *inquit*, huic in pluribus simile vitro ab Aringho « recensitum *tom.* II. *pag.* 403. tertium in ordine (sic « aliam est secundum, et quintum, cuius quinti nos « ectypon dedimus *tom.* I. *huius operis pag.* 321. Nam in « archetypo, quod est apud illustriss. praesulem Iohan. « Lercarium dexteram occupat), « sed ex mera describen« tis incuria, quia cum istam imaginem hinc inde pel-

in picturis, in lucernis, aliisque veterum monumentis occurrunt, dicendum esse videatur. Atque eas quidem adhibere veteres consuesse puto, non modo ut venerarentur, de qua re agam alio loco opportune, sed etiam ut omnes per quos viros, quibusque modis propagata late longeque religio, in universum deinde terrarum orbem manarit, cognoscerent. Constantiam rursum eorum,

» lucidae sint, pictor non earum faciem, sed aversam » partem excepit, id quod ex litteris inverso ordine » dispositis fit evidens, tum in hac, de qua loquimur, » tum in aliis eorumdem apostolorum figuris, quae » eadem pag. 403. n. 2. et 5. habentur. Verius etenim ex ipsomet Ariegho pag. seq. 405., ubi rectus » est vitri illius secundi aspectus, constat Petrum ad » dexteram, Paulum ad sinistram conspici ». Haec ille. Iam vero hoc postremum ab Aringho relatum, cuius fit a Fabretto mentio, huius est omnino simile, quod item apud Ioann. Lercarium praesulem eruditissimum servatur.



In eius namque parte superiore Paulus est sinister, dexter Petrus, quibus imminet diadema indicium coronae, quam martyrio consequuti sunt. In medio est codex, qui unum evangelium, ut Bonarrotius censet pag. 72., indicat. In inferiore parte dexter est Systus, vel Sixtus, vel Iustus, sinister Damas, medium vero τὸ ☧. Sed horum vitreorum vasculorum duorum schemata tab. 16. dare libuit, quae post Bonarrotium tab. 10. fig. 2., et tab. 16. fig. 1. dedit Fogginius pag. 458. In 1. est Paulus sinister. Flores praeterea in vitri campo, frondesque late sparsas cernuntur. Quae res usum fortasse spargendi flores ad templa, et sepulcra martyrum significat. Adeundus Fogginius *ibid. pag.* 464. Apostoli manu ante pectus vestem coniungunt, quam vestem in aliis vitris fibula, et vi-

1




2



fortitudinemque in perferendis hilari animo incommodis, atque cruciatibus in memoriam revocabant, hisque exemplis, ut virtutem colerent, fortiterque pro religione pugnarent, incitabantur. Frequentior autem apud omnes, praecipueque apud romanos usus pingendarum, sculpendarumque ss. Petri, et Pauli imaginum fuit; propterea quod ille princeps ab Iesu servatore esset dictus apostolorum, et in alias civitates permultas, ac potissimum Romam importasset doctrinam, in eademque urbe ecclesiam constituisset; hic vero doctor gentium, et vas electionis ab ipso Christo vocatus, peragratis tot regionibus, quot sunt a Luca in actis apostolicis numeratae, Romam perinde venisset, magnumque retulisset laborum, et incommodorum fructum; tandemque, ita ut Petro contigerat, martyr, cum Nero in nostros homines saeviret (1), decessisset. Ad martyres quod attinet, nullum du-

detur, gemmata adstringit. In altero dexter item est Petrus. Uterque apostolus sedens exhibetur. Sedes pulvino stratae sunt. Qua re dignitatem fortasse apostolorum significare pictor voluit. Confer Chimentellum *de honore bisellii cap.* XXVIII. *p.* 146. *seq. edit. an.* 1666. Iam vero sedium cathedrarumque apud antiquos christianos celebris est usus. Adisis Eusebium *lib.* VII. *hist. cap.* XXXII. *p.* 372., et Valesii *adnotationes ibid. edit. Cantabrig.* Sed de his rebus alias. Media cernitur laurea corona. Sinistra manu tenere uterque apostolus volumen videtur, quod volumen symbolum fortasse epistolarum est, quas iidem posteris commendarunt. Vetus autem admodum est consuetudo pingendi in vitris imaginum apostolorum. Eius meminit s. Hieronymus in *cap.* IV. *Ionae tom.* III. *opp. edit. Martianaei pag.* 1492. « In cucurbitis, *inquit*, vasculorum, quas vulgo sauco« marias vocant, solent apostolorum imaginem adum» brari ». Atque fuit ea quidem Hieronymo longe vetustior, ut est a Buonarrotio *ibid. p.*75., *et praef. p.*22., et Foggin. pag. 459. observatum. Sarcophagos vide apud Aringhum *tom.* I. *pag.* 277. 295. In Aselli sepulcro apud Boldettum *lib.* I. *cap.* XXXIX. *pag.* 193., et Fogginium *exercit.* XX. *p.* 480., Petri, Paulique imagines sunt, inque medio monogramma cernitur.



Lucernam vide apud Causeum *mus. rom. sect.* IV. *tab.* 3., Petrum Sanctem Bartholum *par.* III. *tab.* 31., et Fogginium pag. 485. Hanc nos afferemus paullo post, ubi de navi instituetur sermo. Statuam quoque cernere licet apud Bartholum *ibid. tab.* 27.

(1) Consule Clementem romanum epistola ad corinthios I. n. 5. *p.* 12. *edit. Coustantii* ubi: « Missis, *inquit*, « veteribus exemplis, veniamus ad proximos athletas, « et aetatis nostrae generosa exempla sumamus. Pro« pter aemulationem, atque invidiam, qui ecclesiae « erant fideles, et iustissimae columnae, persecutionem « etiam usque ad mortem passi sunt. Accipiamus prae

bium est, quin idcirco pingi in coemeteriis solerent, ut qui eorum imagines intuerentur, habere se heroas in gloria sempiterna intelligerent, quorum facta non solum admirarentur, sed etiam dum tempus moneret (1), imitarentur. Est vero hoc loco diligenter animadvertendum, in arenariis urbis, in quas olim christiani declinaturi periculum perfugiebant, vix alicuius, qui usquam alibi martyr obierit; persaepe autem martyrum romanorum effigies occurrere solere. Nam erat id civitatibus quibusque commune, ut suos quaeque praecipue martyres veneraretur, civibusque ad imitandum proponeret. Igitur ss. Laurentii (2), Agnetis (3),

» oculis nostris bonos apostolos. Petrus ob iniquam » aemulationem non unum, aut alterum, sed multos » sustinuit labores, atque ita martyr effectus abiit ad » debitum gloriae locum. Paulus patientiae praemium » obtinuit, cum catenas septies portasset, virgis caesus, » ac lapidatus esset. Praeco factus in oriente, et occi» dente, eximiam fidei suae decus accepit. Cum to» tum mundum docuisset iustitiam, et ad occidentis » terminos venisset, ac sub principibus martyrium pas» sus esset, ita e mundo migravit, et in locum sanctum abiit, summum patientiae exemplar effectus ». Neque a christianis solum, sed ab ethnicis etiam imagines eorumdem apostolorum pictas, ostentasque fuisse, ut ais, propterea quod memores essent beneficiorum, cultum idololatricum adhiberent, auctor est Eusebius *lib.* VII. *hist. cap.* XVIII. *p.* 342. Sed quid impedit, quo minus illae pictae fuerint a christianis? Nam de ethnicis difficile est, ut credam. Sunt autem Eusebii verba huiusmodi. « Nec vero mirandum est gentiles a Ser» vatore nostro beneficiis affectos haec praestitisse, cum » et apostolorum Petri, ac Pauli, Christique ipsius pi» ctas imagines ad nostram usque memoriam servatas » in tabulis viderimus. Quippe prisci illi absque ullo » discrimine cunctos de se benemeritos, gentili quadam » consuetudine, tamquam servatores colere huiusmodi » honoribus consueverant ». Sed de imaginibus ss. apostolorum vide s. Ambrosii *epist. ad univers. Ital., apud damascen. orat.* II. *de imaginib. tom.* I. *opp. edit. paris., Lequien. pag.* 344., auctorem vitae s. Iohan. chrysost. apud Montfaucon. *t.* XIII. *app. v. Iohann. chrysost. edit. paris.* an. 1738., et e novis Bonarrotium *tab.* 10. *p.* 75. *seq.*, Aringhum *p.* 575. *seq. t.* II., Fogginium, et Boldettum *ll. cc.*

(1) Adeundi Bonarrotius *tab.* 16. *p.* 105. *seq.* Atque eodem sane consilio descripta acta martyrum a maioribus fuisse constat, ut qui legerent, eorum exemplo ad fidem strenue tuendam inflammarentur.

(2) Itaque in calendariis etiam propriorum martyrum nomina notabant, nisi perpaucos demas, qui alibi insigni sanctitate floruerunt, vel aliquam habuerunt cum ea ecclesia, ad quam calendarium pertinebat, coniunctionem. Id vero ex bucheriano, quod post Bucherium in Victoris canon. ediderunt Aringhus, et Ruinartius in extrem. *act. ss. mm. sinc. pag.* 531. *edit. veron.*, aliisque monumentis plane constat. Consule Iosephum Augustinum Orsium virum doctissimum *dissert. apolog. pro ss. Perpetua, Felicitate etc. cap.* I. *p.* 23. *edit. florent.* an. 1728. Inter pictas imagines vero s. Laurentii, quas in coemeteriis cernere licet, insignis est ea, quam refert Aringhus *tom.* II. *p.* 354. *tab.* 2. *cubiculi unici coemeterii s. Iulii papae, via flaminia.* Exhibet enim martyrem librum, ac gemmatam crucem tenentem, palliatum, de quo vestis genere dicam alio loco opportune. In musivis quoque operibus, quae in basilicis Romae cernuntur, in primisque in eo, quod est in templo s. Laurentii extra muros, imaginem martyris eiusdem intueri licet. Inventa praeterea in coemeteriis vitra sunt, in quibus est imago Laurentii impressa. Confer Bonarrotium *tab.* 16. *fig.* 2., *tab.* 19. *fig.* 2., in qua figura est circum vitrum inscriptio: *Vivas in nomine Laureti.* Civem romanum Romae natum fuisse Laurentium ex antiquissimo *sacramentario, quod leonianum vocant*, editumque est a Blanchino viro doctissimo *tom.* III. *opp. Anast. proleg. pag* 38., plane liquet. Vide eumdem Iosephum Blanchinum *adnot. in libellum oration. antiq. rit. gothic. hisp. tom.* I. *par.* I. *apparat. ad psalter. card. Thomasii p.* 292. *edit. an.* 1741., *et p.* 283., quo loco agit de martyrio s. Laurentii.

(3) Vide Aringhum *lib.* IV. *cap.* XLIII. *fig.* 4. *p.* 403., et Bonarrotium tab. 18. fig. 2. 3., 21. fig. 1., Boldettum *lib.* I. *cap.* XXXIX. *p.* 194. 201. Iohan. Bollandus *ad d.* 21. *ianuar. tom.* II. *p.* 350. n. 5. *seq.*, Valeriano imperatore decessisse Agnetem defendit, idque ut confirmaret, Asparium Pateruum, cuius fit in actis mentio, eum ipsum esse statuit, qui, ut ex actis Cypriani constat, proconsul in Africa, et anno 254. seq. urbi Romae praefectus fuit. Confer *opusculum de praef. urb. apud Bucherium post canon. Victoris p.* 236. *seq. edit. an.* 1634. At fuerunt qui contra dicerent, actaque illa in spuriis numeranda esse iam affirmarent. Itaque mutavit sententiam ad d. 12. *februar. tom.* II. ut animadvertit Bonarrotius. Huic assensus est Ruinart. *act. sinc. ss. mm. p.* 402. *edit. veron.* Contra censuit Bonarrotius *praef. p.* 15., *et tab.* 18. *p.* 126. longeque esse contendit verisimiliorem priorem Bolland. sen-

Iusti (1), Damae, Simonis, Petri, Flori (2) etc. in picturis, vitrisque persaepe videmus imagines; Cypriani (3) autem, Vincentii (4) diaconi, aliorumque exterorum perraro.

tentiam. Fortasse id scripsit, ut vitra, in quibus est Agnetis effigies, antiquiora esse Diocletiani aetate demonstraret. Sed nihil effecit. Ergo Evodius Assemanus, Baronium ad an. 204., Tillemontium *pag.* 344. *tom. iv. edit. paris.* sequutus, an. circ. 304. Agnetem interfectam pugnat *tom. ii. act. ss. mm. occident. p.* 157. *edit. an.* 1748.

(1) Confer supra pag. 58. vitrei vasis fragmentum, quod servari apud Iohannem Lercarium eruditissimum praesulem diximus, Boldettum *lib. i. cap. xxxix. p.* 201., Bonarrotium tab. 19. fig. 2. rursumque Boldettum p. 212., et quam nos dedimus fig. 1. tab. 14. De Dama vero consulendus Aringhus *tom. ii. Romae subterr. p.* 405. *in pag.* 404., qui a Dama Timotheum facit, nescio, quo errore. Contra Bonarrotius Damam vocat, et qui sit, quaeriiet. Initio suspicatur antiquum aliquem martyrem romanum esse, cuius memoria interciderit. Damam inde fuisse initio secundi saeculi episcopum magnesiorum addit, ut ex initio epistolae Ignatii ad eius urbis christianos constat. Post immutatum fortasse H in A putat, atque e Δήμᾳ factum Δάμαν Pauli apostoli discipulum, cuius fit in epistola ad Philemonem mentio. Multos denique vixisse olim ethnicos, quibus id esset nomen; quae res inscriptionum quarumdam, quas refert pag. 136. seq. auctoritate liquet. Mihi ea sententia videtur ad veritatem propensior, quae *Damam* auditorem Pauli, qui Romae cum eodem apostolo versatus est, hunc ipsum esse, quem vitra exhibent, statuit. Nam Timothei quoque imago in vitris picta interdum cernitur, apud Aringhum *ib.*, quem scimus unum Paulo fuisse institutore. Haec si vera est opinio, martyrem decessisse Damam oportet. Nam est saepe indicium martyrii corona, seu diadema expressum in vitro apud Bonarrotium tab. 19. fig. 3. Confer eumd. *ibid. et pag.* 133. *seq.* Ad Iustum quod attinet, non me latet esse aliquos, qui Systum legendum existiment. Nam in vitris quibusdam Sustus legitur. Vide Bonarr. *ibid. pag.* 135. Hoc si ita est, Systus fortasse pontifex is erit, cuius est vitris impressa imago. Ac Sustus legitur in lercariano, et aringhianis vitris, et apud Boldettum *loc. cit. p.* 194. *fig.* 6. Fortasse τὸ y, in u, quod saepe fiebat, ut e Systo Sustum faceret, artifex commutavit. De Systo pontifice, ac martyre in calendario bucheriano apud Ruinartium *act. mart. sinc. p.* 731. *edit. ver.*, viii. *id. aug. Systi in Callisti.* At cur Iustus Pauli discipulus, *vide epist. ad coloss. cap. iv. v.* 11. cum Timotheo interdum, ut apud Boldettum *ibid.*, et apud Aringhum *ib. fig.* 1. interdum cum *Dama*, *Aring. ibid. fig.* 2. *et sup. pag.* 33. *huius lib.* Pauli item discipulis poni non potuit? Sed utcumque sese res habet, hoc certum est, aut apostoli eos fuisse auditores, aut certe martyres, qui Romae causa religionis mortem obierint. Atque in vitro, quod exhibui supra *tab.* 14. *pag.* 55., non Sustus, sed Iustus legitur. De Petro, et Floro nolle se agere Bonarrotius *ibid. pag.* 135., propterea quod multi sint in martyrologiis, in primisque in eo, quod edidit Florentinius, martyres non asteri modo, sed etiam romani hisce nominibus vocati. Vide Bonarrot. tab. 19. fig. 3. De Simone qui sit dubitat. Nullum enim invenit in martyrologiis hoc nomine appellatum romanum martyrem. At si Stephanum pinxerunt in vitris romani, Bonarr. tab. 17. fig. 1., quid impediebat, quo minus Simonem apostolum, aut Simonem, cui *Niger* cognomen erat, manusque Paulo imposuit *act. cap. xiii. v.* 1. *seq.*, pingerent? Sed nolo coniecturis indulgere. Itaque de Simone nihil statuo. Verum erunt fortasse, qui Timotheum quoque, ut est apud Aringhum *ibid. fig.* 1., et Boldettum *pag.* 194. *fig.* 6., martyrem quempiam romanum fuisse putent. Equidem Pauli discipulum indicatum mallem. Hunc enim cum habeam in promtu, quid ignotum martyrem quaerendum indicem?

(2) Qui sit Philippus in vitro apud Boldettum una cum Simone, Dama, Petroque pictus pag. 201. fig. 18. (nisi apostolus, aut diaconus, aut filius s. Felicitatis ille sit, cuius fit una cum fratre Felice in calend. bucheriano apud Ruinart. *pag.* 531. *edit. veron. act. sinc. ss. mm.* mentio) ne suspicari quidem possum. Callisti quoque pontificis imago in vitro apud eumdem Boldettum *ibid. fig.* 17. cernitur. De hoc item in calend. bucheriano prid. id. octob., *Callisti in via Aurelia.* Hippolyti etiam effigies conspicitur in vitro apud Boldettum p. 194. n. 3. Huius meminerunt Prudentius, aliique. Atque de eodem singularem scripsit dissertationem doctissimus Ruggerius, quam secundo vol. huiusce operis laudavi pag. 76. Confer vitrum apud Aringhum *tom. ii.* p. 265., quod nos supra tab. 13. fig. 7. retulimus, in quo impressae effigies sanctorum Petri, Pauli, Hippolyti, Cypriani, Susti, Laurentii. In calendario bucheriano apud Ruinartium *p.* 531. *edit. veron.*, et apud Aringhum *tom. ii. p.* 427., et Blanchinum *tom. ii. app. Anastas. p.* 9., *idibus augusti, Hippolyti in tiburtina.* In coemeterio Priscillae extabat tabella lateritia supra oram, in qua erat a sculptore eleganter insculptum martyrium s. Sebastiani. Vide calendar. bucher. ad 13. kal. febr., Aringh. *tom. ii. pag.* 335. Quinetiam in coemeterio Pontiani apud Aringhum tab. 3. *lib. ii. cap. xxii. p.* 383. cernuntur imagines sanctorum Milis, Abdon, et Sennen, quorum fit in eodem calendario bucheriano mentio. Mitto ceteros romanos martyres, ne sim longior, quam oportet.

(3) Vide tab. 13. fig. 7. Aringhum *tom. ii. p.* 265., Bonarrotium tab. 10. fig. 2. Cypriani iam inde ab antiquissimis temporibus in ecclesia romana celebrabatur memoria. Confer calendarium bucherianum apud Ruinart. et Aringhum loc. cit.


(4) S. Vincentii diaconi in picturis coemeterialibus

29. Venio ad cervos, ceterasque beluas, quarum figuris ceu symbolis quibusdam, quod a rebus, quae sub sensus cadant, dirigi mortales ad rerum divinarum cognitionem putarent, maiores nostri utebantur. Ac cervos (1) quidem illi pingi, sculpive curabant, ut quanto Dei, Christique desiderio flagrarent, ostenderent. Est enim eiusmodi e psalmis (2) de cervo a Davide sumta similitudo. Rursum idem animal, cum timidum sit, incredebilique velocitate, dum incidit in venatores, ut suae vitae prospiciat, fugiat; tum eius figura veluti symbolo monebantur nostri, ut ne cataphrygis (3) haereticis assentirentur, qui christiano in vitae periculum vocato negarent fugere licere. Non enim solum quid cuique agendum, sed quid esset etiam, contra atque ab haereticis iactaretur, credendum huiusmodi signis intelligebant. Quid? si praeterea cervo Christum significabant, qui scilicet Christus in eorum, a quibus sibi esse insidias paratas sciret, descendit societatem? Accedebat opinio aliquorum, qui idem animal *poenitentium* figuram esse arbitrabantur (4). Iam equos ea fortasse ratione pingebant, quod his innui, velocem quemque ad evangelii veritatem currere oportere. Est enim haec Clementis

interdum imagines occurrunt. Vide Aringhum *tom.* I. *pag.* 383.


(1) Vide Aringhum *lib.* IV. *p.* 61. 63. 181., *lib.* VI. *cap.* XXXII. *p.* 603. *seq. tom.* II. *opp.*

(2) *Psalm.* 41. Lucerna fictilis coemeterialis veterum christianorum, cui cervi figura impressa erat, in museo Iohannis Baptistae Casalii servabatur, quam ille edidit *lib. de veter. sacr. christianor. ritib. p.* 228. Confer Aringhum *ibid.* erat autem huiusmodi.



(3) Factum id semper ab orthodoxis fuit, ut, si vita possent, periculum vitarent. Sed de hoc aliis. At id Tertullianus, cum contra nostros episcopos disputat, reprehendens *lib. de corona militis cap.* I., *Novi*, inquit, *et pastores eorum, in pace leones, in praelio cervos etc.* Ac symbolis quidem primorum temporum christianos uti consuesse, quibus haereses, quae oriebantur, ecclesiamque perturbabant, notare possent, recte est observatum a Bonarrotio *tab.* I. *p.* 9. *seq.*

(4) Aringh. *ibid.*


FIR' ΊΙΑ VIC Ↄ
D.P. XYSTE ' IE
X. KAL. FEB.
AYΓЄNTIHC
IVLIO FILIO PATER DOLLENS
S
INAVRA

alexandrini in priore paedagogi libro sententia (1). Quamquam sunt, qui alias quoque huiusce usus interpretationes consectentur. Haedi, qui interdum in maiorum nostrorum monumentis conspiciuntur, nihil magis, mea quidem opinione, quam eos, qui sese aliquo peccato implicarant, significant (2).

Ferarum vero, atque leonum praecipue figuris veteres indicabant, cussa religionis, ne bestias quidem christiano viro terrori esse oportere. Leonem deinde fortitudinis esse, vigilantiaeque signum censebant. Itaque hoc modo suos hortabantur, ut vigilarent, utque fortes in bello essent, cumque antiquo serpente confligerent, si consequi regnum sempiternum vellent. Nihil autem impedio, quo minus quisquam leonis symbolo Christu m indicari putet, qui Christus *leo de tribu Iuda* in sacris bibliis appellatur (3).

Sed his figuris alii Christum, alii apostolos, ceterosque propagatores christianac religionis, alii iustos, sanctosque homines, alii denique martyres demonstrari existimant ; quamobrem harum significationum aliquam fuisse, quae maiores nostros, ut his quoque uterentur, induceret (4).

Nam lepuscolorum (5) etsi non tam saepe in coemeteriis, at interdum tamen figurae reperiuntur. Quem in usum cum diligenter inquisissem, vix quidqnam reperi, quod satis grave, satisque ad rem explicandam opportunum esse videretur. Nisi forte quis velit, idcirco leporum fugientium symbolum fuisse aut pictum, aut lucernis fictilibus impressum, ut intelligeretur fugiendam esse luxuriam, temperantiamque colendam. Veteres namque christiani hoc animantis genus existimabant indicium esse libidinis (6).

Quid ? quod vulpes etiam exprimere studerent ? Id vero eo fortasse consilio faciebant, ut eius bestiae symbolo nostri cognoscerent, non vafros esse nos, sed simplices, atque candidos oportere.

Animadverti autem, volucrum etiam figuras in coemeteriali-

(1) Confer Boldettum *lib.* I. *cap.* XL. *p.* 205. *seq.* De equis consule Clem. alex. *lib.* I. *paedag. cap. ult. p.* 136.

(2) Aliqua nos eiusmodi figuras praeseferentia monumenta in museo vatheollano vidimus, ut et lucernam, cui est apri figura impressa. Adeundus Boldettum p. 376. Vide Clem. alex. *lib.* II. *paedag. cap.* VI. *pag.* 170. *edit. an.* 1741.

(3) Vide Bold. *p.* 468., *et lib.* I. *cap.* VI. *p.* 123. *seq.*

(4) Vide Aringh. *lib.* VI. *cap.* XXXII. *p.* 600. *seq.*

(5) Vide tab. 17., quae columbas, et leonem, et lepusculum, et dolia, et pyram exhibet Vide Boldettum pag. 370., et Aringhum *p.* 65. *tom.* II.

(6) Clem. alex. *lib.* II. *cap.* X. *paed. p.* 189. *seq.*

bus monumentis magno numero detegi solere. In his sunt columbae, de quibus cum alio loco dictum sit (1), non est necesse, ut rursum esse dicendum putem. Nam quod ita vel pingerentur, vel insculperentur marmori, vel parietibus imprimerentur, ut modo ramum olivae deferre, modo insidere cruci, modo plures circum idem salutis signum consistere, modo solae manere, modo ad vas aliquod, aut ad arborem accedere videantur, parvi refert. Eo enim omnia recidunt, ut nihil ab iis rebus discrepans indicent, quas primo huiusce operis libro descripsimus.

Pavonem vero cur in coemeteriis exhiberent, nescio. Sunt qui resurrectionis symbolum esse arbitrentur. Quorum sane etsi veterum patrum auctoritate non constet, tamen nulla satis gravi ratione reprobari potest, sententia (2). Phoenicem insculptam sepulcro s. Maximi a s. Caecilia fuisse legimus, quod avis genus, etsi est fabulosum, tamen indicium apud christianos, ac symbolum erat restitutionis corporum humanorum (3).

Nam gallum aut Petri imaginibus adiungebant, quae res et lapsum fuisse apostolum, et mox ad sanitatem reversum indicabat; aut solum pingere, sculpereve solebant, quod id animal vigilantiae symbolum esse statuerent; aut duos simul pugnantes, quibus pueri spiritus adderent, palmasque ostentarent, in vitris praesertim veteres exprimebant, ut ei, qui strenue pro Christo certasset, palmam gloriae esse paratam demonstrarent (4).

Iam de piscibus satis est libro priore huiusce operis disputatum. Illud quaeri hoc loco potest, cur tam frequentes in coemeteriis delphini figurae pictae, sculptaeve reperiantur. Ac video equidem Aringhum in ea opinione versari, ut existimet, hoc piscis genere, quod purioribus aquis (5) innatat, christianos significari, qui teneri non debeant cupiditate rerum terrenarum. Id ne vero sibi veteres voluerint, an aliud quidpiam discrepans, ipse viderit. Neque enim vacat in hisce rebus evolvendis, explicandisque diligentiorem operam locare. De serpente (6) nihil attinet

(1) *Lib.* I. *cap.* I. §. II. *p.* 66. *huius operis.*

(2) Aringh. *lib.* VI. *cap.* XXXVI. *p.* 610. Vide tab. 18.


(3) Clemens rom. *epist. ad corinth.* num. 25. *pag.* 22. *edit. Constant.*, Bold. *p.* 230.

(4) Boldettus *lib.* I. *cap.* XI. *pag.* 216. Vide quae nos ex Boldetto exhiberi curavimus tab. 18. fig. 1. et 2.

(5) *Lib.* VI. *cap.* XXXIX. *p.* 621. *seq.*

(6) Confer *tab.* 1. *fig.* 3. *huius op.*, in qua quidem figura ter est τὸ ☧ expressum, et super tres pastorculum, pastor ovem gestans, et serpens denique


CONSTAN
TI.IN PACE
CESQVE


FLAVIA.SECVNDA.QVÆ.VIXIT
AN XXXIII BITORIANVS BE
NEMERENTI·CONIVGI·SVAE·FE
CIT


AELIABICTORI
NA POSVIT
AVRELIAE
PROBAE

dicere. Est enim ea quaestio paullo ante accurate, quoad eius fieri potuit, explicata. Quamquam est id etiam diligenter considerandum, eius animalis figura expressam a patribus fuisse eam, quam quisque christianus colere deberet, prudentiam. Memores enim verborum Christi servatoris erant, qui in evangelio sanxisset, simplices nos veluti columbas, atque instar serpentum prudentes esse oportere (1).

30. Nam arborum symbolis sunt, qui Christum ipsum, eosque omnes, qui eidem magistro adhaeserint, designari putent. Quid? si bonos, qui recte, et improbos, qui perverse agerent, bonarum, malarumque arborum similitudine ille ipse generis humani magister, ac servator Christus significarit, maioresque nostros incenderit, ut eas in coemeteriis pingi, sculpique facerent (2)?

Sed cypressos in primis in arenariis descriptas videmus, quod intellectum esset, mortis eas figuras existimari, quas proinde in sepulcris pictura, sculpturaque exprimere (3) liceret. Eademque fuit caussa, quamobrem pinum quandoque, myrtumque antiqui pingerent, sculperentque (4). At enim his palmae coniungi solebant, quibus significaretur, christianos, qui pie sancteque vixerint, sic interire, ut post mortem palmam victoriae de hoste generis humani, ac praemium gloriae sempiternae ferant (5). Nam palmam, cuius apud nostros longe frequentior erat usus, qui neget symbolum victoriae esse, cur idem rem quamque certam negare nequeat, ne suspicari quidem possum. Ergo patres, cum de martyribus scriberent, modo coronam (distribui quippe coronae victori militi consueverant), modo palmam eos victoriae consequutos esse dicebant, qua quidem in caelum triumphantes, perpetuo

(1) *Matth. cap.* x. v. 16. Formicas praeterea pingebant, aut insculpebant lapidibus, ut providentiam significarent; ad formicam enim ab Salomone piger mittitur, ut ex ea solertiam, diligentiamque discat. Vide etiam Boldettum pag. 386. Sunt alias in pictis, sculptisque tabulis figurae animalium, quae significatione non carent. Sed, ne lectori molestiam crearem, praetermittendas putavi.

(2) Vide Aringhum *lib.* vi. *cap.* xxi. *p.* 629. *seq.*


(3) Aringh. *ibid. cap.* xxii. *p.* 634. *seq.* Coemeterialem lapidem, quem Aringhus *ibid. pag.* 632. dedit, nos ipsi exhibuimus *tom.* i. *huius operis p.* 409.

(4) Aringhus *ibid. p.* 634.

(5) De palma multa habet Boldettus. Confer etiam Aringhum *ibid. cap.* xxiii. *p.* 632. Pingi ea, sculpique marmoribus, tabulis, gemmis, aliisque monumentis solebat. Aliqua nos eiusmodi dedimus in priore volumine *tom.* i. *huius op. pag.* 220. 232. *etc.* In vitris quoque palmarum figuras imprimere solebant. Vide *tom.* i. *huius op. p.* 459., *et tab.* 41. *pag.* 50. *huius vol.* In lucernis quoque. Vide supra tab. 4. pag. 36. huiusce voluminis. Arborem palmae, circum quam columbae volant, exhibet lucerna coemeterialis apud Aringhum *tom.* i. *pag.* 547., *tom.* ii. *p.* 638., cuius simile schema in p. seq. dare voluimus.

regno potituri, introducerentur. Sed mitto de palma copiosius dicere, ne sim longus.

Venio ad oleam. Sunt autem eius significationes perplures, quarum aliquas prophetae in vetere testamento, ceteras patres



Annularibus item lapidibus palmae insculpebatur, quorum aliquos in museo Victorio vidimus. Sed sarcophagos, lucernas, vasa, picturas, annulos, et reliqua vetera monumenta, in quibus aut impressae, aut pictae palmae cernuntur, quaeque referunt Bosius, Gruterus, Aringhus, Muratorius, Bottarius, Marangonus, Victorius, Donius, Montfauconus, Boldettus, Lupius etc., referre velle, opus longum, et molestiae plenum esset. Confer Aringhum tom. II. p. 336. seq., Boldettum lib. I. cap. XL. seq. p. 212. seq., Bonarrotium p. 27. seq., 44. seq., 85. seq., 217. seq. Mitto ceteros, ne sim longus. Sed praeterire non possum illustre documentum, quod exhibet Aringhus tom. I. p.508. Inventam enim, inquit, fuisse in coemeterio s. Agnetis via nomentana in Constantii martyris sepulcro vitream pateram, qua iussu tyranni propinatum s. martyri venenum fuisse censet.

PATERA VITREA IN QUA VENENUM COSTANTIO MART. PROPINATUM EST UNA CUM PATINA ALABASTRINA EX COEMETERIO S. AGNETIS VIA NOMENTANA



suis commentariis complexi sunt. Igitur et uberes arbor eiusmodi fructus bonorum operum, et virtutum splendorem, et pacem, tranquillitatemque vitae, et candorem, atque innocentiam animorum, et misericordiam, et magnam erga homines ceteros pietatem (1) significabat.

Vites (2) autem, racemosque uvarum in sacellis coemeteriorum, in sarcophagis, in lucernis etc. exprimere solebant, propterea quod hoc symbolo aut synagogam, quam vineam electam a prophetis appellatam fuisse legissent, aut Christum, qui se vitem veram dixisset, aut christianos, qui magistro, ut viti palmites adhaerescerent, fructumque ferrent, indicare vellent. Immo vero fuerunt, qui uvis martyras designari arbitrarentur. In his est Hieronymus (3), cuius cum in rebus ceteris, tum in hoc genere singularem esse constat auctoritatem. Sed significationes vitis, uvaeque omnes persequi non est necesse. Hoc breve dico. Impressum (4) lucernis interdum fuisse botrum, quem vecte duo viri sustinere viderentur, ut mortales reminiscerentur eorum, quae Moses in numerorum libro de exploratoribus in Chananitidem missis, atque illinc cum ingenti uva reversis descripserat (5).

31. Age vero cur sepulcris domorum (6) figuras imprimerent, quidque his sibi antiqui christiani vellent videamus. Cum

Id vero ex alabastrina quadam patina, quae vitreae paterae subslabat, constare scribit, cui ex palmarum ramis formata corona, et hae litterae sunt insculptae; *Non unda lethalis est aura Constanti ferre, quam licuit ferro coronam.* Pateram autem, patinamque exhibet tab. 19. Vasa praeterea plena florum, floresque sparsos interdum in picturis coemeterialibus, sculpturisque conspicimus. Confer *tab.* 1. *fig.* 1. *p.* 15. *huius vol.*, et Aringh. *tom.* II. *p.* 269., 271. et alibi. Sed de florum usu apud veteres christianos vide quae dixi *tom.* I. *huius op.* *p.* 188. *not.* 2.

(1) Vide Aringhum *tom.* II. *p.* 642. *seq.*

(2) De vite in sarcophagis confer Bottarium, qui ex Bosio, et Aringho accepit *tom.* I. *p.* 150. Vide etiam Mabillonium *lib.* XVIII. *annal. benedict.* n. 72. *pag.* 575. *tom.* I. *edit. luc.*, quo loco exhibet figuram urnae sepulcralis, cui a primis christianis est insculpta vitis cum uvae racemis. Adeundi denique Fabrettus *inscript. domest.* *p.* 565., idemque Mabillonius *epist. de cultu sanctorum ignotorum pag.* 649. ubi » Quod priore loco, *inquit*, » me arguit (Fabrettus) quasi promptior fuerim, ut » paganici ritus suspicionem admitterem in templo, ac » tumulo sanctae Constantiae, seu Constantinae, in » cuius vase, atque in fornice ex musivo exhibentur » genii uvas demetentes, ferentes, et calcantes, neque » monitum velt, vitem vindemiamque ipsam inter » praecipua, et frequentiora christianorum monumen» torum ornamenta locum habere, quamquam hoc in » re monitore non indigebam; gratiam tamen mo» nenti habeo ».

(3) Hieronym. *In cap.* IX. *Amos tom.* III. *opp. edit. Martian. p.* 1452. Consule Aringhum, qui de vite, uvisque multa disputat *lib.* VI. *cap.* XLV. *p.* 647. *seq. tom.* II. *Rom. subterr.*

(4) De uva lucernis impressa adisis Aringhum *ibid.* Confer schema coemeterialis lucernae, quod supra exhibuimus pag. 66., ex Aringho loc. cit., Boldettus *lib.* II. *cap.* IV. *p.* 570. refert lapidem sepulcralem, cui praeter litteras ἀυγέντιης insculptae sunt figurae racemi uvae, et columbae palmam deferentis, ita ut expressa a nobis est supra *tab.* 17. *huius vol.* Sed non est cur huiusmodi monumenta omnia, quae collegerunt antiquarii, a quibus res veterum christianorum sunt illustratae, aut velim, aut tam breviter complecti possim.

(5) *Numeror. cap.* XIII. *v.* 24. *seq.*

(6) Vide supra *tab.* 1. *fig.* 2. *p.* 15., quo loco Calevii sepulcrum exhibuimus, ita ut exhibetur ab Iohanne Victorio Rubeo in schedis, quae in coenobio prae-

enim psalmos recitare, ceterosque veteris, et novi testamenti libros aut legerent ipsi per se, aut ab aliis legi facerent, atque animo, quae ipsis continebantur, considerarent, tum ubi sepulcra domos mortalium appellari intellexerunt, propterea quod in ipsis diu, multumque iacere corpora nostra debeant, domos in extima eorumdem superficie vel coloribus pingi, vel sculptura exprimi curabant. Praeterea in epistolis Pauli corpora nostra domos vocari terrestres norant, quibus domibus dissolutis, confidebant fore, ut *domum non manufactam in caelis* invenirent, in eaque perpetuo versarentur. Ac in *domo* patris sui Christus *mansiones multas esse* dixerat, in quibus degere, qui caste, pie, integreque vixerant, possent. Quamobrem simile esse arbitror veri, advertisse ad haec primorum temporum christianos animum, domosque in monumentis depingere interdum constituisse, *ut domum terrestrem* jam in cineres redactam sarcophago includi, animumque in alias aedes migrasse significarent (1). Est autem in marmore, quod paullo ante descripsimus (2), illud singulare, ut media cernatur domus, quae aut sepulcrum, aut corpus in pulverem aliquando redigendum indicet; sinister vero sit piscis, symbolum mortis improviso hominem impetentis; tum dexterum candelabrum, quo innuitur lucernas quemque ardentes ferre, vigilareque, atque ubi decesserit expectare debere, quoad voluntate Dei a mortuis excitetur. Itaque Lazari sepulcrum huius rei significandae caussa adsumptum est. Demum statera desuper sculpta est, ut cognoscatur, revocatis ad vitam mortuis, iustum iudicium futurum.


32. Navem in lucernis, sarcophagis, picturisque exhiberi non eam solum, e qua praeceps in mare actus Ionas fuit, sed etiam symbolicam, aut solam, aut quam Petrus apostolus regere videatur, comperta res (3) est. Tritus quoque multorum sermone est

dicatorum ad montem Marium servantur. Sed in ea tabula deest candelabrum, quod tamen insculptum sepulcrali tabulae erat. Vide supra *pag.* 30. *huius vol.* Et quoniam de candelabro incidit mentio, animadvertendum est, extare in museo Victorio gemmam, in qua est sculpta candelabri figura. Haec autem cur a christiano scalpta non sit, ne suspicari quidem possum. Rursum ex Donio apud Muratorium extat inscriptio graeca, cui addita est candelabri figura *tom.* IV. *thesaur. p.* 1852. Ea in latinum sermonem versa inscriptio sic habet: *Hic iacet Constantii infantis in pace dormitio sius.* Dubitat Muratorius christiana ea sit, an non. Mihi ita videtur, esse christianam. Domus praeterea figuram dedi *tom.* I. *p.* 408.

(1) Haec fuse, eruditeque persequitur Aringhus *lib.* VI. *cap.* XXVII. *p.* 654. *seq.*

(2) Vide sup. pag. 28. et pag. 15.

(3) Confer dissertationem Hieronymi Aleandri iunioris inscriptam: *Navis ecclesiam referentis symbolum in veteri gemma annulari insculptum.* Eam nos gemmam exhibuimus *tom.* I. *pag.* 260. Vide tabellam eburneam, cuius nos ipsi figuram dedimus *tom. eod. p.* 241. Extat


DOMINVS LEGEM
DAT VALERIO SEVERO
EVTROPI VIVAS

Clementis alexandrini in paedagogo de nave in annulis christianorum insculpenda locus (1). Itaque huius generis annulares gemmae in coemeteriis reperiri et plures, et scalptae eleganter solent. Neque signi tantum (2) loco figura navis, ut quod quisque suorum esset sepulcrum cognosceret (quamquam id factum eo consilio non nunquam fuisse facile patior), verum etiam rei alicuius sacrae significandae caussa exprimebatur. Nisi enim navis symbolum sacrum fuisset, Clemens, ut annulis imprimeretur, numquam iussisset. Itaque hoc restat, ut cuiusnam rei esset indicium investigemus. Atque intelligo esse aliquos, qui ecclesiam designari censeant navis (3) symbolo. Quorum multis monumentis confirmari potest sententia. Nam lucerna coemeterialis, quae Florentiae servatur, quaeque navis figuram praesefert, ad cuius puppim Petrus temonem tenens sedeat, ad proram autem Paulus ita stet, ut (4) nunciare iis, qui maris fluctibus sunt oppressi, evangelium, eosque invitare, ut navim conscendant, videatur; quid aliud, nisi

praeterea apud Causeum, Bartholum, Fogginium, Maffeium, aliosque schema lucernae, in cuius puppi est Petrus temonem tenens, in prora Paulus praedicans, ita scilicet, ut in adiuncta tabula 20. exhibetur. Quamquam est aenea illa lucerna, quae in museo mediceo Florentiae servatur aliquanto ab hoc schemate, quod dedit Bartholus, discrepans, omninoque eius similis, quem dedit Fogginius exercit. xx. *de s. Petri itinere rom., et apostolatu pag.* 484. *et seq.*

(1) *Lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 245. *edit. an.* 1641. Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πελειάς, ἢ ἰχθύς, ἢ ναῦς οὐρανοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσική, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ναυτική, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis, quae cursu in caelum feratur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel ancora nautica, quam insculpebat Seleucus.

(2) Consule Bonarrotium *in praef. p.* 9. *seq.*, qui refert ex Fabretto *inscript. domest. cap.* VIII. *pag.* 566. inscriptionem, quae sic habet. *Nabira in pace anima dulcis, qui bixit annos* XVI. *m.* V. *anima melein titulu fecin a parentes signu nabe.* Nam insculpta eidem lapidi navis erat invento in coemeterio s. Agnetis.

(3) Consule Aleandrum *ibid.*, et Boldettum *lib.* I. *cap.* VI. *p.* 23.

(4) De lucerna medicea sic habet Iohannes Lamius vir doctissimus in eo, qui inscribitur de eruditione apostolorum libro, *cap.* IV. *p.* 61. *edit. an.* 1738. « Vetusta quaedam aerea pulcherrimaque gazae mediceae lucerna navem, Petro gubernaculum in puppi moderante, Paulo vero in prora praedicante, mysticam refert », et p. 94. « In antiqua aenea lucerna gazae mediceae, quam alibi laudavimus, ecclesiam sub navis symbolo referente, Petrus, qui gubernaculum regit, habet pedes calceis undique vestitos etc. ». Similia omnino habent Fogginius *exercit.* XX. *de rom. d. Petri itinere, et apostolatu p.* 485. *seq.*, Antonius Franciscus Gorius *inscription. etruscar. etc. tom.* I. *p.* 78. *edit. florent.* Miror autem quid sit, quod Scipio Maffeius vir eruditissimus *osserv. litter. veron. tom.* V. *p.* 23. *seq. edit. an.* 1739., primum omnium esse, dicat, se, qui Petrum navis gubernacula tenere, Paulumque praedicare observaverit, eosque qui ante de lucerna eadem disseruissent, nihil simile fuisse suspicatos scribat, cum Iohannem Lamium id prius animadvertisset, quam observationum litterariae lucem adspexissent. Nam etsi fatear errasse Causeum, et Bellorium, eosque sequutum Georgium *de monogr. Christi pag.* 16. *edit. an.* 1738., non tamen erat statuendum, omnes, quos minime Maffeius legisset, inepte, inscitèque in figuris lucernae mediceae illustrandis fuisse versatos. De nave annulis, lapidibusque a christianis veteribus insculpta vide Boldettum *lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 502., *et lib.* II. *cap.* III. *pag.* 346., *cap.* IV. *p.* 362. *seq.* In Flaviae Secundae sepulcro, quod inventum in coemeterio Callisti est, ut refert Boldettus *ibid. p.* 360. navis cernitur, cui insidet columba. Vide tab. 21. fig. 2. Mitto ceteros, qui gemmas, et lapides, in quibus huiusmodi symbolum cernitur, recensuerunt, ne sim longior, quam oportet.

ecclesiam, indicet, ne coniectura quidem assequi possum. At omnia quae eodem pertineant, recensere velle, longum est. Quod si haec non essent in promptu, id quidem certe patrum, veterumque scriptorum testimoniis confirmaretur, ecclesiam exhiberi navis signo (1) aientium.

33. Anchoram (2) autem non spei modo, ut alio loco videbimus; sed etiam constantiae fortitudinisque indicium esse, tam est manifestum, ut iure a nemine revocari in controversiam posse putem. Id vero, quoniam virorum doctorum opera (3) demonstratum est, nunc omittatur. Sed tacitus praetermittere nullo modo possum, anchoram in sepulcro s. Faustinae m. (4) cerni cum inscriptione: *Virgini fortissimae.*

34. Doliorum figuram interdum praeseferebant (5) vascula vitrea, quibus sanguinem ss. martyrum christiani veteres includebant. Cuius generis apud Boldettum figuram cernere cuique licet. Atque pingi quoque, sculpique sepulcris (6) dolia consueverant. Id autem scriptores aliquot eo consilio factum putant, ut intelligeretur commissuris lignorum, quibus dolia componuntur (7), concordiam, mutuumque christianorum amorem indicari, qui sanguine martyrum accendi magis, et crescere soleret. Vinum namque, quod doliis continetur, sanguinis (8) esse symbolum arbitrantur. Esse praeterea quosdam constat, qui ecclesiae figuram dolium esse contendant. Quin etiam non dubito fore nonnullos, qui cum hanc inscriptionem apud Boldettum legerint: *Iulio filio pater* (9) *doliens*, cui quidem inscriptioni doliola esse video adiun-

(1) Alioqui cur *οὐρανοδρομοῦσα* navis a Clemente alexandrino appellaretur, nisi ecclesiam indicaret in caelum tendentem? Sed de his rebus consule Boldettum *pag.* 23., *et Aleandrum loc. cit.*

(2) Anchorae symbolum lapidibus, gemmis, lucernis etc. fuisse ab antiquis christianis impressum constare cuique facile poterit, non solum ex loco mox indicato Clementis; sed etiam ex Bosio, Aringho, Muratorio, Boldetto, Lupio, Bottario, Ciampino, Montfaucono, Victorio, aliisque antiquitatum christianorum cultoribus. Eorum monumentorum aliqua nos exhibuimus in priore huiusce operis volumine *praef.* XX. *p.* 8. 231.

(3) Vide Aringhum *lib.* VI. *p.* 627. *seq.*

(4) Vide Boldettum pag. 389. Constantiae autem, fortitudinis, speique signum anchoram esse ostendit *ibid.* Aringhus.

(5) Confer Boldettum *lib.* I. *cap.* XXXIII. *pag.* 163. Hoc idem symbolum insculpi lapidibus, parietibusque solebat. Aringhus *tom.* II. *p.* 259., Boldettus *ib. p.* 164., *et lib.* II. *cap.* IV. *p.* 360. *et* 370., et Lupius vir eruditissimus *monument. s. Severae p.* 37. Quinetiam picta dolia interdum in coemeteriis visuntur. Adisis Aringhum *tom.* II. *p.* 213. 317. *etc.*

(6) Consule notationem superiorem, et Muratorium *thesaur. nov. inscript.* 1926. *tom.* IV.

(7) Confer Boldettum *ibid. p.* 163. *lib.* I. *c.* XXXIII.

(8) Boldettus *ibid. p.* 164.

(9) Vide supra tab. 17. sepulcrum Iulii, cui insculpta sunt dolia duo, additaque doliis inscriptio: *Iulio filio pater doliens,* pro *dolens.* Ex qua re coniecturam quis ducere potest, ob similitudinem vocum *doloris, et dolii* fuisse *dolia* insculpta sepulcris interdum, et dolor significaretur, quo fuisset affectus is, qui inscribi epigramma curasset.

cta duo, adlusisse ad similitudinem vocis auctorem epigrammatis eiusdem suspicentur, ut ex dolio quantum pater interitu Iulii filii doloris cepisset, significaret.

Lyram cur pingerent veteres, illud fortasse in caussa (1) fuit, quod hoc instrumenti genere Orpheum feras mites reddidisse audissent, ostendereque vellent non feras, ut est in fabulis, sed a Christo immanes, barbarosque homines inductos fuisse, ut mores suos ad virtutem componerent, sanctamque colerent (2) religionem.

Ventum tandem est ad quatuor anni (3) tempestates, quas ut ethnici, sic deinceps christiani variis symbolis exprimere non sculptis sarcophagis modo, sed etiam picturis coemeteriorum consueverant. Sed etsi utrique iisdem fere emblematibus hyemem, verem, aestatem, atque autumnum fingebant, diversam tamen his tribuendam significationem arbitrabantur. Nam ethnicorum plena erat superstitionis interpretatio; sancta vero, conducensque ad virtutem ea, quae erat propria christianorum. Quas enim illi fabulas de novo saeculorum ordine, ac de reditu virginis, saturniorumque regnorum, huiusmodi imaginibus indicari putabant; eas nostri contemni oportere existimabant, et quatuor anni tempora in eum sensum convertebant, ut partim vitae praesentis statum, partim futurum indicarent, ut corpora nostra divina potestate tandem aliquando restituerentur, regnumque in caelo boni corporibus praediti obtinerent, a quo incommoda, languor, omne denique miseriae genus abesset, quodque esset plenum gloriae, et felicitatis. Atque hyeme quidem idololatriae statum, vere gratiam baptismi, aestate amoris erga Deum, et homines ceteros ardorem,

(1) Confer supra descriptum Clementis alexandrini locum.

(2) De lyra copiose egit clarissimus Bottarius *Rom. subterr. tom. II. pag.* 43. *seq.*, expenditque omnia fere, quae de illo instrumenti genere a veteribus, novisque scriptoribus disputata sunt. Lyram autem symbolum crucis Christi esse, aliasque mysticas habere significationes ostendit Aringhus *lib. VI. cap. XXX. pag.* 562. *seq.*

(3) Anni tempestates quatuor ut christiani significarent, variis symbolis utebantur, quae non admodum discreparent ab iis, quibus ethnici ad rem eamdem exprimendam utebantur. Igitur genios interdum sarcophagis insculpebant, qui ea gestarent, quae propria cuiusque tempestatis essent. In Iunii Bassi sarcophago ad latera (quod tamen neque a Bosio, neque ab Aringho animadversum est) haec symbola visuntur. Consule Bottarium *Rom. subterr. p.* 1. *praef. et p.* 47. *seq. tom. I.* Mitto sarcophagos ceteros, quos Aringhus, aliique proferunt, ne sim longus. In quibusdam picturis coemeterialibus non genii, sed figurae humanae res, quas quaeque anni tempestate produci solent, gestantes exhibentur. Id quod praeter ceteras, exprimit tabula unica cubiculi unici coemeterii Pontiani via portuensi apud Bosium, Aringhum, atque Bottarium *ibid. p.* 211.

autumno martyrium commode significari posse statuebant (1). Neque has solum, sed alias etiam plerasque hisce rebus significationes inesse contendebant, quae etsi omnes ad virtutis cultum referebantur, a me nihilominus, quod brevitati studeam, praetermittuntur.

Nam vasorum, aliarumque multarum (2) rerum, quas in coemeteriis inveniri saepe videmus, symbola mitto, propterea quod vel ethnica sint, vel ita comparata, ut quid indicent, ne coniectura quidem assequi possim. Atque ethnica sane in arenariis christianorum non rei alicuius sacrae designandae ponebant, sed caussa memoria tenendi loci, in quo amici, aut propinqui cuiusquam corpus iaceret. Idcirco enim et fibulas plerumque, et personarum figuras, et annulos, et eburnea, ferrea, aliusque materiae instrumenta addebant, quibus significatio inesset omnino nulla (3).

(1) Anni tempestates eo consilio pingi exprimique curabant christiani veteres, ut ostenderent primo, prospici a Deo rebus universis. Minucius Felix *in Octav.* p. 130. *seq. edit. an.* 1672. » Cum ordo, *inquit*, temporum, ac frugum stabili varietate distinguitur, non» ne auctorem suum, parentemque testatur? Ver cum » suis floribus, et aestas cum suis messibus, et autum» ni maturitas grata, et hiberna olivitas necessaria, » qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione con» sisteret. Iam providentiae quantae, ne hyems sola » glacie ureret, aut sola aestas ardore torreret, autum» ni, et veris inserere medium temperamentum, ut » per vestigia sua anni revertentis occulti, et innoxii » transitus haberentur ». Secundo, nostra corpora tandem restitui oportere. Idem p. 328. seq., » Vide adeo, » quam in solatium nostri resurrectionem futuram » omnis natura meditatur. Sol demergit, et nascitur, » astra labuntur, et redeunt, flores occidunt, et revi» viscunt. Ita corpora in saeculo, ut arbores in hiber» no, occultant virorem ariditate mentita. Quid festi» nas, ut cruda adhuc hyeme reviviscat, et redeat? » Expectandum nobis etiam corporis ver est ». Confer Tertullianum *apolog. cap.* XLVIII. *p.* 156. *seq. in append. ad opp. Tert. edit. venetae an.* 1744. Atque ad rem eamdem pertinere ait Helmenhorstius, quae Athenagoras in legat., Theophilus antiochenus in primo ad Autolycum libro n. 13., Prudentius *lib.* II. *contra Symmachum*, aliique patres, quos ibid. recenset, disputant. Sed de significatione huiusce symboli confer Aringhum *lib.* VI. *cap.* XXXI. *p.* 598. *seq.*, Boldettum *lib.* II. *cap.* XII. *pag.* 465. *seq.*, Marangonum *cose gentilesche ad uso della chiesa cap.* XXI. *p.* 45. *seq.*, Bonarrotium *tab.* 1. *p.* 6. *seq.*, et Bottarium loc. cit.

(2) Tempus deficeret, si omnia symbola recensere vellem, quibus sese maiores nostri ad virtutem colendam excitare consueverant. Itaque haec, quae illustrare conati sumus, satis esse lectori posse arbitramur. Nam qui plura desiderat, is consulat Bosium, Aringhum, Fabrettum, Boldettum, Victorium, Lupium, Bottarium, Muratorium, Gruterum, Bonarrotium, ceterosque scriptores, qui veterum christianorum monumenta data opera illustraverunt.

(3) Bonarrotius *osserv. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro, praef.* p. 9. Antiquos iam usque ab heroum, quos vocabant, temporibus sepulcra signis quibusdam ornare consuesse scribit. In sepulcro Hectoris scutum, ac leonem sculptum fuisse, ut *num.* 110. *tab. iliad. apud Fabrett. post dissert. de columna Traiani pag.* 315. cernere licet. Post ubi aliquot alia exempla numeravit, pag. 10. » I cristiani, *inquit*, nella » medesima maniera dovettero continuare il costu» me antico, e porre questi segni a' sepolcri dei lo» ro defunti .... E veramente a che altro possono mai » aver riguardo quelle tante sorte di robe, le quali si » trovano murate attorno i sepolcri? Poichè figuriamo» ci, che alcune si possano credere come regali, e do» nari d'affetto verso le persone defunte; ma questo » credere si potrebbe di alcune cose più preziose, co» me camei, e simili. Ma perchè metterli per lo più » rotti, e unirli poi sovente intorno ad un medesimo » loculo, o sepolcro con diverse altre bagattelle vili, » e d'ogni materia »?

§. IV.

Omnia quaecumque cogitabant, moliebantur, agebant, in Deum referre christiani veteres consueverant.

Hasce res omnes, quum continenter ante oculos haberent, studioseque contemplarentur, ita scilicet afficiebantur, ut rerum divinarum desiderio flagrarent, ac proinde sibi caverent, ne quid facerent, quod impedimento, quin rebus iisdem aliquando potirentur, esset. Igitur quod deflectere a recta institutione quemquam nequire cognoscerent, qui sibi Deum ut normam quamdam, regulamque vitae proposuisset, quidquid cogitabant, moliebantur, agebant, hoc totum ad Deum dirigere (1) consueverant. Cumque certo scirent, nihil ei placere, quod absonum, quod turpe, malumve sit, ratione omnia, atque honeste, sancteque perficere studebant, palamque ethnicis confirmabant, non modo nullius sceleris, sed ne minimi quidem peccati reos agi, qui ita viverent, omniaque in Deum referrent, christianos posse. Atque haec tam constans dirigendarum actionum in Deum (a quo bona omnia in genus hominum permanare cognorant) ratio ex ea virtute oriebatur, quam appellamus pietatem, quaque fiebat, ut in eius amicitiam venirent, atque omnia ex eius voluntate facerent. Ex qua innocentia proficiscebatur, quae animi (2) tranquillitatem afferret, vitamque gaudii, et felicitatis plenam. Quae sane innocentia, virtus, et pax christianorum, etsi ab ethnicis permul-

(1) Athenagoras *legat. pro christian. p.* 329. *n.* 31. *edit. venetae an.* 1737. „ Cum omnes intelligentia superetis (o imperatores), *inquit*, quorum vita ad Deum „ tamquam ad normam dirigitur, ut unus quisque nostrum extra noxiam apud eum, et reprehensionem „ sit, eos non ignoratis ne cogitationem quidem umquam vel levissimi admissuros peccati „. Origenes *lib.* III. *contra Celsum n.* 57. *tom.* I. *opp. edit. monachor. s. Mauri Paris.* „ Beatos fore pollicemur, idque audacter, et aperte, qui ex Dei legibus vitam agunt, qui „ omnia ad illum referunt, quique omnia faciunt, „ quasi testis, et spectator esset. An haec sunt lanificum, sutorum, fullonum, rusticorum, imperitorumque hominum praecepta? Neque istud ostendere „ (Celsus) poterit „.

(2) Eusebius *lib.* I. *praeparationis evangelicae cap.* I. *p.* 2. *edit. an.* 1628. « Caput autem horum omnium « pietas est, non iam ista, quae nomen ementita suum « infinitis erroribus implicatur; sed huiusmodi, quae « cum mentes nostras ad eum, quem ortum, et solum, « uti vere est, omnia Deum confitentur, erigit; tum « vitae nostrae rationes ex ipsius quoque voluntate « moderatur. Ex hoc autem vitae genere nascitur hominis cum Deo amicitia, cui ter ille felix, et singulari Dei benevolentia constitutus, finis comitatur, « qui cum caelitus ex rerum immortalium connexione aptus est, tum ad earum exemplum, ac similitudinem regitur, atque in iis postremo acquiescit ». Vide quae sequuntur.

tis odio, atque malevolentia incitatis non cognoscebatur; tamen adeo erat conspicua, ut in omnium oculos incurreret, plurimumque valeret, et ad conservandum numerum nostrorum hominum, et ad augendum.

§. V.

Cum precibus coniungi magis magisque hominem Deo, contineri in fide, atque in officio, viresque consequi ad recte agendum maiores nostri scirent, non solum in aedibus sacris, in quas statis temporibus sese, dum poterant, conferebant, sed domi etiam, forisque, cum alias fere semper, tum maxime orationi insistebant, cum id ecclesiae, reipublicaeque laborantis ratio posceret.

Norant praeterea, eos, qui sese non colligant, neu oblectent cognitione sempiterni boni, neve orent, obsecrentque divinum numen, ut sibi ipsis auxilietur vitam agentibus laborum, et periculorum plenam; aut alienatione voluntatis amicitiam, quam cum Deo constituerant, dissolvisse, aut praesidio, quo se, resque suas adversus hostes generis humani tueri possint, relicto, in magnum salutis discrimen accedere. Nam si qua est res, preces sunt scilicet, quibus non aliorum dictis modo, sed experiundo quoque didicerant, placari Deum, iniri ab eo gratiam, fidem servari, contineri homines in officio, atque auxilia parari ad recte agendum possint. Igitur qui haec praetermittant, nimium sibi confidere, cum maxime sint imbecilles, temereque proinde agere, ferreque persaepe solere confidentiae, ac temeritatis poenam. Hoc autem illud est, quod graves aliquot scriptores de aliis interdum, et lugdunenses, atque viennenses christiani de sociis quibusdam suis, cum Marcus Aurelius imperium teneret populi romani, scripserunt. Cum enim furore ethnicorum exagitari in ea Galliae parte nostri coepissent, tum homines decem, qui religionem christianam profitebantur, quin se ad certandum parassent (1), ausos fuisse in arenam descendere; quamobrem ne aspectum quidem

(1) *Euseb. lib. v. hist. cap. v.*, et Ruinart. *act. ss. mm. sinc. p. 53. n. 4. edit. veron.*

ferarum (1) sustinuisse, sed perterrefactos, ut supplicium effugerent, flagitiosos sese, quam christianos dicere maluisse. Etenim qui fortes christiani in vitae periculum religionis caussa veniebant, cum conscii debilitatis humanae essent, primum munire se, deindeque ad pugnandum accedere consueverant. Ergo decem illos lugdunenses, propterea quod idem ipsum aut omnino neglexissent, aut secus atque praescriptum a Christo fuerat fecissent, in superstitionem ethnicorum turpiter incidisse. Quamquam sociorum deinceps prece, atque hortatu ad sanitatem reversi sunt, atque ubi se Deo commendarunt, supplicia magno animo pertulerunt, eaque sunt corona donati, quam paullo ante, qui in proposito manserant (2), perceperunt. Itaque maiores nostri vigilandum cuique, atque orandum esse statuabant, ne dolo, fraudeque inimicorum circumveniatur, neque iacturam faciat animi bonorum, quae sit Dei beneficio (3) consequutus. Atque apud eos ius, sanctumque erat, quod a Christo servatore acceperant, omnes homines, qui ratione, ac religione ducantur, fructumque ferre virtutis velint, semper orare oportere. Quod quidem *semper* ita servabant, ut cum coniuncti amore cum Deo essent, et capi se ab inanibus, caducisque rebus non sinerent; tum nullum diem praeterire paterentur, quo non colligerent sese, et aliquandiu precibus fundendis insisterent. Iam vero hunc precandi modum tenebant, ut non tam voce, quam animo (4) primum maiestatem, potestatem, beneficentiam illius, quo cum tunc temporis agebant, admirarentur, ac celebrarent, tum ei submitterent sese, inde obsecrarent, ut, si fieri eius voluntate posset, quae petebant, consequerentur. Quae quidem orandi Deum optimum maximum ratio, etsi non ordine eodem semper, at re tamen ipsa et in aedibus

(1) Vide, quae paullo post de Polycarpo, aliisque dicam.

(2) Eusebius *ibid.*, et Ruinart. *ibid. p.* 57. n. 12.

(3) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromateon pag.* 722. *edit. an.* 1641. „ Est precatio ..... cum Deo conversatio, et collocutio, quare licet susurrantes, et ne labra quidem aperientes tacite loquamur, intus clamavimus. Omnem enim intrinsecus paratam collocutionem Deus exaudit perpetuo. Et caput, et manus in caelum extendimus, et pedes excitamus in ultima acclamatione orationis, promtitudine, et alacritate spiritus assequentes essentiam, quae apprehenditur intelligentia, et una cum verbo corpus a terra abducere conantes, erectam, et elevatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes ..... Quod si nonnulli certas, ac definitas horas constituunt precationi, ut verbi caussa tertiam, sextam, nonam, at is, qui est cognitione praeditus, per totam orat vitam, dum per preces suas cum Deo studet versari ... Ceterum si conversationis cum Deo occasio est precatio, accedendi sane ad Deum nulla est praetermittenda occasio „. Consule Cyprianum *lib. de orat. dominica p.* 152. *et* 154. *seq. edit. oxon.*

(4) Confer modo descriptum Clementis alexandrini *locum, et p.* 128. *seq.*, et Cyprianum *ibid. p.* 140. *seq.*

sacris, in quas statis diebus concurrere, reique divinae dare operam consuerant, et domi (1) forisque apud illos in usu erat, neque interdiu solum a plerisque omnibus, sed noctu etiam a multis (2) colebatur. Etenim quam ab Iesu magistro traditam, atque ab apostolis, discipulisque eorum usurpatam norant, eam ab se aut negligi, aut immutari (3) non patiebantur. Nam cum Petrus, et Iohannes claudum virtute nominis Christi repente sanassent, atque apud principes civitatis ab hostibus invidia, odioque incensis accusati, ne deinceps docerent quemquam, neve miracula facerent, iussi essent, reversique ad suos, quae sibi fuissent imperata renunciassent; qui aderant, converterunt extemplo cogitationem in Deum, revocarunt deinde in memoriam, ut ille hanc rerum universitatem condiderit, utque Christum filium suum miserit, de cuius morte, qua esset genus humanum asserendum in libertatem, prophetae instinctu, afflatuque eius incitati oracula fudissent; confessi deinceps fuerunt eiusdem se Dei servos esse; orarunt denique, atque obsecrarunt, suorum ut ille misereretur; inimicorum audaciam, temeritatem, impetumque reprimeret; efficeretque anctoritate, potestateque sua, ut christiani maiores spiritus ad rem bene, ut coeperant, gerendam sumerent (4). His exemplis, doctrinisque christiani instituti, nihil esse putabant,

(1) „ Quaesivit praefectus (ne Iustino martyre) „ quem in locum christiani convenirent: cui respondit „ Iustinus, eo unumquemque convenire, quo vellet ac „ posset. An, inquit, existimas omnes nos in eumdem „ locum venire solitos? Minime res ita se habet. Quo„ niam christianorum Deus loco non circumscribitur; „ sed cum invisibilis sit, caelum, ac terram implet, at„ que ubique a fidelibus adoratur „. *Act. s. Iust. apud Ruin. act. sinc. ss. mm. p. 49. edit. veron.* Vide Clementem alex. *lib. VII. strom. p. 728.*

(2) Cyprianus *ibid. p. 154.* „ Hora nulla a christia„ nis excipitur, quo minus frequenter, ac semper Deus „ debeat adorari, ut qui in Christo, hoc est in sole, et „ in die vero sumus, insistamus per totum diem preci„ bus, et oremus: et quando mundi lege decurrens no„ ctibus alternis nox revoluta succedit, nullum de no„ cturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia „ filiis lucis et in noctibus dies est ..... Qui autem in „ Christo, hoc est in lumine semper sumus, nec nocti„ bus ab oratione cessemus ..... Nos fratres dilectissimi, „ qui in Domini luce semper sumus, qui meminimus, „ et tenemus quid esse accepta gratia coeperimus, com„ putemus noctem pro die. Ambulare nos credamus „ semper in lumine. Non impediamur a tenebris, quas „ evasimus. Nulla sint horis nocturnis precum damna, „ nulla orationum pigra, et ignava dispendia. Per Dei „ indulgentiam recreati spiritaliter, et renati, imitemur „ quod futuri sumus: habituri in regno sine interventu „ noctis solum diem. Sic nocte quasi in lumine vigile„ mus, oraturi semper, et acturi gratias Deo hic orare „ non desinamus „. Fortasse mos orandi noctu, aetate Cypriani aliquanto intercidere coeperat, quamobrem suos hortatus est, ut ei rei darent operam studiosiorem. Tertullianus antiquior Cypriano *lib. II. ad uxorem cap. IV. p. 169. edit. venetae an.* 1744., nocturnas convocationes christianorum commemorat. *Cap. V. pag.* 169. consuesse christianos, innuit, e lectulo surgere, noctuque Deo preces adhibere. Nam satius esse mulierem viduam manere, quam maritum habere praesertim ethnicum, ostendens, „ Latebis ne, *inquit*, tu cum lectulum, cum corpuscu„ lum tuum signas ... cum etiam per noctem exurgis „ oratum etc. „?

(3) *Cap. VI. Matth. v. 5. seq.*, et Lucae *cap. XI. v. 2. seqq.*

(4) *Act. apost. cap. IV. v. 18. seq.*

quamobrem, cum praesertim tempus moneret, ab oratione deterrerentur. Cumque persuasum haberent, impetrare se facile posse, quae recte (1) precantes poscerent, saepe, ac multum petebant, sibi ut nihil deesset, quod ad salutem animi pertineret. Ergo, ut ipsi in fide, atque in recta morum institutione confirmarentur, utque mortales ceteri adduci se ad veritatis cognitionem, et cultum sinerent, Deique nomen ubique terrarum sanctum esset, orabant; atque etiam obtestabantur, ut si futurum perpetuo hominibus salutare esset, tempestates sedarentur, quae concitatae in ecclesiam fuerant, pax christianis restitueretur, imperatores sani, atque incolumes viverent, vigeretque res publica populi romani, ne bellis maiora mala orirentur, impedirentque, quo minus latius sancta religio propagari, amplificarique posset (2).

Curabant etiam, ne quis suorum habitu corporis oraret, qui minus precantem decere (3) videretur. Quamobrem aut stantes,

(1) Sic enim a Christo didicerant *Luc.* xi. v. 9. Ergo Clemens alexandrinus *lib.* vii. *pag.* 723. *edit. an.* 1641. „ Quemadmodum, *inquit*, quidquid vult Deus, potest, „ ita quidquid petierit is, qui est cognitione praeditus, „ id accipit. Omnino enim novit Deus eos, qui bonis „ digni sunt, et qui non. Unde dat ea, quae singulis „ conveniunt etc. „ Sed de re certa, non est cur multa esse dicenda, atque hoc ex patribus transferenda putem.

(2) Consule epistolam ecclesiae smyrnensis de *martyrio Polycarpi* apud Ruinartium *acta ss. mm. sinc. p.* 34. *seq. edit. veron.* Iustinus martyr *apolog.* i. *al.* ii. *n.* 65. *edit. opp. venet. pag.* 85. « Communes preces, *inquit*, et « pro nobis metipsis, pro eo, qui illuminatus est, et pro « aliis ubique omnibus intento animo facimus, ut veri« tatis cognitionem adepti, hac etiam gratia dignemur, « ut rectam operibus vitam agentes, et praeceptorum « custodes inveniamur, quo salutem aeternam assequa« mur ». Et *n.* 14. *p.* 52. *pro inimicis*, inquit, oramus. Vide etiam num. 57. *p.* 79., et *n.* 13. *p.* 51. « Opificem « huiusce universitatis colimus verbis precationum, et « gratiarum actionem habentibus, in his omnibus, quae « offerimus, cum quantum possumus laudantes pro « creationis beneficio, pro omnibus ad bonam valetudi« nem adiumentis, pro diversarum rerum qualitatibus, « ac vicissitudinibus tempestatum, et propter fidem, quam « illi credimus, precibus eum orantes, ut rursum incor« rupti fiamus ». Et num. 17. *p.* 55. « Proinde nos so« lum Deum adoramus, vobis autem in rebus aliis laeti « servimus, reges, ac principes hominum esse agnoscen« tes, et simul precantes, ut cum regia potestate sanam « quoque mentem obtinere comperiamini ». Consule denique, quae scribit Iustinus in dialogo cum Tryphone num. 35. *p.* 139., et n. 108. *p.* 213. Similia exsequitur Athenagoras in legatione pro christianis. Sic enim habet pag. 333. « Vos autem tum natura, tum doctrina « rebus omnino in omnibus boni, et moderati, et hu« mani, et imperio digni imperatores iam mihi, post« quam criminationes dissolvi, ac nostram in Deum pie« tatem, et mansuetudinem, et animae temperantiam « demonstravi, regio capite annuite. Quinam enim di« gniores, qui ea, quae petunt impetrent, quam qui « pro imperio vestro precamur, ut filius a patre, prout « aequissimum est, regnum accipiatis, et accessionibus, « ac incrementis, imperium vestrum omnibus ditioni « vestrae subiectis augeatur? Atque id quidem nostra « etiam interest, quo tranquillam vitam agamus, et im« perata omnia alacres ministremus ». Vide Theophilum *lib.* i. *n.* 11. *p.* 367. *edit. venet. opp. Iust. an.* 1747., et *lib.* iii. *n.* 14. *pag.* 416. *edit. eiusd.*, Tertullianum *apolog.* xxxii. *pag.* 105., *et cap.* xxxix. *pag.* 119. *edit. venet. an.* 1744. ubi « Coimus, *inquit*, in coetum, et congrega« tionem facimus, ut ad Deum, quasi manu facta, pre« cationibus ambiamus. Haec vis Deo grata est. Oramus « etiam pro imperatoribus, pro ministeriis eorum, ac « potestatibus saeculi, pro rerum quiete, pro mora fi« nis etc. ». Et *lib. ad Scapulam cap.* ii. *p.* 69. *etc.* Similia habent apologistae ceteri christianorum Eusebius in *hist. eccl.*, et scriptores *act. ss. mm.* plerique, quorum ego, ne sim longior, testimonia praetermitto, quod haec satis esse ad rem, de qua agimus, demonstrandam existimem.

(3) Adeundi auctores *actor. s. Ignat. mart. num.* vii. *tom.* ii. *pp. apost. p.* 171. *edit. an.* 1724., Tertullianus *apolog. cap.* xxx. *pag.* 27. *edit. an.* 1744., *et lib. de orat. cap.* xii. *p.* 134. Id ante Tertullianum iam usque a primo saeculo animadverterant Clemens romanus *epist.* i.

extensisque brachiis, aut iunctis manibus, et flexo utroque genu demissi, aut humi prostrati, sive in ecclesia, sive domi essent, orabant. Neque vero ita ut a permultis hoc tempore praesertim fieri solet, qui, cum implicati sceleribus sint, neque emendari velint, tum recitatis aliquot precum formulis, confidunt fore, ut exaudiantur; sed mente in primis, voluntate, atque operibus obtinebant, ut grata Deo illorum esset precatio (1). Ac si quidem semper, tum sane maxime opus prece esse arbitrabantur, cum furere hostes, magnoque se in discrimine vitae, religionis caussa, versari cernerent. Quum enim in hoc genere supplicationum praesidium esse locatum christianorum scirent, nostrum nemini fas esse cum inimicis congredi putabant, qui eo sese munire neglexisset. Quamobrem qui cruciatus invicto animo perpessi martyres obierunt, hos christiani veteres prece vim magnam fuisse divinitus consequutos confitebantur et ad pugnandum, et ad vincendum. Quorum sane cum in historiis martyriorum permulta sint, tum Polycarpi fuisse illustre exemplum constat (2). Is enim ubi intellexit, quaeri se magistrum, institutoremque smyrnensium christianorum ad necem, consilio inductus gravissimorum virorum, qui, ut fuga sibi, suorumque saluti prospiceret, hortabantur, in agrum urbi vicinum concessit. Ibi cum in precibus fundendis consumsisset dies fere tres, accepissetque deinde missos ab iudicibus aliquos fuisse, qui illum, ubi esset, inventum curarent, secumque Smyrnam adducerent; memor eorum, quae a Christo de vitando periculo dicta fuerant, in villam nescio quam sibi abeundum existimavit. Id ut est per exploratores ethnicis nunciatum, in eum se locum conferunt, captisque servis duobus, ex iis, quo sese ex urbe proripuerit Polycarpus, percuntantur. Renuentes elo-

ad corinth. n. 2. *pag.* 10., *et n.* 20. *p.* 23. *edit. epistolar. roman. pont. curatae a Constantio tom.* I., et Minucius Felix *in Octav. p.* 288., Cyprianus *lib. de orat. p.* 140. *edit. oxon.*, sed de habitu corporis orantium erit alibi opportunus copiosius disserendi locus.

(1) Tertullianus apologet. *cap.* XXX. *pag.* 27. *edit. an.* 1747. « Illuc suspicientes christiani, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis, et Caesaris vota sunt. Haec ab alio orare non possum quam a quo scio me consequuturum, quoniam et ipse est, qui solus praestat, et ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum observo, qui propter disciplinam eius occidor, qui ei offero opimam et maiorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, anima innocenti ». Confer s. Cyprianum *lib. de orat. p.* 154.

(2) Ita quidem fere semper legimus in actis ss. mm. sinceris apud Ruinartium. Confer Eusebium *lib.* IV. *hist. eccl. cap.* XV. *etc.*, et Ruinart. *p.* 33. *seq. edit. veron.*

qui, tormentis, ut dicant, cogunt. Dies erat veneris, coenaeque iam tempus impendebat, quo tempore satellites, puero indice usi, in superiorem aedium partem ascendunt, et discumbentem Polycarpum aggrediuntur. Ille quod voluntate Dei res quasque agi, perficique sciret, cui iam se, suaque omnia ultro crediderat, ne perturbari quidem est visus. Nam eos comiter alloquutus, hortatusque, ut si defessi ambulando essent, considerent, viresque refecturi cibi, ac potionis sumerent quantum vellent; petiit, ut si fieri eorum voluntate posset, sibi ad precandum horae spatium concederetur. Ea re impetrata, convertit in Deum continuo cogitationem, cumque animo maiestatem divini numinis contemplatus esset, et beneficia, quibus mortales, ipseque etiam divinitus auctus fuerat, collegisset; implorare eum, ut opem sibi, et salutem omnibus, quos hactenus cognovisset, ferret, beneque ecclesiae catholicae precari coepit. Sed cum nullum orandi finem faceret, tempusque instaret, quo in urbem proficisci satellites decrevissent; fuerunt, qui eum monerent, ut cessaret, utque una cum eis descenderet. Ipse dicto audiens, quin eorum quidquam vereretur, quae sibi esse parata noverat, descendit. Vix paucos passus processerat, cum Herodem Irenarcham hostem christianorum, et Nicetam, nescio quem, offendit, qui ei, ut in currum ascenderet, imperarunt. Confidebant enim, si honeste, comiterque hominem tractassent, fore ut, cognitis eorum postulatis, a christianismo deterreretur. Sed cum nihil proficere se posse animadvertissent, ira inflammati, tanto impetu e curru senem deturbaverunt, ut eius tibia distraheretur. Quae res etsi magnum illi dolorem attulit, non obstitit tamen, quo minus alacer ad stadium pro religione pugnatum contederet. Iam ille prece impetraverat, fortiter ut cruciatus ferre posset. Itaque proconsuli, ad quem initio adductus fuit, hortanti, ut pertinacia desisteret, perque Caesaris genium iuraret, nihil haesitans, Hancine, inquit, Deo, servatorique generis humani Christo iniuriam faciam, a quo salutem sum consequutus? Non committam. Nam tibi persuadeas vehementer velim, me, qui christianus sim, docere te huiusce religionis decreta, si velis, posse; abduci autem a sententia nullo modo posse. Caesari autem quamquam esse honorem adhibendum scio, tamen numquam animum inducam, ut eiusmodi cultum ci-

dem tribnam, qui et offensioni Deo sit, et exitiosus mihi. Non ferrum, non bestiarum morsus, non ignes metuo, qui horae intervallo extingui possint. Iudicem Christum metuo, qui si tibi assentiar, cruciatus, supplicia, ignesqne sempiternos minatnr. Verum quid morare? Age, crucia me, plectito, propone tormenta, quae esse omnium acerbissima arbitrare. Nam sic habeto: me neque promissis, neque minis abdnci a cultu christianae religionis ad superstitionem deorum posse. Tantum scilicet inerat in prece virtutis, atque praesidii, ut qui ante ea sese munivissent, quidvis pati, quam recedere ab sententia mallent. Interim populus vociferari, clamareque coepit, Polycarpum, qni diis infestus esset, vivum comburi oportere. Itaque sarmenta circumdari, atque ad palum hominem ligari proconsul imperat. Satellites quod iussi sunt faciunt. Ille ut alligari se, atque ligna comparari vidit, ad preces iterum confugit, divinumque numen oravit, atque obsecravit, ut laboranti sibi, vires adderet, neque quidquam ab se, quod christiano viro, et sacrorum antistite indignnm esset, fieri pateretur. Ac praepotens, inquit, Deus Christi servatoris generis humani pater, cuius nos Christi labore, opera, cruciatu in tui venimus cognitionem; mihi ut adsis rogo, adiuvesque me, in fide ut perpetuo maneam. Nam quod captus ab hostibus, quod vinctus, quod flammis traditus sim, id me totum esse tuo beneficio conseqnutnm et agnosco, et fateor. Sed tuo nunc est opus adiumento. Addito spiritus mihi, ut strenue pugnans, me tibi ipsi sacrificare, referreque hodierna die in numerum martyrum tuorum possim. Hoc abs te veraci, nescioque mendacii promissum his est, qui sibi diffiderent, atque in te uno spem suam collocarent. Te igitur laudo, tibi gratias, quas possum, maximas ago, quod me tot hactenus beneficiis cumulaveris; utque inimicis resistam, te etiam, atque etiam precor, oro, atque imploro, Deus, quo te, Filioque tuo, ac Spiritu sancto frui in gloria sempiterna beatus possim. Vix ille orandi finem fecerat, cum ignem inferri iudex, et rogum circnm inflammari iussit. Accensa flamma, sic torreri martyris corpus coepit, ut gratissimum odorem emitteret. Ethnici, qui vivere in medio rogo hominem, neque consumi posse intuerentur, carnifici, ut propius accederet, eumque pugione conficeret, praeceperunt. Id ut est factum, tanta vis sanguinis e

corpore martyris manavit, ut flammam extingueret, et maximam inspectanti populo moveret admirationem. Atque hinc constat eorum, qui se prece instruxerint, non solum initia, sed esse etiam felicem exitum solere (1).

§. VI.

1. *De reverentia veterum christianorum erga Deum.* 2. *De eorum in iureiurando religione.* 3. *Deque studio, quo cavebant, ne in iuramentis, neve in sermone familiari falsum aliquem deum appellarent.*

1. Ex cogitatione vero praesentis ubique Dei (2), et ex contemplatione iudicii, atque poenarum, quibus improbos, scelestosque homines cruciandos post corporis interitum christiani scirent (3), exque orandi consuetudine reverentia quaedam erga Deum ipsum exsistebat, ita ut sine indicio aliquo cultus, atque honoris, ne nominandum quidem arbitrarentur. Quod si quae nomina usurpari ab ethnicis intelligebant, quae notam aliquam superstitionis continere viderentur, nefas esse putabant, iisdem (quamquam ethnici instabant, et supplicia, mortemque nolentibus minabantur) appellare Deum. Itaque Celsum (4) epicureum,

(1) Consule acta s. Polycar. apud Ruinartium *p.*53. *seq. edit. veron.*, acta s. Pionii etc. *ibid. pag.* 123. 128., acta s. Bonifacii mart. qui decessit sub Diocletiano n.13. *pag.* 253. *etc.*

(2) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromatum p.* 719. *edit. an.* 1641. « Iubemur autem colere, et honorare Deum, quem et verbum esse, et servatorem, et ducem habemus persuasum, et per ipsum patrem, non selectis diebus, ut aliqui, sed continenter per totam vitam hoc agentes, et modis omnibus. Certe genus electum per praeceptum iustificatum, septies, inquit, laudem dixi tibi. Unde nec in definito loco, neque in templo selecto, neque diebus aliquibus festis, et praestitutis, sed per totam vitam, is qui est praeditus cognitione, in omni loco, etiam si per se sit solus, et si habuerit aliquos, qui similiter crediderunt, Deum honorat ... Si autem alicuius viri boni praesentia, propter observantiam, et reverentiam eius, quod est praestantius, eum, quo cum versatur, semper format, et effingit; quomodo is, qui cum Deo semper est praesens per cognitionem, et vitam, et gratiarum actionem non iure melior semper evadat in omnibus et factis, et verbis, et affectionibus? Talis est is, cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis, ac definitis locis esse conclusum ... Per totam ergo vitam diem festum agentes, ubique, et in omni alio vitae instituto, ut decet, ea arte versamur ... Honestum rerum omnium usum (is qui est praeditus cognitione) ad Deum semper refert, et cibi, et potus, et unctionis universorum datori offert primitias, gratias agens ... Est enim ei persuasum, Deum omnia scire, et audire, nec vocem solum, sed etiam cogitationem etc. ». Eadem fere persequuntur Athenagoras in *legat.* n. 31. *p.* 329. *edit. venet. an.*1747., Clemens romanus *epist. ad corinth.* n. 21. 28., Origenes *lib.* III. *contra Celsum* n. 57. *edit. mon. s. Mauri tom.*1., ceterique primorum temporum christiani. Immo vero idipsum extorsit aliquando veritas ex Celso hoste christianorum apud Orig. *lib.* VIII. n. 63.

(3) Confer Origenem *lib.* I. *contra Celsum num.* 67. *tom.* I. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri.*

(4) Origenes *ibid. n.* 25. « His rationibus defendemus etiam christianos, qui pro sua religione certantes mori praeoptant, quam Deum Iovis nomine, aut

aliosque deditos deorum religionibus magnis in erratis versari pugnabant, propterea quod illi parvi referre Iovis ne, an alio quopiam nomine Deus (1) vocaretur, defenderent. Iniuriam namque conflari divino numini dicebant, si quis ei tribueret, quod haberet speciem aliquam superstitionis. Quo magis aliquos horum temporum christianos miror, qui ostentandae elegantiae orationis caussa, scripto, familiarique sermone ethnicorum deorum nomina usurpare non dubitant.

2. Atque haec tanta pietas, reverentiaque adversus Deum efficiebat, ut maiores nostri aut numquam, aut perraro, idque iam cum res aliquae graves, maximique momenti poscerent, iureiurando in pactis, conventisque firmandis uterentur (2). Re namque levi inductum iurare posse censebant neminem. Nisi enim is, qui sic agit, quis aliud *nomen sanctum Dei in vanum assumat*, quod vetitum lege naturae est, ne suspicari quidem possum. Nam periurus non *in vanum* modo *assumit* divinum nomen; sed etiam, quod longe est gravius, mendacii, falsitatisque testem appellat Deum. Ac probo viro, qui fidem servare con-

illum aliena lingua appellare. Aut enim illum simpliciter nuncupant Deum, aut nomini addunt omnium conditorem, aut caeli, et terrae opificem, qui ad genus humanum quosdam sapientes misit, quorum nominibus adiectum Dei nomen vim quamdam apud homines exserit. Multa hoc loco et alia de nominibus dici possent adversus eos, qui putant nihil referre quomodo nis utamur. Nam si Plato est admirationi, quod cum philebus cum Socrate colloquens voluptatem appellasset Deum, Socratis in ore id responsi posuerit, *magna mihi est erga deorum nomina religio*, quanto magis probanda est christianorum pietas, qui nomen fabulis celebratum rerum omnium conditori accommodare nolunt »?

(1) Celsus apud Origenem *ibid.* n. 24.

(2) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromateon p.* 725. *seq. edit. an.* 1641. « Longe abest, ut qui in tali pietate probatur, et diiudicatur, sit ad mentiendum propensus, et ad iurandum. Est enim iusiurandum confessio definitiva cum divina assumtione. Qui est autem semel fidelis, quomodo seipsum infidelem praebuerit, ut etiam opus habeat iureiurando, et non ita vitam instituat, ut ea sit firmum, ac definitum iusiurandum, fidemque ostendat confessionis in constanti, stabilique vita, et sermone?... Sed neque iurat et qui in affirmatione quidem *ita*, vel *est*, in negatione autem *non*, usurpare constituerit. Iurare enim est iusiurandum mente conceptum proferre affirmative. Sufficit ergo ei vel affirmationi, vel negationi addere, *vere dico*, ut fidem iis faciat, qui responsi eius non perspiciunt stabilitatem. Oportet enim eum habere ... apud externos quidem vitam fide dignam, ut ne postuletur quidem ab eo iusiurandum ... eum vero recte, et vere iurat ... is qui est praeditus cognitione, qui raro quidem accedit ad iurandum, sed ita, ut diximus. Quamquam ut fit verax, non iureiurando fit ex ea, quam cum veritate habet, consensione. Hoc ergo fit, quatenus quis se recte gerit vulgo in officiis .... Nam qui ne iurat quidem, multum abest, ut sit peieraturus. Qui autem nihil transgreditur ex iis, quae pacta, atque conventa sunt, is numquam iuraverit ... qui autem iuste vivit, nihil ex iis, quae decet fieri, transiliens, ubi examinatur iudicium veritatis, is factis vere, et sancte iurat etc. ». Ac iurare quidem interdum christianos solitos fuisse, docent Origenes *lib.* VIII. *contra Celsum num.* 65. *tom.* I. *opp. edit. paris. mon. s. Mauri*, Tertull. *cap.* XXXII. *apol. pag.* 28. Huc autem spectat, quod Plinius iunior *lib.* X. *ep.* XCVII. ait, *sacramento se christianos non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent consuesse*. Quod sane mirabile videri non debet, cum in sacris litteris, in primisque *epist. ad hebraeos* VI. *v.* 16. iurandi ratio probetur. Quamobrem si Iustinus martyr *apol.* I. *n.* 16. *p.* 54. *edit. venetae an.* 1747. non iurandum omnino statuit, sic est eius intelligenda sententia, non peierandum esse, non iurandum ita ut iudaei solebant. Consulo interpretes ad *Matth. cap.* V. *v.* 34. *seq.*

suéverit, iureiurando opus esse (1) inficiabantur. Quod si ab eo, ut iuret, cum ratio postulet, petatur, non esse eum, si iuret, in vitio putabant, cum non suo arbitratu, sed vera praedicans, et rogatus iuret. Consuetudine autem iurandi fieri posse interdum, ut iusiurandum adhibeatur ad confirmandum (2) mendacium. Quare eum, qui iurare non soleat, longe a periurio (3) distare; contra non admodum illos distare, qui soleant.

3. Quod si iurandum nonnisi raro, atque ob rem veram, et gravem censebant, multo minus licere christiano viro existimabant per (4) Herculem, aut per deum aliquem ethnicorum, aut per genios, atque (5) fortunas imperatorum iurare. Quamobrem

(1) Vide modo descriptum Clementis alex. locum.

(2) Lactantius *diviner. instit. epitome cap.* LXIV. *p.* 85. *tom.* II. *edit. opp. paris. an.* 1748. „ Non peierabit, ne „ Deum ludibrio habeat, sed ne iurabit quidem, ne „ quando vel necessitate, vel consuetudine in periu„ rium cadat „. *Hilar. comm. in Matth. pag.* 628. *edit. paris. Constant.* „ In fidei simplicitate viventibus iuran„ di religione opus non est, cum quibus semper quod „ est, est; quod non, non: et per haec eorum et „ opus, et sermo omnis in vero est „.

(3) Clemens alex. loco supra descripto.

(4) Tertullianus *lib. de idololatr. cap.* XXI. *pag.* 98. „ Ceterum consuetudinis vitium est mehercule dicere, „ medius fidius, accedente ignorantia quorumdam, qui „ ignorant iusiurandum esse per Herculem. Porro quid „ erit deieratio per eos, quos eierasti, quam praevarica„ tio fidei cum idololatria? Quis enim per quos deierat, „ non honorat? Timiditatis est autem cum te alius per „ deos suos obligat iuratione, vel aliqua testificatione, „ et tu, ne intelligaris, quiescis. Nam aeque quiescendo „ confirmas maiestatem eorum, cuius causa videberis „ obligatus. Quid refert Deos, an audiendo confirmes? „ Iures per idola, an ab alio adiuratus acquiescas? Cur „ non agnoscamus versutias satanae, qui quod ore no„ stro perficere non potest, id agit, ut suorum ore perfi„ ciat, per aures inferens nobis idololatriam? Certe „ quisquis ille est, qui amica, aut inimica congressione „ adstringit. Si inimica, iam ad pugnam vocaris, et scis „ tibi dimicandum esse. Si amica, quanto securius in „ Dominum transferens responsionem tuam, et dissol„ ves obligationem eius, per quem te maius honori ido„ lorum, idest idololatriae quaerebat annectere? Omnis „ patientia eiusmodi, idololatria. Honoras eos, quibus „ impositis obsequium praestitisti. Scio quemdam, cui „ Dominus ignoscat; quum illi in publico per litem di„ ctum esset, Iupiter tibi sit iratus, respondisse, *immo* „ *tibi*. Quid aliter fecisset ethnicus, qui Iovem deum „ credidit? Etiamsi non per eumdem retorsisset male„ dictum, nec per ullum Iovis similem, confirmaverat „ Iovem deum, per quem se maledictum indigne talem „ demonstraverat remaledicens. Ad quid enim indigne„ ris per eum maledictus, quem scis nihil esse? Nam si „ insanis, iam esse confirmas, et erit idololatria profes„ sio timoris tui; quanto magis cum per ipsum remale„ dicis, eodem Iovi honorem facis etc. „. Vide Euseb. *lib.* V. *hist. eccl. cap.* I. *p.* 209. *edit. Cantabr.*

(5) Proconsul Asiae cum Polycarpo imperasset, ut per *genium Caesaris iuraret*, negavit se iuraturum. Confer Eusebium *lib.* IV. *hist. eccl. cap.* XV. *p.* 167. *edit. Cantab.*, Tertullianus *cap.* XXXII. *apol. p.* 28. *edit. venet. an.* 1744. „ Sed et iuramus, *ait*, sicut non per genios Caesarum, „ ita et per salutem eorum, quae est augustior omni„ nibus geniis. Nescitis genios daemones dici, et inde „ diminutiva voce daemonia „? Et „ daemones, idest „ genios adiurare consuevimus, ut illos de hominibus „ exigamus, non deierare, ut illis divinitatis honorem „ conferamus „. Minucius Felix in Octavio pag. 233. „ Etiam principibus, et regibus turpiter adulatio falsa „ blanditur, sic eorum nomen vocant, ad imagines „ supplicant, genium, idest daemonem eius implorant, „ et est eis tutius per Iovis genium peierare, quam „ regis „. Origenes *exhort. ad martyrium num.* 7. *edit. monach. s. Mauri tom.* I. „ Qui iurat per Ierosolymam, „ peccat, quia civitas est magni regis; et qui per suum „ ipsius caput iurat, delinquit: quantum esse pecca„ tum putandum est per fortunam alicuius iurare „? Et *lib.* VIII. *contra Celsum num.* 65. *tom. eodem.* „ Verum „ per fortunam regis non iuramus, neque per aliom „ ex iis, qui dii putantur. Sive enim, ut nonnullis „ placuit, fortuna sit nuda enunciatio, quemadmodum „ opinio, et discrepantia; non iuremus per id quod „ nequaquam existit tamquam per Deum, aut quasi „ per id, quod revera existit, et aliquid potest, ne per „ ea, per quae non oportet, iuremus: si re id, quod „ vocatur fortuna, in daemonum numero reponatur, „ quod quibusdam visum est, dicentibus per imperato„ ris romani daemonem iurari, cum per eius fortu„ nam iuratur; et hoc modo mori nobis potius est,

ita erant ab eo genere alieni, ut id agere, ne lacerati quidem suppliciis, auderent. Quae enim dici, aut excogitari religiosa affirmatio potest invocato inani numine deorum? Aut enim nullus est Hercules, nullus Iupiter, genius nullus, nulla demum fortuna, aut si quid eiusmodi in rerum natura est, id plenum esse flagitii, atque superstitionis plane liquet. Quapropter eos, qui in iurando iure haec nomina adhiberent, vel id, quod nusquam est, Dei loco habere constat, inferreque maximam conditori huius universitatis rerum, vero scilicet, immortalique Deo, iniuriam. Cumque secundo ecclesiae saeculo fuissent aliqui ita comparati, ut quamvis neque (1) Herculem, neque ullum deorum ethnicorum venerarentur, tamen consuetudine quadam (etsi ne cogitarent quidem quae dicerent) deos nominantes vel iurarent, vel male cuiquam precarentur; maiores nostri, quibus curae erat, ut ceteros in officio continerent, acriter ipsos, vehementerque rereprehendendos putarunt. Igitur excellentium doctrina virorum hortatu, opera, exemplo impetratum est, ut ii abusus e finibus ecclesiae exterminarentur, veraque apud christianos omnes, et sancta coleretur religio. Atque optandum sane fuisset, ut saeculis XVI. atque XVII. nulli umquam vixissent, qui, ut Ciceronem imitarentur, et deos nominare, et iurare per Herculem (2) auderent. Sed quoniam pene sublata est nostra aetate haec tam inanis, tamque prava consuetudo, curandum etiam atque etiam, ne rursum invadat in christianorum rempublicam, laborandumque est, ut in hac item re nostri similes maiorum non videri solum, sed etiam esse conentur. Neque solum christianis aliquot, qui sane perpauci erant, vitio dabant veteres, quod *mehercule* dicerent, sed etiam, quod non reprehenderent ethnicos, a quibus idipsnm dici audirent (3).

» quam iurare per malum, et perditum daemonem, » qui persaepe cum homine peccat, quem sortitus est ».

(1) Vide supra descriptum Tertulliani ex libro de idololatria locum.

(2) Vide Mabillon. de studiis monasticis *tom. II. par. II. cap. II. p.* 185. *seq. edit. venet. an.* 1729.

(3) Tertull. *ibid.* Quid? si ne bene quidem sibi ethnicos, invocatis diis, precari ferrent? Tertullianus *ibid. p.* 98. *cap. XXII.* « Aeque benedici per deos na» tionum Christo initiatus non sustinebit, et semper » reiiciet immundam benedictionem, et sibi in Deum » convertens emundet. Benedici per deos nationum, » maledici est per Deum. Si cui dedero eleemosynam, » vel aliquid praestitero beneficii, et illi mihi deos » suos, vel coloniae genium propitios imprecetur, iam » oblatio mea, vel operatio idolorum honor erit, quae » benedictionis gratiam compensat. Cur autem non » sciat me Dei causa fecisse, ut et Deus potius glo» rificetur, et daemonia non honorentur in eo, quod » propter Deum feci? Sed Deus videt, quoniam pro» pter ipsum feci. Pariter videt, quoniam propter ipsum » fecisse me nolui ostendere etc. ».

§. VII.

Angelis, martyribus, sanctisque viris cultum divinum numquam tribuerant; deorum autem imagines non solum non colebant, sed ne faciebant quidem.

Iam vero cum lege naturae sancitum esse perspicerent, praeter unum illum conditorem mundi, bonorumque omnium auctorem, nullum esse omnino habendum (1) deum; etsi angelos, martyrasque (2) venerabantur, eis tamen honores divinos numquam (3) adhibebant. Sacrilegos enim esse putabant eos, qui soli Deo vero deberetur, id alteri cuiquam (4) tribuere auderent. Nam qui rei alicui factae, quod unius Dei est proprium, concedit, is aequat rei creatae Deum. Quo quidem scelere magnam, quod ad se attinet, sacrilegus divino numini (5) conflat iniuriam.

(1) Exodi *cap.* xx. v. 3. 4. 5., Origenes *exhort. ad martyrium num.* 8. *pag.* 169. *edit. monac. s. Mauri venet. an.* 1743. « Neque enim ullo modo adorandos sunt creaturae, creatore praesente, et ad omnium preces sufficiente, immo eas praeveniente. Ac ne ipse quidem vellet adorari sol ab his, qui ex Dei parte sunt ... Unus est Deus verus etc. ». Confer *lib.* v. *contra Celsum n.* 6. *p.* 304. *tom.* I. *edit. eiusd.*, *et lib.* VII. *num.* 64. *pag.* 372. ubi « Iudaei, et christiani, *inquit*, propter istud, *dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies*, item propter illud, *non erunt tibi dii praeter me etc.*, et propter alia plura similia, non solum templa, et aras, et simolacra abominantur, sed etiam parati sunt mori, ubi se dederit occasio, ut suam Dei summi notionem ab aliqua eiusmodi impietate intaminatam servent ». Consule etiam Theophilum antiochenum *lib.* VI. *ad Autolycum n.* 34. *pag.* 399. *edit. opp. s. Iustini venet. an.* 1747., Tertullianum *Scorpiaces cap.* II. *p.* 489., *et cap.* VI. *pag.* 492. *etc.* Mitto patres ceteros, quorum summa in hoc genere est consensio.

(2) Christianos quoque primorum temporum honorare, at non divinis honoribus angelos, martyresque fuisse solitos, plane constat. Verum de hac re opportunior erit alibi disputandi locus. Interim quod ad martyres (atque adeo ad angelos multo magis) attinet, satis sunt ecclesiae smyrnensis ad catholicos aliarum ecclesiarum verba. *Epist.* enim de Polycarpi martyrio n. 17. *p.* 37. apud Ruinartium *act. ss. mm. sincer. edit. veron.* « Suggessit ergo Nicetae Herodis patri ... adire proconsulem, ne corpus (Polycarpi) ad sepeliendum traderet, ne, *inquit*, relicto crucifixo, hunc colere incipiant. Atque haec aiebant, suggerentibus, et instantibus iudaeis ... ignari quod nec Christum umquam derelinquere poterimus, qui pro salute omnium ... passus est ... nec alium quemquam colere. Illum siquidem, utpote filium Dei adoramus, martyres vero tamquam Domini discipulos, et imitatores, merito diligimus, propter illorum erga suum regem, ac magistrum benevolentiam eximiam ... Atque ita nos postea (Polycarpi) ossa gemmis pretiosissimis exquisitiora, et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, congregatis, in exultatione, et gaudio, praebebit Dominus natalem martyrii eius diem celebrare etc. ».

(3) Origenes *lib.* VIII. *contra Celsum n.* 57. *pag.* 390. *edit. eiusd.* « Etiamsi angelos terrae fructibus, animantiumque generationi praepositos esse noverimus, laudamus eos quidem, et beatos praedicamus, quibus a Deo res nostro generi utiles commissae sunt, sed honorem Deo debitum illis non habemus. Nam nec Deus, nec illi, quibus hae res creditae sunt, id voluerint. Immo nos probant magis cum sacra illis facere fugimus, quam si faceremus ». Adeundus Huetius *lib.* II. *origenianor. quaest.* V. *n.* 35.

(4) Confer Tertullianum *apolog. cap.* XXXIV. *pag.* 28. *edit. an.* 1744., *et de idololatr. cap.* I. *p.* 66., Minucium Felicem Octav. p. 229. 231.

(5) Tertullianus eodem libro *de idololatr. cap.* I. *p.* 86. « At enim idololatria fraudem Deo facit, honores illi suos denegans, et conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam coniungat ». Vide *cap.* XI. *eiusd. lib. pag.* 91., et Gregorium nazianzenum *orat.* XXXVIII. *p.* 620. *edit. colon. an.* 1690.

Igitur neque sacrificia angelis, martyribusque procurabant, neque exstruebant templa, neque altaria erigenda (1) arbitrabantur. Quin etiam si ethnici habere nos sanctos, fortesque viros, qui caussa religionis mortem obierant, in numero deorum iactabant; continuo nostri arguere illos calumniae solebant, ac palam, non aliis quibusquam nos, sed Deo, et Christo, qui Deus, atque homo est (2), cultum, honoresque divinos tribuere, testificabantur. Nosse namque nos ipsos, ita sibi, quae sua sunt, Deum retinere, ut suum honorem nolit (3) cuiquam concedere. Quamobrem si qui sunt, qui maiorum nostrorum aliquem fuisse censent, qui angelos coli ut deos oportere diceret, ii quidem certe magno in errore, summaque in antiquitatum christianarum ignoratione versantur (4).

Age autem qui ab idololatriae scelere tantopere abhorrebant, ut ne angelis quidem, quos eximia sanctitate praestare, esseque gratissimos Deo crederent, divinos honores adhibendos existimarent; ii ne passi unquam fuissent, ut qui in eorum societatem venirent, aut superstitiosi quidpiam ritinerent, aut imagines inanium deorum facerent, quas ab ethnicis colendas scirent? Nempe cautum nostris erat, ne quid simile (5) molirentur. Quod si

(1) Adeundus s. Augustinus *lib.* VIII. *de civit. Dei cap.* XXVII. *tom.* VII. *p.* 217. *edit. paris. mon. s. Maurl.*

(2) Consule supra descriptum ex *epist. eccles. smyrnensis de Polycarpi martyrio locum.*

(3) Tertullian. *lib.* II. *contra Marcionem cap.* XXII. *p.* 392. *seq.*

(4) Iohannem Barbeyracius *tract. de moral. doctr. ss. pp.* cum haec in Athenagorae *legatione pro christianis pag.* 305. n. 10. legisset, καὶ οὐκ ἐπὶ τούτοις τὸ θεολογικὸν ἡμῶν ἵσταται μέρος „ neque in his solum theologiae nostrae ratio continetur „, vetustissimum hunc christianum scriptorem exagitavit, quasi hausta ex fontibus platonicis doctrina, divinos esse angelis honores tribuendos sanxerit. Non enim animadvertit, constitutum ante ab Athenagora fuisse Patri, Filio, Spirituique sancto cultum divinum adhiberi oportere, rebus autem creatis non item. Ac τὸ θεολογικὸν non semper de Deo solum, sed etiam de doctrina divinitus data solet intelligi. De qua re consuli poterit Eusebius *lib.* VII. *praep. evang. cap.* I. *p.* 315. *edit. an.* 1628., et Maranus *in notat. ad eumdem Athenagorae locum pag.* 407. *edit. venet.* Ac patres quidem cum alii permulti, tum ii, qui Laodiceam seculo ecclesiae IV. convenerunt, sic de angelis contra quorumdam errorem constituerunt *can.* 35. *p.* 785. *tom.* I. *edit. Harduin.* „ Quod non oportet christianos ecclesiam Dei relinquere, et abire, atque angelos nominare, et congregationes facere, quae interdictae noscuntur. Si quis „ igitur inventus fuerit huic occultae idololatriae serviens, sit anathema; quia dereliquit dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, et se idololatriae „ tradidit „. Ac de idololatrico angelorum cultu, ut vides, loquuntur patres. Adisis Theodoritum *in cap.* II. *epist. ad coloss. p.* 355. *edit. paris.* 1642. *tom.* III., Baronium *ad an.* 60. n. 21. *seq.*, Natalem Alexandrum *hist. eccl. tom.* I. *hist. nov. test. edit. lucensis an.* 1734. *p.* 281. *seq.*, et Petavium *tom.* III. *theolog. dogmat. p.* 145. *seq. edit. paris.*

(5) Tertull. *lib. de idololatr. cap.* VI. *pag.* 88. *edit. venetae an.* 1744. „ Si nulla lex prohibuisset idola fieri „ a nobis, si nulla vox Spiritus sancti fabricatoribus „ idolorum non minus, quam cultoribus comminaretur, de ipso sacramento nostro interpretaremur, nobis adversas esse fidei eiusmodi artes. Quomodo enim „ renunciavimus diabolo, et angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus iis, non dico, cum „ quibus, sed de quibus vivimus? Quam discordiam „ suscepimus in eos, quibus exhibitionis nostrae gratiae obligati sumus? Potes lingua negare, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis?

interdum nonnulli artifices christiani (si qui autem fuerunt huiusmodi, perpauci quidem certe fuerunt) simile quidpiam tentarunt, incurrerunt hi scilicet in aliorum reprehensionem. Quapropter ita sese deinceps gesserunt, ut cum victum aliis rebus quaeritarent, tum pingendi, sculpendique artes, ne quid unquam idololatricum facere ab ethnicis cogerentur, negligerent. Igitur imagines sanctorum apostolorum, aliorumque excellentium virorum in vitris, aliisque monumentis veterum christianorum non tam esse elegantes videmus, quam sunt falsorum numinum figurae, et simulacra, quae esse perfecta constat opera artificum ethnicorum (1). Negandum autem non est, quin tanta in multitudine nostrorum hominum aliqui nonnunquam invenirentur, qui cum recens ad christianam religionem animum appulissent, minusque nostris institutis, ceremoniisque assuevissent, opinionibus quibusdam duci solerent, quae cum christianae religionis decretis componi nequaquam (2) possent. Verum hos facile, ut recte de religione sentirent, ii qui praefecti erant ecclesiis induxerunt.

« Unum Deum praedicare, qui tantos efficis?.... Facio, ait quidam, sed non colo, quasi ob aliquam causam colere non audeat, nisi ob quam et facere non debeat, scilicet ob Dei offensam utrobique. Imo tu colis, qui facis, ut coli possint ». Et *cap.* VIII. *p.* 89. « Cum igitur ad haec artificiorum genera cohortemur, quae idolum quidem, et quae idolo competent, non attingant, sint autem et hominibus communia saepe, quae idolis, hoc quoque cavere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de manibus nostris in rem idolorum postuletur ».

(1) Bonarrotius tab. 13. fig. pag. 84. „ L'essere, „ come dicemmo, le figure di questi vetri ... così mal „ fatte, e quasi le peggiori di tutte le altre, è un ma„ nifesto argumento, e una certa riprova della gran „ pietà degli antichi cristiani; conciossiachè furono „ essi così gelosi, e cauti di non macchiare con qual„ si voglia benchè piccolo neo la purità della religio„ ne, che, come si ha da Tertulliano, stettero sempre „ lontani da quelle arti, dalle quali avessero potuto „ correr pericolo di contaminarsi colla idolatria, e da „ ciò avvenne, che pochi, o niuno di essi si diede „ alla pittura, e alla scultura, le quali avevano per og„ getto principale di rappresentare le deità, e le fa„ vole de' gentili, sicchè volendo i fedeli adornare con „ simboli divoti i loro vasi, erano forzati per lo più „ a valersi di artefici inesperti, e che professavano al„ tri mestieri, i quali non pratici del buon disegno „ conducevano queste figure, come dettava loro il na„ turale talento, e un osservazione grossolana della „ natura „.

(2) Extat inscriptio christiana apud Muratorium tom. IV. *thesauri inscription.* *p.* 1909., quae sic habet:

§. VIII.

Nulli rei intererant primorum temporum christiani, nihilque faciebant, in quo vel speciem, umbramque aliquam superstitionis inesse existimarent.

Tribus autem modis in primis vitiari pietatem in Deum christiani cuiusque posse arbitrabantur; primo, concursu in ea loca,

D. M.
BONAE MEMORIAE
ET DOMVI MARTINIAN EX P
ROTECTORIBVS ETERNAM SEQVRITA
TEM CER MENDACIS QVIS IVSTVS
PIENTISSIMVS BENEMERITVS IN SE
QVLVM. ANVS MILITAVIT XLV. ET
VIVET ANVS LX. ET SPERO ME
VIVERE ADHVC ANVS N. LXXXXVIII.
MESES VI. DIES III. ET N. DE IN
ARCAE HIC SI QIS REMOVERE VOS
QVERET AVT APERIRE AVT VELLET ALIVM
QVRPVS DAVIT IN FESCV AVRI P. I.

Adposita huic altera inscriptio est, quae est huiusmodi.

ANTIFER
ω ☧ A
ET LVNA PERIME
VERTVTEM
ET GELORIAM
FELICI MARTI
NIANO EREDES
FACOLETATEM
VIVOS SIBI
FECIT HOC

Supposita est *stellae* figura, cum inscriptione: LVCIFER; tum *solis*, cum inscriptione: SOLE. Ad haec Muratorius

in quibus superstitiosi quidpiam ageretur; deinde metu suppliciorum, et mortis; postremo consuetudine, familiaritateque haereticorum. Ergo id enitebantur, ac laborabant, ut ne rerum earumdem aliqua implicari, pervertique possent. Ac nobis sane, quibus propositum est, ordine omnia dicere, de *concursu* hoc loco, sequentibus autem paragraphis de furore ethnicorum, christianorumque in suppliciis invicto animo perferendis constantia, deque haereticis vitandis agendum erit.

Igitur statim atque unus aliquis christianorum sacris initiabatur, non malo daemoni solum, verum etiam pompis, factis, inventis eius, rebusque omnibus renunciabat, in quibus species aliqua superstitionis (1) esset. Quod si, suscepto baptismo, horum

christiani, inquit, *hominis videtur, quanquam D. M. in fronte occurrat, quae sigla in hac inscriptione fortasse significat: Deo magno. Verum est hic, quod merere. Vel a sui exordio christianorum religio aversata, atque abominata est astrologorum genethliaca, ceteraque somnia mathematicorum, uti tunc ii appellabantur. At Martianus iste fidem iis adhibuisse non modicam deprehenditur. Nam vivens, atque agens annum aetatis LX. sibi tumulum paravit; sed simul sperans se vitam producturum ad annum LXXXVIII. cum dimidio, et altra.* Muratorii animadversionem confirmat Tertullianus *lib. de idololatr. cap.* IX. *p.* 89. *edit. an.* 1744. „ De „ astrologis ne loquendum quidem est, *inquit*, sed quo„ niam quidam istis diebus provocavit, defendens sibi „ perseverantiam professionis istius, paucis utar. Non „ allego, quod idola honoret, quorum nomina caelo „ inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit, „ quod propterea homines non putant Deum requi„ rendum, praesumentes stellarum nos immutabili ar„ bitrio agi. Unum propono, angelos esse illos deser„ tores Dei ... proditores esse huius curiositatis, pro„ pterea quoque damnatos a Deo. O divina sententia „ usque ad terram pertinens, cui etiam ignorantes te„ stimonium reddunt? Expelluntur mathematici sicut „ angeli eorum. Urbs, et Italia interdicitur mathema„ ticis, sicut caelum angelis eorum; eadem poena est „ exilii discipulis, atque magistris. Sed magi, et astro„ logi ab oriente venerunt. Scimus magiae, et astro„ logiae inter se societatem. Primi igitur stellarum in„ terpretes natum Christum annunciaverunt, primi „ muneraverunt. Hoc nomine Christum, opinor, sibi „ obligaverunt. Quid tum? Ideo nunc mathematicis „ patrocinabitur illorum magorum religio? De Christo „ scilicet est mathesis hodie, stellam Christi, non Sa„ turni, et Martis, et cuiusque ex eodem ordine mor„ tuorum observat, et praedicat. At enim scientia ista „ usque ad evangelium fuit concessa, ut Christo edi„ to, nemo exinde nativitatem alicuius de caelo inter„ pretatur. Nam et thus illud, et myrrham, et aurum „ ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausu„ lam sacrificationis, et gloriae saecularis, quam Chri„ stus erat ademturus ... Nihil scis, mathematice, si „ nesciebas te futurum christianum. Si sciebas, hoc „ quoque scire debueras, nihil tibi futurum cum ista „ professione. Ipsa te periculo suo instrueret, quae „ aliorum climacterica praecavit. Non est tibi pars, „ neque in ista ratione. Non potest regna caelorum „ sperare, cuius digitus, aut radius abutitur caelo „. Sed de superstitionibus, quibus nonnulli, qui ad veritatem religionis christianae accesserant, imbuti erant, quasque sensim maiores nostri ratione, atque oratione sua sustulerant, confer Baronium ad an. 58. n. 77., Fabrettum *cap.* II. *inscript. p.* 112., Mabillonium *epist. de sanct. ignot.* §. V. *pag.* 619. *edit. trident. praefat. et dissert. edit. an.* 1724.

(1) Vide Origen. *lib.* III. *contra Celsum* n. 56. *edit. opp. monachor. s. Mauri tom.* I., Tertullianum *lib. de corona militis cap.* III. *pag.* 102. *edit. opp. an.* 1744. ubi, « Aquam adituri, *inquit*, *ibidem*, sed et aliquanto prius » in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos re» nunciare diabolo, et pompae, et angelis eius ». Et *lib. de spectaculis cap.* IV. *pag.* 88. « Hoc erit pompa diaboli, » adversus quam in signaculo fidei ieramus. Quod au» tem eieramus neque facto, neque dicto, neque visu, » neque prospectu participare debemus. Ceterum non» ne eieramus, et rescindimus signaculum, rescindendo » testationem eius »? Et *lib. de idololatria cap.* XVIII. *p.* 97. « Tu si diaboli pompam ierasti, quidquid ex ea » attigeris, id scias esse idololatriam etc. », Clementem, seu potius auctorem constitutionum apostolicarum *l.* VII. *c.* XLI. *seq. tom.* I. *pp. apostolicor. p.* 383. *edit. an.* 1724. ubi « Cum fuerit, *inquit*, deinde in ipso tempore baptis» mi catechumenus, discat, quae de renunciando dia» bolo, et adscribendo se Christo requiruntur ..... Ergo » qui baptizatur, cum renunciat, recitet haec: *Renuncio*

quidpiam fieri ab aliquo nostrum christiani primorum temporum animadvertebant, hunc initio, ut incoepto (1) desisteret, monebant; persistenti in sententia sacris interdicendum (2) statuebant. Quamobrem dici vix potest, quam sibi omnes caverent, ne quid in ea re unquam peccasse viderentur.

I.

Ad templa ethnicorum ne videndi quidem causa adibant.

Cumque intelligerent, visu, aditûque in ea loca, in quibus superstitiosi quidpiam agi soleret, rei, quam ante vehementer aversabatur, hominem assuescere, trahique sensim ad malum, si praesertim vis inferatur, posse; quamquam invitati quandoque ad spectandum essent, et fortasse curiositate, ut vulgo dicitur, moverentur, tamen ad templa deorum adire, atque interesse ethnicorum conventibus (3) recusabant. Igitur quo magis opes christianae reipublicae augebantur, eo minus a mortalibus (4) templa frequentabantur. Aegre id quidem ferebant ethnici. Quocirca vitio nostris vertebant, quod deorum aedes, ut busta (5) contemnerent. Quid? si vectigalia sua sacerdotes minui querebantur, propterea quod christiani, qui in tantam multitudinem cre-

» *satanae, et operibus eius, et pompis eius, et cultui eius, et* » *angelis eius, et inventis eius, et omnibus, quae sub eo sunt.* » Post renunciationem vero, cum adscribitur Christo, » dicat: Adscribor, et credo, et baptizor in unum ingenitum, solum Deum verum etc. ». Confer praeterea Dionysiastrum *lib. de hierarch. ecclesiastica cap.* II. *p.*233. *edit. an.* 1634., Ambrosium *de iis, qui mysteriis initiantur cap.* II. *p.* 326. *tom.* I. *edit. paris. an.*1690., Cyrillum alexandrinum *lib.* VII. *contra Iulianum pag.* 248. *edit. an.* 1638. *tom.* VI., Cyrillum hierosolymitanum catechesi *mystag.* I. *et* II. *p.* 223. *seq. edit. an.* 1640., Basilium de Spiritu sancto *cap.* XXVII. *p.* 55. *tom.* III. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri*, Gregorium nazianzenum *orat.* XXXIX. *p.* 520. *edit. colon. an.* 1690 *tom.* I. *opp. etc.*

(1) Vide Tertull. *lib. de idololatr. cap.* VI. *seq. p.* 86. *edit. an.* 1744.

(2) Vide quae n. 2. huius §. proferam ex concilio aliberitano.

(3) Vide locum Tertull. *ex lib. de spectaculis modo descriptum.*

(4) Plinius *epist.* XCVII. *lib.* X. *ad Traian. pag.* 631. *edit. Cellarii an.* 1711. « Certe satis constat, *inquit*, prope iam desolata (propter christianorum multitudinem) templa, coepisse (persecutione) celebrari ». Idipsum ostendens Tertullianus *apolog. cap.* XXXVII. *p.* 115. *append. opp. edit. venetae an.* 1744. « Hesterni sumus, *inquit*, et vestra omnia implevimus... sola vobis reliquimus templa ». Arnobius quoque, qui sub Diocletiano scripsit, *lib.* I. *p.* 13. *edit. an.* 1651. « Negliguntur dii, clamitant (ethnici), atque in templis iam raritas summa est »,

(5) Caecilius ethnicus apud Minucium Felicem *in Octavio pag.* 75. *edit. an.* 1672., *Templa*, inquit, *ut busta despiciunt christiani*. Confer Arnobium *lib.* VI. *pag.* 193. *edit. supd.*, Clementem alexandrinum *in protrep. p.* 28. *edit. an.* 1641. Voverus in mox laudatum Minucii Felicis locum, « Vere christiani, *inquit*, templa ethnicorum, ut busta despiciebant; nata enim ex sepulcris illorum templa, et bustis consecrata sciebant »,

vissent, in templa venire (1) recusarent? Nam diis ethnici stipem in eorum aedes ingressuri dabant. Neque vèro primo, secundo, tertioque, sed quarto etiam saeculo, cum Iulianus imperium tenebat, aditu templorum christiani, religionis ergo, prohibebantur. Quod si fuernnt aliqui, qui sibi imperatorem quocumque peteret sequi licere existimarent, quod munus, quo fungebantur, id omnino, eorum quidem opinione, postularet; tamen curabant, ne quam superstitionis notam coutraherent. Ergo cum Valeutinianus dux militum, is qui post Iovianum accessit ad gubernacula reipublicae populi romani, Antiochiae una cum Iuliano ageret, atque hunc die quadam in templum genio tutelari sacrum comitatus esset, ut sacerdotes prae foribus stare, ingredientesque aqua lustrali aspergere, atque guttam eiusmodi aquae in suam clamidem decidisse animadvertit; ira inflammatus, quod profano ritu vestem suam pollutam credidisset, pugno sacerdotem eius rei auctorem obtulit; atque, me, inquit, contaminasti. Inde partem eam clamidis recidit, inspectanteque imperatore, ab se indignabundus abiecit (2).

(1) Tertullianus *apolog. cap.* XLII. *p.* 135. *edit. ven. an.* 1744. *in append.* « Certe, *inquit*, templorum vectigalia continuo decoquunt. Stipe quotus quisque iam iacta? Non enim sufficimus et hominibus, et diis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis, quam parentibus impertiendum ». Confer et *lib. de idololat. cap.* X. *p.* 90., Arnobium *lib.* I. *p.* 13. Prudentius *lib.* II. *contra Symmachum* v. 909. inquit:

„ . . . . . . Ultima legati defleta dolore est:
„ Palladiis quod ferta focis, vel quod stipis ipsis
„ Virginibus, castisque choris alimenta negentur:
„ Vestales solitis fraudentur sumtibus ignes.

(2) Theodoritus *lib.* III. *hist. cap.* XVI. *p.* 139. *edit. cantabrig.*

II.

Sacrificiis, nisi coacti, numquam intererant.

Sacrificia autem diis non solum non procurabant (1), sed ne aspiciebant quidem (2). Quod si forte fortuna in locum aliquem venissent, ubi res ab superstitiosis divina fieret, aut crucis signo fronti impresso, ut ne eos successus haberent, quos ethnici sperabant (3), aut prece, ut spectra tollerentur (4), curabant. Etsi

(1) Consule Tertulliani *in lib. de spectaculis locum, quem supra descripsimus*. Et *lib. ad Scapulam cap.* II. *p.* 69. *edit. venet. an.* 1744., *et apolog. cap.* XLII. *pag.* 135. *append. eiusd. edit.*, Athenagorae *legationem pro christianis n.* 13. *p.* 308. *edit. venet. an.* 1747. *app. Iust. mart.* ubi, « Sed rudes, *inquit*, et ignari naturalium, et divinarum rerum, pietatem victimarum norma metiuntur, et vitio nobis vertunt, quod non eosdem, ac civitates Deos cognoscamus. Spectate quaeso utrumque, imperatores, ac primo quidem, cur non immolemus etc. ». Confer, quae in hanc rem collegit Nourrius *tom.* II. *apparatus in biblioth. ss. pp. pag.* 278. *seq.*, 380. *seq.*, 304. *seq. edit. paris. an.* 1715. Initio IV. saeculi, cum essent aliqui, praesertim in Hispania, christiani, qui non civiles modo, sed etiam sacras ethnicorum dignitates expeterent, et alii sacrificia procurare, alii ludos populo proponere auderent, synodus eliberitana, ut eorum reprimeret temeritatem, canones 1. 2. etc. sanxit, in quibus sic erat. « Placuit inter eos, qui post fidem baptismi salutaris, adulta aetate templum idololatraturus accesserit, et fecerit quod est crimen principale, quia est summum scelus, placuit nec in fine etiam communionem accipere ». Can. 2. « Flamines, qui post fidem lavacri, et regenerationis sacrificaverunt .... placuit nec in fine accipere communionem ». Can. 3. « Item flamines, qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod a funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis praestari communionem ». *Tom.* I. *concil. edit. Harduin. p.* 250. Confer Albaspinaeum in canones *concil. eliberit.*, et Orsium *lib. de capital. crim. absol. p.* 269. *seq.* Quin etiam ne curiositate quidem, ut aiunt, ducto christiano licebat ad capitolium videndi causa, cum ethnici sacrificarent, ascendere. Quo sensu Albaspinaeus explicat can. 59. eliberitanum, qui sic habet. « Prohibendum, ne quis christianus, ut gentilis, ad idolum capitolii causa sacrificandi ascendat, et videat. Quod si fecerit, pari crimine teneatur (nempe quasi sacrificasset) ». Vide Albasp. *tom.* I. *concil. edit. paris. Labbei p.* 1003. *seq.*

(2) Confer *locum indic.* Tertull. *ex lib. de spectac.*

(3) Lactantius *lib.* IV. *divin. institut. cap.* XXVII. *p.* 345. *edit. paris. an.* 1748. « Sicut ipse (Christus) cum inter homines ageret, universos daemones verbo fugabat; hominumque mentes emotas, et malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, et nomine magistri sui, et signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant:

« Nec responsa potest consultus reddere vates.

« Et haec saepe causa praecipua iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent aruspices, instigantibus iisdem daemonibus, quibus prosecant, conquerentes profanos homines sacris interesse, egerunt principes suos in furorem, ut expugnarent Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium poenis expiaretur ». Similia omnino refert Lucius Caecilius *lib. de mortibus persecutor. cap.* X. *pag.* 196. *tom.* II. *opp. Lactant. eiusd. edit.* Iam vero Athanasius *de incarnatione Verbi pag.* 73. *tom.* I. *opp. edit. montfauc.*, Cyrillus hierosolymitanus *catech.* IV. *n.* 10. *seqq. p.* 57. *seq. edit. Toutaei*, caterique patres huius signi virtutem praedicant.

(4) Eusebius caesariensis *lib.* VII. *hist. cap.* XVII. *pag.* 342. de Astyrio, qui tertio saeculo floruit, agens. « Apud Caesaream Philippi, quam phoenices Paneadem nominant,... fontes visuntur, ex quibus profluit Iordanes. In hos festo quodam die victimam conilici solitam esse aiunt, quae mirabili quadam daemonis operatione nusquam postea compareret, eamque rem a spectantibus pro illustri miraculo haberi consuevisse. Quodam igitur tempore quum Astyrius his forte caeremoniis interesset, cunctosque admiratione rei perculsos videret, primum quidem caecitatem vulgi miseratus est, deinde oculis in caelum sublatis supremum omnium Deum per Iesum Christum obtestatus est, ut dae-

vero ipsi per se christiani sacris eiusmodi, ceremoniisque adesse nolebant; tamen si comprehensi ab hostibus erant, in certa quaedam, ac destinata loca trahebantur, ut vel thure supplicare diis, vel sacrificare cogerentur. Sed frustra. Quamvis enim haud exiguo numero metu supplicii ab sententia (1) deterrebantur, quorum pars (2) resipiscebat, morteque admissum scelus expiabat, pars restituta ecclesiae pace revertebatur (3) ad sanitatem, perpauci (4) in errore manebant; tamen magna copia acerbissimis suppliciis lacerari, interireque pro Christo (5) malebant, quam superstitione implicare se, tantamque vero Deo iniuriam facere, cuius beneficio adepti salutem essent.

III.

Oracula, magos, ariolosque non modo non consulebant, sed etiam vitabant.

Fraude quoque sacerdotum persaepe, interdum arte, praestigiisque daemonum oracula (6) fundebantur. Id quum nostris esset exploratum, non solum consulenda non esse censebant, sed etiam contemnenda. Ergo palam ex quibus ea proficiscerentur, di-

» monem illum populi seductorem constringeret, et » decipiendis posthac mortalibus abstinere eum iuberet. » Peracta precatione, repente victimam fontibus supernatasse aiunt, atque ita miraculum ipsis prorsus intercidisse, nullo deinceps circa hunc locum miraculo » viso ».

(1) Vide epistolam Plinii ad Traianum *lib.* x. *epist.* xcvii. *p.* 628. *seq. edit.* an. 1711., Tertullianum *lib. ad Scapulam cap.* iv. *pag.* 69., Cyprianum *lib. de lapsis etc.* Sed plena sunt vetera monumenta huiusmodi exemplorum.

(2) Euseb. *lib.* v. *hist. eccl. cap.* i. *pag.* 200. *edit. cantabrig., et pag.* 207. ubi de martyribus lugdunensibus agens. « Mortua iam, *inquit*, ecclesiae membra, (nempe » ii qui lapsi fuerant) viventium ope, atque auxilio ad » vitam revocata sunt et martyres gratificati sunt iis, qui » fidem negaverant etc. ». Vide et *cap.* ii. *p.* 211. *seq.* Adeundus quoque Cyprianus *lib. de lapsis pag.* 127. *edit. oxon.* Mitto cetera, ne sim longus.

(3) Vide Tertullianum *lib. de pudicit. cap.* v. *p.*557. *edit.* an. 1744., *et cap.* xiii. *p.* 575., quamquam ibidem Tertullianus iam cataphryga orthodoxis iniuria sitio daret, quod lapsis veniam concedendam, si resipuissent, arbitrarentur. Cur autem lapsi facile reverterentur ad sanitatem, explicat idem Tertullianus *apolog. cap.* ii. *p.* 4. *edit. eiusd.* « Christianum hominem ... cogis negare, ut » absolvas, *inquit*, quem non poteris absolvere, nisi negaverit ... Vis ergo negat se nocentem, ut eum facias » innocentem; et quidem invitum iam, nec de praeterito reum. Unde ista perversitas? Ut etiam illud non » recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, » quam per vim neganti; vel ne compulsus negare, non » ex fide negavit; et absolutus, ibidem post tribunal, de » vestra rideat aemulatione, iterum christianus ». Similia exempla lapsorum, qui paullo post quam cecidissent, aut restituta ecclesiae pace, veniam peterent, reperire quisque apud Eusebium *lib.* vi. *hist. cap.* xlii. *pag.*300., Cyprianum *lib. de lapsis, et in epistolis* passim, epistolam cleri romani ad Cyprianum *p.* 57. *edit. oxon.* Hoc idem ex synodis aliquot colligi facile potest. Sed de hac re erit *in lib. de poenitentia* opportunior disputandi locus.

(4) Neque enim verisimile est, eos qui crederent, data potestate, redire ad sanitatem noluisse. Idque iam ex Tertulliani mox indicato apologetici loco concluditur.

(5) Vide *tom.* ii. *huius op. p.* 413 *seq.*

(6) Vide *tom.* i. *huius op. p.* 410.

cere, hortari omnes, ne se ab iisdem decipi paterentur, ac si in locum aliquem accessissent, in quo (1) oraculum quodpiam esse audissent, silentium eidem imponere solebant. Quae res vehementer ethnicos perturbabat, commovebatque, ut de nostris supplicium sumerent.

Magos qui nullos vixisse contendunt, nae illi (2) turpissime labuntur. Atque haud scio, an communi veterum patrum de praestigiatoribus, maleficisque sententia neglecta, ullum supersit dogma ex traditione profectum, quod negligi pari temeritate, audaciaque non possit. Ac maiores quidem nostri summa consensione fuisse sua etiam aetate aliquos aiebant, qui daemonum invocatione prodigia edere viderentur. Quod autem opponunt ademtam daemoni a Christo potestatem decipiendorum hominum fuisse, inane est. Etsi enim ille mortales docuit, quid sit credendum, eisque auxilia paravit, quibus fraudes detegere, seque in fide, atque in officio continere, si vellent, possent; tamen impediendum non putavit, quin daemones interdum experirentur, si quem usquam illudendo decipere valerent. Alioqui in fabulis numeranda essent, quae de muliere a malo daemone agitata, atque oracula fundente, deque Simone mago in actis apostolorum leguntur (3). Nam si

(1) Confer acta s. Symphorosae apud Ruinartium pag. 20., quae martyr obiit Hadriano imperatore, e acta s. Saturnini episcopi tolosani apud eumdem *pag.* 197. *edit. veron.*

(2) Consule Iustinum martyrem *apolog.* I. n. 4. et 26. *edit. monachor. s. Mauri paris.*, et *apolog.* II. *num.* 5., Tertullianum *lib. de idololatr. cap.* IX. *pag.* 89. *edit. an.* 1744., et *lib. de anima cap.* LVII. *pag.* 305., Clementem alexandrinum *in protrept. pag.* 39. *edit. opp. an.* 1641., Minucium Felicem in Octavio *pag.* 245. *edit.* an. 1672., Origenem *lib.* I. *contra Celsum num.* 24. *tom.* I. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri*, Cyprianum *de vanit. idolor. p.* 14. *edit. oxon.*, acta ss. mm. Luciani, et Marciani apud Ruinartium *p.* 141. *edit. veron.*, Arnobium *lib.* I. *p.* 25., IV. *p.* 135. *edit. Lugd. Batav. pag.* 1651., Lactantium *lib.* II. *cap.* XVII. *p.* 179. *tom.* I., *et lib.* IV. *pag.* 310. *seq. edit. paris.* an. 1748. Mitto ceteros, de quibus nullum dubium est, quin fuerint in eadem sententia versati. Itaque cum fuissent hoc tempore aliqui, qui sequuti Antonium Vandalemium, nullas in incantationibus habere daemones partes dicerent, eos tum alii confutarunt, tum an. 1749. Roboreti cl. Tartarottus, cuius tamen aliqua dicta non probo, qui *tract. de' congressi notturni delle lamie, et dissert. epist.* etsi magnam partem imposturas maleficorum esse, fabulasque ea, quae de magis iactentur, putat, fatetur tamen malos daemones interdum ad fallendos homines suam magis operam praestare. Non moror Iohannem Rinaldum comitem Carolum, Scipionem Maffeium, et Paroecum nescio quem totius theologiae imperitum, qui audacter nullam dari magiam scripserunt. Sed praeter Martinum del Rio *de strig. mag.*, Fridericum Spem *lib. proc. contra sagas*, Parerium *de sup* qui sane minus accurate sunt in hoc argumenti genere versati, consuli poterit Petrus le Brun congreg. orat. dom. Iesu presbyter, *hist. critique des pratiques superstitieuses, qui ont seduit les peuples, et embarassé les savans, Paris.* 1732.

(3) Vide *act. apost. cap.* XVI. *v.* 16. Hinc Iohannes Franciscus Buddeus homo de secta lutheranorum *lib.* II. *institut. theolog. cap.* II. §. XXXIX. *p.* 197. *seq.* « Cur ergo, » *inquit*, non sit ἀδύνατον ut homines quandoque spi» rituum utantur opera, eorumque commercio gau» deant, superest, ut ostendamus, hoc quandoque fa» ctum esse ». Et paullo post « Nostra autem, *inquit*, ex » loco actorum confirmatur sententia, ubi mentio fit » puellae, quae habuit spiritum Pythonis, quem Paulus » ex ea expulit. Certe, si spiritus maligni opera hic non » intercessisset, non potuisset eum eiicere Paulus ». Haec ille, qui traditionem ecclesiae a maioribus ad nostram aetatem traductam, quae divinae sit auctoritatis, nullam agnoscit. Et ferri eos aequo animo posse judicabimus,

Christo in caelum sublato, inanibus responsis daemon hominibus imponebat, pluresque in fraudem inducere poterat, quamobrem non potuisset post martyria apostolorum, cum praesertim id patres confirment? Ac si falsis oraculis mortales ludificabatur daemon, cur non item invocatione magorum, qui ei sese totos dediderant? Hos igitur magos christiani adversabantur, longeque ab suo coetu agere curabant, conantesque nostrum aliquem circumvenire, ut maleficio abstinerent (2), cogebant. Haec eadem erat eorum adversus ariolos, aruspices, superstitiososque ceteros consuetudo.

Sed dicet quispiam, neque facultatem aliquam scientiamque *magiae* dari, neque ullas habere in praestigiis eiusmodi malos daemonas partes (1) posse. Nam si qua esset ars magica, ea quidem certe triangulis quibusdam, aliusve generis figuris, verbisque contineretur. Atqui nexus, colligatioque triangulorum etc. cum naturis vacantibus corpore non modo non esse ulla, sed ne comprehendi quidem cogitatione potest. Quotus autem quisque tam est ineptus, ut sibi persuadeat, concedi a Deo (2), qui optimus, atque sapientissimus est, muliercularum rogatu, accersituque, daemoni decipiendorum, vexandorumque mortalium potestatem? Eos enim, qui sic existiment, magno in errore versari, facereque optimo, sa-

qui eam traditionem probent, seque orthodoxam religionem colere glorientur, tum reiicere audent, quae ab universis patribus monumentis tradita sunt litterarum, posterorumque memoriae commendata, atque probata ad hanc usque aetatem ab universa ecclesia? De Simone mago dicam paullo post.

(1) Confer Tertullianum *lib. de idololatr. cap.* ix. *p.* 89. *edit. an.* 1744., Lactantium *lib.* ii. *instit. divinar. cap.* xv. *p.* 175. *tom.* i. *opp., et cap.* xvii. *pag.* 179. *seq., acta ss. mm. Luciani, et Marciani p.* 141. *seq. edit. veron.* apud Ruinart. Ut autem magorum artes eluderent, daemonasque fugarent nostri, cruce potissimum sese muniebant. Consule Cyrillum hierosolymitanum catechesi xiii. *pag.* 140. *edit. an.* 1640. ubi, « Hoc signum, « *inquit,* ad hodiernum usque diem curat morbos, dae« monum fugat, et veneficiorum, incantationumque « evertit imposturas ». Eadem fere habet Gregorius nazianzenus *carm.* lxi. *p.* 142. *tom.* ii. *opp. edit. colon.*

„ Aëra vel medium signo crucis ipse notavi,
„ Illustremque tulit typus hic ex hoste triumphum,
„ Mosis ut in manibus sancta pro gente precantis.

Theodoritus *lib.* iii. *hist. cap.* iii. *p.* 124. *edit. cantabr.,* « Incidit (Iulianus parabatur imperator) in hominem « quemdam, qui haec se praedicturum (nempe futu« rum eum imperatorem) pollicebatur. Qui cum in « idolorum templum eum perduxisset, et in adita in« gredi iussisset, seductores daemonum invocare coepit. « Cumque isti terribili, ut solent, specie apparuissent, « metu compulsus Iulianus τῷ μετώπῳ τοῦ σταυ« ροῦ τὸ σημεῖον *fronti crucis signum* impressit. Tunc « vero daemones signum dominici tropaei cernentes, « seque per id victos recordati, protinus evanuerunt. « Praestigiator vero, qui caussam fugae probe noverat, « Iulianum obiurgavit. Verum ille et timorem suum « ei aperuit, et virtutem crucis magnopere se mirari « dixit: daemones enim cum eius signum ferre non « possent, aufugisse etc. ». Consule rursum Gregorium nazianzenum *orat.* iii. *p.* 70. *tom.* i. *opp. edit. modo laudatae,* Augustinum *enarrat.* iv. *in ps.* 30. *p.* 165. *tom.* iv. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri, et psal.* 50. *num.* 1., et *lib. de civit. Dei* xxii. *cap.* viii. *p.* 665. *tom.* vii.

(2) March. Scipio Maffeius: *Arte magica dileguata, pag.* 10. *seq. edit. veron. an.* 1750.

(3) Idem ibid. p. 12.

pientissimoque Deo insignem iniuriam. Itaque a patribus, in primisque Tertulliano (1), Cypriano, Minucio Felice, Arnobio ludos appellari, quae a magis fieri dicerentur, propterea quod nugae, inanesque praestigiae existimarentur, et essent. Potuisse hostem generis humani, cum vetus testamentum vigeret, horum quidquam moliri; post adsertos tamen sanguine Christi mortales in libertatem, non potuisse. Huius rei Petrum, Paulum, Iohannem in apocalypsi testes essse. Hos namque ligatum fuisse *Satanam* (2) confirmare. Tribus autem modis *diabolum* infestum esse hominibus ante Christi ad nos adventum consuesse. Aut enim inducere eos in errorem, et scelera tentando nitebatur, aut in eorum corpora invadebat, aut efficiebat, ut magorum conatus exitum, quem ipsi magi optabant, haberent. Primum vero, alterumque post Christi mortem manere. Sublatum igitur esse tertium.

At enim artem esse ullam, scientiamque magiae neque sunt, opinor, qui putent, neque, si essent, nae hi omnes in errore maximo versarentur. Sed evenisse interdum, ut mali daemones magis adessent, eorumque conata perficerent, tam est manifestum, ut qui neget, is non maiorum nostrorum modo, sed sacrorum etiam bibliorum funditus evertit auctoritatem (3). Quod autem sapientiae, bonitatique Dei repugnare censent, ut diabolum mortalibus sinat illudere, falsum est. Si enim, ut existimant, repugnaret, quemadmodum daemonas hominibus ante adventum Christi servatoris imponere sivisset Deus? Sivit autem, quod ne ii quidem inficiantur, contra quos scribimus. Non igitur repugnat. Nam Tertullianus (4), Cyprianus (5), Arnobius, si magorum praestigias ludos voca-

(1) Idem ibid. p. 17. seq.

(2) Idem ibid. p. 27. seq.

(3) Vide annotationem 3. p. 94.

(4) Tertullianus apologetici *cap.* XXIII. *pag.* 82. *seq. append. edit. opp. an.* 1744.: „Porro si et magi phantasmata edunt, et iam defunctorum infamant animas, si pueros in eloquium oraculi elidunt; si multa miracula circulatoriis praestigiis ludunt, si et somnia immittunt, habentes semel INVITATORUM ANGELORUM, ET DAEMONUM ASSISTENTEM SIBI POTESTATEM, per quos et caprae, et mensae divinare consueverunt; quanto magis ea potestas de suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienae praestat negotiationi? Aut si eadem et angeli, et daemones operantur, quae et dii vestri, ubi est ergo praecellentia divinitatis, quam utique superiorem omni potestate credendam est„? Et *lib. de anima cap.* LVII. *pag.* 305. „Quid ergo dicemus magiam, quod omnes poene fallaciam? Sed ratio fallaciae solos non fugit christianos, qui *spiritalia nequitiae, non quidem socia conscientia, sed inimica scientia novimus, nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus.* Multiformem luem mentis humanae totius erroris artificem, salutis pariter vastatricem scientiam magiae, secundae scilicet idololatriae, in qua se daemones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa deos„. Ex quo quidem loco facile omnes intelligent, quam abutantur Tertulliani dictis, qui contra nos sentiunt.

(5) Cyprianus *de vanitate idolorum cap.* III. *pag.* 13. *seq. edit. oxon.*: „Hos et poetae daemones norunt .... et magis inde ad perniciosa, vel ludicra potenta-

runt (1), non eo vocarunt, quo nullas in praestigiis daemonas habere partes negarent, sed quo vera miracula numquam ab iisdem patrata fuisse demonstrarent. Sunt enim eorum testimonia tam clara, tamque perspicua, ut implicari, contorquerique in alium rensum nullo modo possint (2). Iam vero quis umquam fuit orthodoxorum, qui vera miracula perfecta a magis daemonum opera fuisse arbitraretur? Videri quidem eorum praestigias prima specie miracula, dixerunt persaepe, esse autem revera, numquam. Id cum Tertullianus, Arnobius, Cyprianus constituant, quid est, quod quisquam pugnare eos cum communi orthodoxorum sententia defendat? Quod ex apocalypsi (3) Iohannis, et Petri (4), Paulique (5) epistolis concludunt, latius patet, quam adversarii velle videantur. Si enim magis malus daemon adesse nequit, propterea quod et ligatus, et regno privatus, Christi servatoris morte, dicatur; vereor, ne exsistant audaces, impotentibusque ingeniis homines, qui non solum invadere daemonem in cuiusquam corpus (nam id quidem negatum est ab his, quos adversarii duces sequuntur), sed etiam exagitare (6) quemquam tentando posse in-

„ tus „. Hi ergo *spiritus* sub statuis, atque imaginibus „ consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora „ inspirant, extorum fibras animant, avium volatus „ gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa ve- „ *ris* semper involvunt. Nam et falluntur, et fallunt: „ vitam turbant, somnos inquietant „. Quis ergo non videt, id agi ab adversariis, ut clarissimis testimoniis, contorto enim voculae sensu, tenebras offundere conentur?

(1) Arnobius *lib.* I. *p.* 25. accusans eos, qui Christum magicis incantationibus abusum fuisse putabant, « Ergone illa, *inquit*, quae gesta sunt, *daemonum* fuere » praestigiae, et magicarum artium ludi »? Quid hoc est *daemonum praestigia*? Annon hinc concluditur, magis interdum daemonas adstitisse? Eadem fere habet Arnobius *ibid. p.* 32., *et lib.* II. *p.* 37. *edit.* an. 1651.

(2) Vide loca patrum, quae paullo ante pag. 95. indicavimus.

(3) Apocalyps. *cap.* XX. *v.* 1. *seq*

(4) Petrus *epist.* I. *cap.* III. *v.* 22. «... Iesu Christi, » qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae » aeternae haeredes efficeremur, profectus in caelum, » subiectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus ». Ac subiectos quidem Christo daemonas esse, ut ad eius nomen contremiscant, constabit ex eo libro, in quo de exorcistis, et energumenis disseram.

(5) Paulus *epist. ad coloss. cap.* II. *v.* 15. « Et expo- » lians principatus, et potestates traduxit confidenter » palam triomphans illos in semetipso ». Et I. *ad corinth. cap.* XV. *v.* 24. « Cum evacuaverit omnem prin- » cipatum, et potestatem, et virtutem ». Ac triumphum quidem reportasse Christum adversus diabolum, illata plenitudine gratiae, constitutaque ecclesia, quis neget? At inde non est consequens ademtam esse daemoni illudendi magis potestatem. Nam ex loco modo descripto epistolae ad corinthios liquet, in *fine evacuatum iri omnem principatum, et potestatem etc.* diaboli. Nondum ergo sublata omnino haec sunt. Si ergo permissa est aliqua diabolo potestas, cur item haec ipsa, de qua agimus, non erit, cum praesertim id sacra biblia postulent?

(6) Sic enim censent Beckerus *de mundo fascin. lib.* II. *cap.* XXVIII. *p.* 258. *seq.*, Vandalenius *dissert. de divinationibus idololatricis iudaeor. pag.* 563. *seqq. edit. an.* 1696. Hinc Buddeus *loc. cit. p.* 395. « Interdum et » corpus a diabolo, permittente Deo, invaditur, et ab » eo ita possidetur, ut invito homine in eo, et per » illud operetur, doloribus quoque variis quandoque » illud adficiat, aliaque ratione vim suam, atque po- » tentiam demonstret. Et haec est obsessio corporalis, » quam, si aliunde non constaret, scriptura sacra exem- » plis, et testimoniis tam luculentis comprobat, ut ne- » mo, nisi qui illi fidem omnem deneget, de ea du- » bitare queat. Cum vero luculentissimum inde pro » existentia, et operationibus spirituum, argumentum » pateat, omnem quidem pneumatomachi moverunt

ficientur. At neutrum horum, sument, componi cum ipturis novi testamenti, continentique experientia potest. Ric ulum! Quasi vero qui praestigias daemonum opera factas tollunt eorum componi possit cum novi testamenti libris sententia. Qui enim? Simonem magum, a quo Lucas (1) praestigiis samaritas lemen-

» lapidem, ut hocce telum evitarent. Hinc quidquid » de huiusmodi obsessionibus dicitur, si modo fraus » nulla subsit, pro melancholiae, aut morborum quo- » rumdam venditare affectibus, non dubitant. Nec ho- » die demum, aut nudius tertius hanc sententiam exor- » tam esse ex Michaëlo Psello discimus etc. ». Sed de his alias. Interea confer Augustinum Calmetum *dissert. de energum. praef. evang. Lucae. pag. 474. seq. tom. VII. commentarior. in sacram scriptur. edit. lucensis an.* 1738.

(1) Act. apost. *cap.* VIII. *v.* 9. *et seq.* Ἀνὴρ δέ τις ὀνόματι Σίμων, προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει μαγεύων, καὶ ἐξιστῶν τὸ ἔθνος τῆς Σαμαρείας λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν. ᾯ προσεῖχον πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, λέγοντες. οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ καλουμένη μεγάλη. προσεῖχον δὲ αὐτῷ διὰ τὸ ἱκανῷ χρόνῳ ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι αὐτούς. « Vir autem quidam » nomine Simon, qui antea fuerat in civitate magus, » seducens gentem Samariae, dicens se esse magnum, » cui auscultabant omnes a minimo usque ad maxi- » mum dicentes: Hic est virtus Dei, quae vocatur ma- » gna. Attendebant autem eum, quod multo tempo- » re magiis suis dementasset eos ». Vides et magos post Christi mortem extitisse Lucas testatur? Nam si fraus haec Simonis, non praestigiae daemonis Simonis conatus exsequentis fuissent, cur sic fuisset loquutus Lucas, ut vulgi confirmaret persuasionem? Atque ut sapienter animadvertit Hieronymus Tartarottus, *risposta alla lettera intorno alla origine, e falsità della dottrina de' maghi, e delle streghe, del signor conte Gio. Rinaldo Carli professore della università di Padova, pag.* 358. *operis inscripti, del congresso notturno delle lamie edit. Roveret. an.* 1749., nisi quidquam peregisset Simon, quod prima specie prodigium videretur, qui tandem eam consequutus apud suos existimationem, magique appellationem sortitus fuisset? Haec nos compressius diximus, quam res ipsa, temporumque nostrorum ratio poscat; latius enim de hoc genere argumenti loquuti sunt praeter eos, quos supra nominavi, catholici nostri Iulius Caesar Bulengerus *libro de licita, et vetita magia tom.* I. *opusc. pag.* 437. *seq. edit. an.* 1621., Franciscus Victoria ord. praed. *relect. theologicar. lib.* II., *relect.* XII. *de magia p.* 409. *seq. edit. an.* 1586., iique omnes quos in sua *introduct. in opus mox laudatum* numerat Tartarottus, et postremo auctor anonymus ex instituto oratorianorum, qui edidit opusculum inscriptum, *osservazioni sopra l'opuscolo, che ha per titolo, arte magica dileguata, Venet. an.* 1750. Hoc opuscul , in quo etsi sunt pleraque omnia praeclara disputat tamen esse nonnihil fateor minus grave, oppugnar conatus est Antonius Florius veronensis libello insc to, *arte magica distrutta. Risposta di don Antonio Flo veronese arciprete di Tignale e Valvestino, vicario fo neo. Tridenti an.* 1750. Sed quo exitu, eruditi, atque rthodoxi viri, qui legent, facile intelligent. Protesta ibus quoque hanc eamdem, quam nos tuemur, prob i sententiam plane constat. Recte Tartarottus *ibid. p.* 54. « E per » convincervi validamente, che la magia diabolica non » dee, nè può negarsi, io non vi porrò già sotto gli » occhi quanto male, e sfortunatamente incontrassero » coloro, che di negarla abbero ardire, come Regi- » naldo Scoto gentiluomo inglese, il libro di cui fu » in Inghilterra proibito, e pubblicamente abbrucia- » to ». Iohan. Georg. Neumann. *in append. ad primit. dissert. academicar. dissert.* II. de fausto praestigiatore §. II. « Cornelio Loosen fatto prigione in Treveri, e » Bruxelles per aver negate non solamente la strego- » neria, ma la magia ancora (Delrius *append.* I. *ad lib.* V. » *disquisit. magicar.* n. 6.), e Cristiano Tommasio, che » per la stessa cagione sul principio del corrente se- » colo eccitò in Germania gran tumulti fra le perso- » ne di lettere, e si concitò contro la maggiore, e » più sana parte de' suoi protestanti ». Vide *Struv. biblioth. philosoph. cap.* V. §. XX., et Gotliebum Stollium *introd. hist. litterar. par.* II. *cap.* III. §. 56. *seq.* An. 1676. editus est Norimbergae Iohannis Georgii Godelmanni tractatus de magis, veneficis, et lamiis recte cognoscendis, et puniendis. Verum is auctor cum lutheranis faveat, multa contra clericos nostros per summam iniuriam turbat, nec de argumento, quod illustrare aggressus est, semper accurate disseruit. Huic praeiverant Iohannes Wierus de praestigiis daemonum, et incantationibus, ac veneficiis *lib.* V. *edit. tert. an.* 1566. Basil. Gaspar Peucerus commentar. de praecipuis divinationum generibus, in quo a prophetis auctoritate divina traditis, et a physicis coniecturis discernuntur artes et imposturae diabolicae, atque observationes natae ex superstitione, et cum hac coniunctae: et monstrantur fontes, ac causae physicarum praedictionum; diabolicae vero, ac superstitiosae confutatae damnantur, *edit. Witembergae an.* 1560. *et Servestae* 1591. Sed cesso iam de ceteris cum protestantibus, tum catholicis dicere. At illustres e nostris in hoc genere fuerunt Iohannes Baptista Thiersius presbyter gallus *traité des superstitions selon l'écriture sainte, tom.* I. II. III. IV. *edit. paris. an.* 1697.,

tatos scribit, nihil ne fecisse dicemus diaboli opera? Hoc qui statuit, tollat necesse est omnem praestigiarum, illusionisque daemoniacae notionem. Quae autem umquam experientia docuit, non cupiditate, quae nobis innata sit, sed arte nos daemonum circumventos peccare? An quod apparuisse quandoque daemonas incitatis ad malum hominibus legamus? Sed qui praestigias diaboli negant, cur item visa eiusmodi negare non poterunt? Age vero, quid illud est? Prior, atque alter modus, quo daemones circumvenire conantur homines, manent: sublatus est igitur tertius. Id qui censent, videant, ne coarctare imperium, quo misere olim mortales oppressi erant, daemonum videantur. An non idololatria, patrum memoria, aliisque modis, quos pene sublatos funditus videmus, daemones hominibus illudebant? Ac labuntur profecto, qui locum Iohannis de *ligato daemone* sic intelligunt, ut ei ademtam solum fuisse edendarum praestigiarum facultatem putent. Mea namque sic est ratio (1), idcirco daemonum regnum eversum, eosque ligatos dici, non quod aut tentare mortales, aut obsidere corpora, aut oracula inania fundere, aut magis suam operam locare cessaverint; sed quod plenitudine gratiae, quam Christus morte sua in hominum genus invexit, novum regnum, hoc est ecclesia constituta sit, adversus quam daemones praevalere nullo modo possint. Quin etiam subiecti illi quoque christianis fuerunt, ita ut horum precibus torqueantur, fugentur, coganturque e corporibus, locisque iis, quibus essent potiti, excedere. Sed de magorum conatibus, quibus etsi perraro, at quandoque tamen daemones suam addiderint operam, satis dictum esto.

et Benedictus Pererius soc. I., quem supra nominavi, *tractat. adversus fallaces, et superstitiosas artes pag.* 224. *seq. edit. operum theologicarum Colon. an.* 1620.

(1) Scio varias esse interpretum de hoc Iohannis loco sententias. At orthodoxorum nemo ante haec tempora fuit, quem sciam, qui sic, ut Maffeius statuit, esse intelligendum arbitraretur. Confer Calmetum in *cap. xx. apocalyps. Iohann. pag.* 922. *seqq. edit. lucensis.* Quid si aliorum ipsi protestantes atque factum a Maffeio sit, trahant, ut interpretum commentariis demonstratur, quae voluminibus criticor. sacror. continentur? Atque ii quidem quid patres veteres, in primisque Augustinus senserint, quidque ipsis placeat, ostendant.

IV.

Nullum imperatori honorem tribuendum putabant, quem non constaret esse mere civilem.

Imperatoribus etsi *civiles* deberi confitebantur, divinos tamen honores adhibendos negabant. Quamobrem hostes reipublicae, reique laesae maiestatis existimabantur. Christiani contra imperatores ab se et principes, et dominos iure appellari dicebant, qui, ut tales vocarentur (1), et essent, divinitus accepissent; deos autem vocari oportere, non item. Ergo extorqueri ab se nullo modo posse, ut quos mortales esse certo scirent, his immortalis Dei honorem tribuendum arbitrarentur. Ac in ius vocati, multisque suppliciis excruciati, ut imagines (2) Caesarum, quasi deorum essent, venerarentur, cum parere nihilominus recusarent, mortem summa animi fortitudine oppetebant. Id vero non modo Traiani, aliorumque imperatorum, qui primis tribus ecclesiae saeculis rempublicam populi romani rexerunt, cum christianorum conspicua esset virtus, fiebat; sed etiam Iuliani temporibus, quibus iam nostri ab antiquiore virtute aliquanto desciverant. Quamquam tunc etiam, crudelitate inimicorum nominis christiani, ad sanitatem reverti plerique nostrum, maioreque studio mores suos ad virtutem exigere coepissent. Igitur cum parendum principibus, honoremque, propterea quod essent a Deo consequuti auctoritatem, adhibendum esse accepissent; non solum eos, sed eorum etiam imagines, ex vetere consuetudine, atque instituto romanorum, cultu quodam civili prosequebantur. Iulianus (3) cui haec erant explorata, oscitantes opprimi christianos posse existimavit, si suis deorum imagines adiunxisset, omnesque, ut eas colerent, compulisset. Sibi enim persuaserat fore, ut si qui restitissent, poenamque tulissent, hi poni in martyrum numero nequirent,

(1) Consule *tom.* I. *huius op. lib.* I. *cap.* III. §. XXV. n. *p.* 169. *seq.*

(2) Plin. *epist.* XCVII. *lib.* VII. *p.* 629. Confer Minucium Felicem III. saec. scriptorem *p.* 283. *edit. an.* 1672., qua loco ethnicos accusans „ Sic imperatorem, *inquit*, „ numen vocant, ad imagines supplicant, genium, idest „ daemonem eius implorant etc. „. Mitto ceteros, ne sim longus.

(3) Vide Gregorium nazianzenum *orat.* III. *p.* 73., et Sozomenum *lib.* V. *hist. cap.* XVII. *pag.* 305. *seq. edit. cantabrig.*

quasi non servatae religionis, sed violatae antiquae romanorum consuetudinis caussa periissent. Quod si universi dicto audientes fuissent, id se unum saltem consequuturum sperabat, ut quamquam ab invitis, cultus tamen malorum daemonum latius propagaretur. Ergo pingi sese ita, quasi sibi caput ab Iove, aut ab alio quopiam deorum diademate, vel corona cingeretur, easque imagines populo proponi fecit. Permulti nostrorum hominum, cum victorias, aliasque figuras imaginibus Caesarum adiungi saepe vidissent, neque ad novum fraudis genus animum advertissent, ita ut ante consueverant, accedendum eodem, honoremque imperatori tribuendum putarunt. Sed qui mores Iuliani noverant, cavebantque, ne dolis circumvenirentur, ut in nova genera imaginum oculos coniecerunt, mori se malle dixerunt, quam imperatoris honorem cum deorum cultu coniungere. Itaque accusati, quasi contra mores, atque instituta maiorum peccassent, sagacitatis poenas luerunt. Quae res illis non dedecori, ut Iulianus arbitrabatur, sed gloriae, ac sempiternae saluti fuit. Ubi sacrilegus de expugnanda christianorum constantia spem se fefellisse intelxit, alio convertit cogitationem. Mos erat vetus, ut donativum accepturi diis immolarent. Sed posteaquam Constantinus, filiique imperium sunt adepti, mutatus sic est, ut apud eos tantum obtineret, qui superstitione falsorum numinum tenebantur. Eum morem restituendum omnino censuit Iulianus, quin ulli nostrum, quid sui esset consilii, significasset. Iam dies venerat, quo donativum milites accipere deberent. Igitur ignem, ac tus praeparari praecepit. Aderat ipse. Qui accedebant, hi adolere incensum iubebantur. Fuerunt, qui summa animi magnitudine parere recusarent. Non enim civilem eiusmodi honorem, sed religiosum esse aiebant. Quare impetrari ab se, ut diis supplicent, non posse. Alii nihil mali suspicati in ignem tus proiecerunt. Hi cum in convivio, salutem amicis dicturi, Christum invocassent, redargutique fuissent, quod eum appellare non vererentur, quem paullo ante ture in focum iniecto eiurassent; respexerunt sese, cogitantesque quam scelestum ab se, imprudentibus licet, facinus admissum esset, surrexerunt, atque hac illac discurrentes vociferari, omnium testari fidem coeperunt, christianos se esse, in eiusque religionis cultu mori, quam ditescere, aut quidvis consequi ter-

renum, malle. Sola autem manu se, non voluntate sacrificasse. Se namque non solum non animadvertisse, sed ne suspicatos quidem fuisse, quidquam in ea re mali latere. Inde ad imperatorem adeunt: suam ut recipiat pecuniam, ipsosque interficiat, rogant. Se autem ita esse animatos, ut cogi nequeant ad mutandam sententiam. Sibi enim esse in animo, peccatum, quod manu perpetrassent, totius corporis cruciatu diluere. Iulianus etsi aegre tulerat, vehementique ira inflammatus erat, tamen simulato esse opus existimavit, ne christiani novis martyribus gloriarentur. Itaque eos honore militiae privavit, et ab se dimisit (1).

V.

Ethnicorum conviviis interesse nolebant.

Convivia autem ethnicorum, quoniam plena impudicitiae, atque superstitionis, ut alio loco diximus, erant, christiano vero frequentanda non putabant (2). Martialis tertio saeculo episcopus in Hispania erat christianorum. Is quod ausus fuisset ad convivium, quod ethnici celebrabant, accedere, accusatus est idololatriae, et Cypriani, aliorumque antistitum rogatu de dignitate deturbatus est (3).

VI.

Ad spectacula, in primisque ad amphitheatra non accedebant.

Cavebant praeterea, ne quis suorum ad spectacula, in primisque ad amphitheatra accederet. Non enim in iis superstitio solum, sed etiam summa saevitia, crudelitasque spectatoribus proponebatur, quae res cum institutis christianorum componi non poterant (4). Itaque nostris vitio ab ethnicis dabatur, quod ab

(1) Greg. naz. *ibid. p.* 84., Sozom. *ibid. p.* 206.

(2) Vide *tom.* I. *huius op. cap.* III. *p.* 185.

(3) Cyprian. *epist.* LXVII. *al.* LXVIII. *p.*170. *seq. edit. oxon.* Sed de conviviis ethnicorum vide Iulium Caesarem Bulengerum *de conv. lib.* IV. *edit. an.* 1627., et Ioh. Guillelmum Stuchium *op. inscript. de ant. conviv.*

(4) Vide, quae paullo post describam, veterum testimonia.

huiusmodi ludis (1) abstinerent. Magnum praeterea nundinatoribus afferri detrimentum iactabant, quod tanto in spectacula concursu imminuto, emptorum quoque numerus (2) minueretur. Atque adeo scilicet manifestum erat, christianos ab amphitheatro, circoque abhorrere, ut quamvis aliqui ethnicorum essent, qui recte nos de Deo sentire arbitrarentur, tamen, quod ludos, quibus vehementer delectabantur, ab se deseri oportere perspicerent, si nostris legibus vivere coepissent, manendum in errore potius, quam a spectaculis recedendum (3) putabant. Ac superstitionem quidem fuisse in caussa, cur ad amphitheatrum, circumque christiani accedere recusarent, Tertullianus presbyter carthaginiensis testis est locuples in iis, quos edidit de *spectaculis*, deque *idololatria* libris. Colligebant namque sese, atque animo repetebant, iam usque ab eo tempore, quo mysteriis christianae religionis initiati essent, renunciasse diabolo, pompisque eius se, in quibus praesertim species idololatriae quaepiam inesset (4). Spectaculorum autem huiusmodi non primordia solum, sed etiam progressus, rationemque omnem superstitionum idololatricarum (5)

(1) Tertullianus *lib. de spectaculis cap.* XXIV. *pag.* 83. *edit. venet. an.* 1744., et Caecilius apud Minucium Felicem in Octav., qui christianos redarguens pag. 106. „ Honestis, *inquit*, voluptatibus abstinetis, non spectacula visitis, non pompis interestis „.

(2) Tertullianus *apolog. cap.* XLII. *p.* 135. *in append.* „ Spectaculis non convenimus, quae tamen apud illos coetus venditantur, si desideravero, libentius de propriis locis sumam „. Confer notationes Haverc. *ibid.*

(3) Tertullianus de spectaculis *pag.* 73. *edit. opp. an.* 1744. *cap.* II. „ Plures invenies, quos magis periculum voluptatis, quam vitae avocet ab hac secta. Nam mortem etiam stultus, ut debitam, non extimescit, voluptatem etiam sapiens, ut tantam non contemnit: cum alia non sit et stulto, et sapienti vitae gratia, nisi voluptas. Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit: Deum esse universitatis conditorem etc. „.

(4) Tertull. *ibid. cap.* XXIV. *pag.* 83. « Si omnia propter diabolum instituta, et ex diaboli rebus instructa monstravimus, nihil enim non diaboli est, vel quidquid Dei non est, vel Deo displicet, hoc erit pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei eieramus. Quod autem eieramus neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Ceterum nonne eieramus, et rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius? Numquid ergo superest, ut ab ipsis ethnicis responsum flagitemus? Illi iam nobis renuncient, an liceat christianis spectaculo uti. Atqui hinc vel maxime intelligunt factum christianum de repudio spectaculorum. Itaque negat manifeste, qui per quod agnoscitur, tollit ». Et *cap.* IV. *p.* 74. « Quid erit summum, atque praecipuum, in quo diabolus, et pompae, et angeli eius censeantur, quam idololatria?... Igitur si ex idololatria universam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate praeiudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renunciationis nostrae testimonium in lavacro, quae diabolo, et pompae, et angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam ». Minucius Felix in Octav. p. 343. « Non igitur, qui moribus, at pudore censemur, merito malis voluptatibus, et pompis vestris, et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus ». Cyrillus hierosolymitanus *catech. mystag.* I. *pag.* 220. *edit. paris. an.* 1640. « Pompa diaboli (cui renunciant christiani in baptismo) est in theatris spectacula, in hippodromo cursus equorum, et reliqua omnis eiusmodi vanitas etc. ».

(5) Tertullianus *lib. de spectaculis cap.* VI. *seq. p.* 75. *edit. an.* 1744. « Nam et a primordio bifariam ludi censebantur sacri, et funebres, idest diis nationum, et mortuis. Sed de idololatria nihil differt apud nos, sub quo nomine, et titulo, dum ad eosdem spiritus

plenam esse. Nam initio ludos in sacros, et funebres fuisse divisos, quod aut deorum memoriae dicati essent, aut mortuorum. Utrumque hoc incoeptum esse idololatricum. Sive enim deorum, sive mortuorum memoriae consecrati ludi essent, eos in daemonum quidem certe malorum cultum desinere consuesse. Iam vero circensibus simulacra, coronas, imaginesque inanium deorum praecedere. Sacrificia vero non praecedere modo, sed etiam intercedere, atque succedere. Ac *circum* sane consecratum praecipue *soli* esse. Quid ? si ornamenta eius singula ita sint comparata, ut esse totidem templa videantur? Habere autem suas quoque Castorem, Pollucem, Neptunum, aliaque falsa numina in *circo* (1) partes. Quod vero de *circi*, hoc idem fere esse de *amphitheatri* superstitione dicendum.

Eoque magis in sententia confirmabantur christiani, quod (2) crudelitatem, furorem, insaniam in huiusce generis ludis valere

» perveniat, quibus renunciamus, licet mortuis. Licebit diis suis faciant, proinde mortuis faciunt. Una » conditio patrà utrimque est, una idololatria, una renunciatio nostra adversus idololatriam. Communis » ergo ludorum utriusque generis, communem et tituli, ut et de communibus caussis, perinde apparatum » communes habeant necesse est de reatu generali idololatriae conditricis suae. Sed circensium paullo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen, pompa praecedens, quorum sit in semetipsa probat de » simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis. Quanta praeterea sacra, quanta » sacrificia praecedant, intercedant, succedant, quot » collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, » sciunt homines illius urbis, in qua daemoniorum » conventus consedit ». Vide apolog. *cap.* XXXVIII. *p.* 30. Consule Minucium Felicem *loc. indic. notat. superiore.* Eodem fere spectant, quae antiquissimi secundi saeculi scriptores Tatianus *orat. contra graecos* n. 22. *pag.* 279. *edit. opp. Iust. ven.*, Theophilum antiochenum in III. ad Autolycum libro *num.* 15. *p.* 416. *edit. venetae opp. Iustini an.* 1747. scribit. Praeterea Lactantius *lib.* VI. *cap.* XX. *institut. divinar. pag.* 494. *tom.* I. *edit. paris. an.* 1748. qui « ludorum, *inquit*, celebrationes deorum festa sunt; » siquidem ob natalem eorum, vel templorum novorum » dedicationem sunt constituti etc. ».

(1) De his ludis circensibus, deque arena etc. scripserunt Iulius Caesar Bulengerus, Onuphrius Panvinius, Petrus Faber, Velserus, Miniana, Callixchus, Mazzocchius. In circensibus aurigationes, et curricula erant. Gladiatores in arena pugnabant, hoc est in amphitheatris.

(2) Athenagoras in *legat.* n. 35. *pag.* 332. *opp. Iustini edit. an.* 1747. « Quis gladiatorum, vel ferarum ludos, » praesertim si a vobis dentur, non plurimi faciat? » Nos autem cum homicidium spectare pene idem esse arbitremur, ac perpetrare, nunciam his spectacula remisimus ». Theophilus antiochenus loc. cit. « Ne » gladiatorum quidem ludos spectare nobis licet, ne » participes, et conscii caedium fiamus ». Tatianus assyrius orat. contra graecos n. 23. *opp. Iust. edit. venet. an.* 1747. *p.* 280. « Vide homines corporis exercendi » studio aggravatos, et pondus carnium suarum circumferentes, quibus praemia, et coronae, adhortantibus eos agonothetis, proponuntur, non ad praeclarum facinus, sed ad faciendas iniurias, et excitandae discordiae contentionem, et qui magis percussor fuerit, coronatur. Atque haec quidem minora » sunt mala. Maiora autem quis non dicere refugiat? » Quidam inertiam profitentes, propter luxuriam seipsos vendunt occidendos. Vendit se pauper: emit » dives homicidas: sedent qui testimonium de his ferant, ac singulare certamen ineunt gladiatores nullam ob caussam, nec quisquam descendit, qui auxilietur. Qui enim inter vos dignitate praestat, exercitum homicidarum colligit, seque latronum alere » profitetur. Prodeunt ab eo latrones, usque omnes ad » spectaculum convenitis, iudices futuri, partim agonothetae improbitatis, partim et ipsorum gladiatorum ». Tertullianum *apolog. cap.* XXXVIII. *pag.* 113. *edit. opp. an.* 1744. *in append.* « Nihil est nobis dicto, » visu, auditu cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae ». Et *lib. de spect. cap.* XXVIII. *pag.* 81. « Expectabimus nunc et amphitheatri repudium de scripturis. Si saevitiam, si impietatem, si fe-

intelligerent. In arena quippe (arenae autem nomine amphitheatrum praecipue indicabant) gladiatores nudi acriter pugnabant, quin ulla esset caussa, quae ad pugnandum incenderet. Qui horum vulnus alteri inflixisset, mortemque intulisset, is victor appellabatur. Is iussu populi ad victum, iacentemque accedebat, eumque interimebat, dividebatque eius cadaver (1) in partes, ne spectatores simulata morte delusi existimarentur. Interdum cum premi gladiatorem unum ab altero viderent, ut ferae e caveis prodirent, atque huic terrorem incuterent, curabant. Qui plus arte tam crudeli valebat, morsibus bestiae hostem (2) obiiciebat, declinabatque ipse superata fera periculum. Inde victor bestiae ad victum gladiatorem se convertebat, eumque conficiebat. Huius autem tantae, tamque immanis crudelitatis aspectum ferre christiani qui poterant, quos mites, quos misericordes, quos

» citatem permissam nobis contendere possumus, eamus » in amphitheatrum. Si tales sumus, quales dicimur, delectemur sanguine humano. Bonum est cum puniuntur nocentes. Quis hoc nisi nocens negabit? Et tamen innocens de supplicio alterius laetari non potest..... Certe quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt, ut publicae utilitatis hostiae fiant ». Cyprianus ad Donatum *p.* 5. *edit. oxon.* « Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinae toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in poenam carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, et ut quis possit occidere peritia est, usus est, ars est: scelus non tantum geritur, sed et docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est, ut perimere quis possit, et gloria est, quod perimit etc. ». Arnobius *lib.* II. *p.* 72. *edit. Lugd. Batav. an.* 1651. « Amphitheatra loca sanguinis, et publicae impietatis, ex quibus in altero mundi hominum cernerent, at bestiarum laniatibus dissipari: interficere se alios nullum ob meriti caussam, sed in gratiam, voluptatemque sessorum, ipsosque illos dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, et festa hilaritate sacrarent ». Lactantius *lib.* VI. *cap.* XX. *p.* 490. *edit. paris. an.* 1748. *tom.* I. « Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est, et tamquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras. Alios illi compares dari postulant recentiores, ut quamprimum oculos suos satient. Hac consuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Huius igitur publici homicidii socios, et participes esse non convenit eos, qui iustitiae viam te» nere nituntur. Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet: quod ne per leges quidem publicas licet; sed ea quoque ne fiant, monet, quae apud homines pro licitis habentur... Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor ». Cyrillus hierosolymitanus *catechs. mystag.* I. *pag.* 229. *edit. modo laudatae.* « Neque vero et illos admireris, qui dummodo ventri suo obsequantur, efferatis bestiis se ipsos exponunt ... Gregorius nazianzenus *iambo* III. ad Seleucum *p.* 191. *tom.* II. *opp. edit. colon.*

Πλέον δὲ φεῦγε τὰς μιαιφόνους θέας....
Τούτων κάθηνται τῶν παθῶν ἀγνώμονες.
« Cruenta fugias plus adhuc spectacula....
» Haec assidentes improbi spectant viri.

Confer quae sequuntur. Iam mitto patres, qui post floruerunt, ne lectori longa oratione molestus sim.

(1) Tertullianus *lib. de spectaculis cap.* XXIII. *p.* 82. « Qui ad cadaver hominis communi lege defuncti exhorret, idem in amphitheatro derosa, et dissipata, et in suo sanguine squallentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat. Immo qui propter homicidae poenam probandam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis, et virgis compellat invitum etc. ». Lactantius *loc. cit. p.* 490. « Percussos, iacentesque repeti iubent, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat ».

(2) Tertullianus *lib. de spect. cap.* XXIV. *p.* 82. « Taceo de illo, qui hominem leoni prae se opponit, ne parum sit homicida, qui eumdem postmodum iugulat ». Confer *adnot. Rigaltii in eumdem loc. Tertull.*

amicos etiam hostium suorum Christus esse iussisset? Ac fieri quidem solet, ut quae scelerata, saeva, immania sunt, ea si saepe videantur, consuetudine non modo non terreant animum, sed etiam probentur. Immo vero quoniam ita ut fit, ut ludentibus duobus, alterutri, quem nusquam noverimus, faveamus; verebantur ne si ad amphitheatrum venissent, ethnicorum more alicui ipsi quoque hortando spiritus adderent, ut hostem magno animo aggrederetur, atque perimeret innocentem. Qua re nihil moribus, institutisque nostris indignius esse pugnabant.

Furorem autem in circensibus vim suam maxime exserere videbant. Furentem enim (1) plebem accedere, tumultuantem, caeco impetu concitatam. Oculos deinde in praetorem convertere, signumque expectare. Dato signo, in factiones discindi, conviciis adversae partis defensores lacessere, odisse eos, qui vincerent, optareque, ut alius victor esset, animos suis addere, quos ne novissent quidem interdum, contumeliis imperatores proscindere, omnia denique agere, quae aliena esse noverant ab institutione christianorum.

Quid? si in amphitheatrum (2) impudicitia quoque invecta erat? Gladiatores enim a viris, feminisque ad insaniam usque di-

(1) Tertull. *apolog. cap.* xxxviii. *pag.* 113. *append. edit. opp. an.* 1744., *et de spectac. cap.* xvi. *pag.* 79. *seq.* „ Cum ergo furor interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a circo, ubi proprie furor praesidet. Accipe populum ad spectaculum iam cum furore venientem, iam tumultuosum, iam caecum, iam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi praetor. Semper oculi in urna eius cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxii pendent. Unius dementiae una vox est ... Ex eo itaque itur in furias, et animos, et discordias, et quidquid non licet sacerdotibus, et paci. Inde maledicta, convicia, sine iustitia odii; etiam suffragia sine merito amoris ... De aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate laetantur. Quidquid optant, quidquid abominantur, extraneum ab illis est. Ita et amor apud illos otiosus, et odium iniustum .... Deus certe etiam cum causa prohibet odisse, qui inimicos diligi iubet ... Sed circo quid amarius, ubi ne principibus quidem, aut civibus suis parcunt? Si quid horum, quibus circus furit, alicubi competit sanctis, etiam in circo licebit; si vero nusquam, ideo nec in circo „. Et *cap.* xviii. *p.* 82. „ An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuum, velut sacerdos coronatus, vel coloratus, ut leno „? Adeundi Minucius Felix *loc. cit.*, Arnobius *lib.* vii. *p.* 244., Lactantius *loc. cit. pag.* 493. ubi, „ Circensium quoque ludorum ratio, *inquit*, quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur etc. „. Cyrillus hierosolymitanus *loc. cit.* qui „ Fuge, *inquit*, et equorum curricula, quod est prorsus insanum, et multorum vitae perniciosum spectaculum. Haec enim omnia ad pompam diaboli pertinent „. Et Gregorius nazianzenus *loc. cit.* *p.* 592., qui sic scribit:

Καὶ μὴν τὰ πολλοῖς μᾶλλον ἡμερώτερα
Δοκοῦν θέαμα πωλικῶν ἱπποδρόμων,
Καὶ τοῦτο λοιμός ἐστι, καὶ ψυχῆς νόσος.
„ Quin circus etiam, mitius spectaculum
„ Quamvis priori nemo non existimet,
„ Est pestis animae, moribus et *noxam ferens*.

Scio Chrysostomum, aliosque patres eadem fere de circo dicere, sed non est necesse, ut eorum testimonia describam, cum satis esse videantur.

(2) Tertullianus *lib. de spectac. cap.* xxii. *pag.* 82. „ Ipsi auctores et administratores spectaculorum, qua-

ligebantur. Igitur in arenam vel nobilissimi descendebant, ut cum sceleratissimis amasiis congrederentur. Immo vero matronae quandoque sese turpissimis hominibus prostituere non dubitabant. Haec autem qua tandem fronte aspicere christiano, quae ne cogitare quidem fas erat, licuisset?

VII.

Neque ad theatra.

Non solum autem neque in amphitheatrum, neque in circum, sed ne in theatra quidem, quaecumque tandem fuissent, ire cuiquam nostrum licere arbitrabantur. Auctoritate namque veterum demostrari ad veritatem plane potest, reos peccati agi solitos fuisse eos, qui ad comoedias, tragoediasque venire auderent, in quas viri, mulieresque concurrerent, ut mimos, qui amorem fingerent, recitantes audirent, atque hoc pacto levarent a continenti labore aliquanto animum, tametsi nihil iis turpe, nihil obscoenum, nihil superstitiosum contineretur. Nam quae tunc aetatis theatra frequentabantur, si demas idololatriam, similia nostrorum (1) erant, nisi forte discreparent, quod haec lignea, illa contra lapidea essent. Quamquam nemo dubitat, quin turpia saepe in novis item theatris, ac sin minus palam, at circuitione quadam verborum honesta, turpia tamen revera audiantur. His autem intellectis plandere spectatores solent, hortarique quandoque comoedum, ut eadem repetat, solent. Itaque miror (2) quid sit, quod inveniantur hoc tempore aliqui ita animis comparati, ut veteris doctrinae defensores accusent, quasi sint imperiti antiquitatum. Verum caveant, ne cum alios imperitiae arguant, esse ipsi antiquitatum christianarum minus periti videantur. Rebus

„ drigarios, scenicos, xisticos, *arenarios illos amentissimos, quibus viri animas, feminae, aut illi etiam corpora sua substernunt*, propter quod in ea committunt, quae reprehendunt etc.„ Ad haec Rigaltius „ Gladiatores, *inquit*, significat, amatos ... a viris, et feminis. Viris etiam ex nobilium ordine in arenam descendentibus, feminis quoque nobilissimis, immo et viris pudicitiam suam vilissimi alicuius mirmillonis, aut retiarii amore profligantibus. Caius insaniae exemplo suggerit sexta Iuvenalis satyra „. Sed scriptores, qui de amphitheatris, et circo libros ediderunt, recenset Fabricius *bibliog. antiquar. cap.* XXII. *pag.* 641. *seq.* Praeter eos de amphitheatris, et praecipue de veronensi, et de amphith. Galliae scripsit Scipio Maffeius vir nobilis in primis, et doctus, apud Polenum *tom.* V. *supplem. antiq. rom. et graecar. p.* 1. *seqq.*

(1) Consule L. Valpium virum eruditissimum *de utilitate poetic. cap.* VII.

(2) Maffeius *dell'uso del teatro, praef. pag.* 83. *edit. an.* 1723. *tom.* I.

enim claris, atque perspicuis neque confidentia offundi tenebrae, neque noctes, ut ita loquar, contumelia, conviciisque obduci possunt.

Sed ut ordine agam, ostendam primum, quid de theatris generatim christiani sentirent, deinque quibus argumentis inducti eadem esse vitanda arbitrarentur. A theatris igitur abstinebant, propterea quod cognoscerent caste, pie, sancteque, ut praeceptum a Christo servatore fuerat, mores suos instituere posse neminem, qui ea expeteret, audiret, conspiceret, quae nihil continerent, quod non aut vanum, aut impudicum, aut superstitiosum esset, aut animum a rerum divinarum contemplatione non avocaret. Itaque cum de theatrorum contemptu ab ethnicis accusarentur, fas non esse, aiebant, homini christiano, qui pudicitiam, vitaeque innocentiam coleret, iis interesse, quorum origo a superstitione duceretur, et in quibus mimi, atque histriones stupra, odia, suspiria (1), adulteria, aliasque turpitudines exhiberent. Igitur puderet eos, qui haec frequentarent, atque veluti patrata ab suis diis, ipsoque principe ceterorum Iove essent, non recitari modo, sed etiam fingi paterentur (2). Namque induci apud eos in scenam Venerem consuesse, quae impudicis motibus saltaret, vilisque meretricis partes ageret (3). Item Cybelem (4),

(1) Vide Minucium Felicem in Octavio *pag.* 8. *edit. an.* 1610., ubi ita Caecilius christianos accusat. „ Vos vero suspensi interim, atque solliciti honestis voluptatibus abstinetis, non spectacula visitis, non pompis interestis, convivia publica absque vobis „. Itaque Octavius pag. 26. respondet. „ Non igitur, qui moribus, et pudore censemur, merito malis voluptatibus, et pompis vestris, et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. Nam in scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat. Nunc enervis histrio amorem dum fingit, infligit. Idem Deos vestros induendo stupra, suspiria, odia dedecorat „. Tertullianus *apol. c.* xxxviii. *p.* 317. *seq. edit. Havercampi* 1718. „ Aeque spectaculis vestris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, cum et ipsis rebus, de quibus transiguntur praeteramus. Nihil est nobis dictu, visu, audito ... cum impudicitia theatri „.

(2) Theophilus ad Autolycum *lib.* III. *p.* 416. *inter opp. s. Iustini edit. venet. an.* 1747. ait „ Si quis .... loquitur de adulterio, illud apud eos (ethnicos) non solum de hominibus, sed etiam de diis, quos canora voce decantant, non sine praemio, ac mercede tragice exhibetur „. Tatianus *orat. contra graecos p.* 272. *cit. edit. opp. s. Iustini* haec habet. „ Vidi saepe numero quemdam ... luxu valde diffluentem, et mollitie omni fractum, ac modo oculis rutilantem, modo manus huc illuc versantem .... et nunc Veneri, nunc Apollini similem unum omnium deorum accusatorem, superstitionis compendium, vituperatorem actionum heroicarum, caedium histrionem, adulterii monstratorem etc. „. Similia habent s. Iustinus martyr *apol. s. p.* 60. *edit. eiusd.*, Tertullianus *apolog. cap.* xv. *pag.* 54. *edit. venet. an.* 1744. *in append.* S. Cyprianus *in epist. ad Donatum pag.* 4. *edit. amstel.* 1700., Lactantius *lib.* v. *cap.* xxi. *edit. an.* 1748. *pag.* 418. *seq.*, Arnobius *lib.* IV. *advers. gent. p.* 152. *seq. edit. an.* 1651. aliique, quos ne longus sim, praetermitto.

(3) Arnobius *ibid. pag.* 154. „ Quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Martiae, regnatoris et populi procreatrix amans saltatur Venus, et per affectus omnes meretriciae vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari „. Consule etiam Tertull., Cyprianum *loc. cit.*, Augustinum *de civ. Dei lib.* VII. *cap.* XXVI. *p.* 182. *tom.* VII. *edit. monach. s. Mauri*, et Hieronymum *in epist.* XLV. *alias* XVIII. *ad Marcellam t.* IV. *opp. par.* II. *p.* 553. *edit. Martianaei.*

(4) Tertull. *apol. cap.* XV. *p.* 54., Arnob. *ibid.*

quae pastorem nescio quem deperiret, eiusque amplexu frueretur. Iovem (1), qui adulter esset, subdolisque artibus uxorum alienarum falleret castitatem. Anubim praeterea, Herculem, Dianam, Minervam, ceteros denique Deos, qui ea gererent, quae maximam eorum numinibus iniuriam conflarent (2). Puderet sacerdotes, magistratus, pontifices maximos, curiones, aliosque viros principes, qui illis adesseut, atque huiusmodi flagitia probarent (3). Reminiscerentur legum, quas eorum maiores sanxerunt. His enim praeceptum esse, ut theatra destruerentur, ne mores labem, ac detrimentum caperent (4).

Ergo christiani omnes, quibus compertum, comprehensumque animis erat, quanto in periculo versaretur is, ut idololatriae criminis reus esset, suosque mores corrumperet, qui theatra frequentaret, sese (5) ab illis prorsus abstinebant. Quamobrem patres, vetusque in primis auctor Tertullianus, summa consensione nostris auctores fuerunt, ut sibi, ne illis interessent, caverent.

Principio enim etsi in veteris, novique testamenti libris scripta lex nulla esset, qua apertissimis verbis, ne ad theatra, ludosque scenicos adirent, nostri prohiberentur; tamen cum felix, et beatus, Davidis prophetae sententia, esset, qui impiorum hominum societatem vitaret; convenirent autem ad theatra ethnici, qui improbis scelestisque moribus viverent, et Christum nega-

(1) Tertull. *ibid. De spectac. p.* 77. *edit. an.* 1744., Arnobius *ibid.* haec habet. „ Quin et ille in tabulis maximum ipse regnator poli sine ulla numinis, maiestatisque formidine adulterorum agere introducitur partes; atque ut fallere castitatem alienarum possint familias matrum, ora immutare pellacia, et in species coniugum subditivi corporis simulatione succedere „.

(2) Tertull. *ibid.*, Cyprianum *cit. epist. ad Donatum p.* 3. *edit. oxon.*, Lactant. *loc. cit.* aliique

(3) Prudentius *in mart. Romanum pag.* 116. *edit. an* 1625. sic pontificem, qui spectaculo aderat, increpat:

„ Cycnus stuprator peccat inter pulpita,
„ Saltat tonantem tauricornem lydius.
„ Spectator horum pontifex summus sedes,
„ Ridesque et ipse, nec negando diluis,
„ Cum fama tanti polluatur numinis.

Tertull. *loc. cit. apolog. cap.* xv. „ Nonne, *ait,* violatur » maiestas, et divinitas constupretur, plaudentibus vobis » ? Et *in lib. de spectac. cap.* xvii. *p.* 80. » Erubescat senator, erubescant ordines omnes etc. ». Arnobius *lib.* iv. *p.* 151. » Sedent et in spectaculis publicis » sacerdotum omnia, magistratuumque collegia, pontifices maximi, et maximi curiones: sedent quindecim » viri laureati etc. ».

(4) Tertull. *apol. cap.* vi. *pag.* 66. *edit. Havercamp.* „ Nunc religiosissimi legum, et paternorum institutorum „ protectores, et cultores respondeant velim de sua fide, „ et honore, et obsequio erga maiorum consulta, si a „ nullo desciverunt?... Quonam illae leges abierunt .... „ quae theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant » ? Et *in lib. de spectaculis cap.* x. *p.*77. *edit. venet.* 1744. » Saepe censores renascentia cum maxime „ theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant etc. „.

(5) Theophilus *lib.* iii. *ad Autolycum pag.*416. *laud. edit.* „ Neque cetera spectacula obeunda sunt, ne polluantur oculi nostri, et aures, si participes eorum „ fiant, quae illic decantantur ..... Procul absit a christianis, ut iis quidquam huiusmodi facere in mentem „ veniat, apud quos adest temperantia, continentia colitur etc. „. Confer Tertullianum *loc. indic.* et *lib. de corona milit. cap.* vi. *p.* 104. *edit. venetae an.* 1744., Mi-

rent; esse quidem concludebant christianis vetitum genus omne spectaculorum (1).

Deinde huiusmodi esse institutum christianorum, ut cum baptismate initiantur, *diabolo, et pompis, et angelis eius abrenuncient.* Iam vero neque diabolum, neque pompas, neque angelos eius reprobari ab eo, qui idololatriae dat operam (2). Scenicarum autem rerum originem, apparatum, locum, artes, titulos, quibus inscriberentur, omnia denique, quae ad theatrum pertinerent, idololatriae plena esse (3). Nam illic Dei nomen per summam iniuriam (4) comtemni, superstitiosumque cultum numinibus, quibus huiusmodi spectacula dedicata essent, adhiberi. Theatrum in primis sacrarium esse Veneris; tum Liberi, aliorumque deorum, quibus (5) non solum molles gestus, flexusque corporis, sed et omnia, quae voce, et modis, et organis agi consuescerent, consecrarentur. Itaque fieri nullo modo posse, ut christiani, qui theatricis ludis oblectarentur, fidem, quam in baptismate promiserant, servarent.

Atque hoc quidem argumenti genus, quo demonstraretur, nostros, qui ad theatra ventitarent, religionis christianae leges perrumpere, seseque idolorum superstitione obligare, gravissimum es-

nucium Felicem, Cyprianum, Arnobium, Lactantium locis supra descriptis, Tatianum antiquissimum defensorem christianorum, et Iustini mart. auditorem *orat. contra graecos num.* 22. *pag.* 279. *edit. venetae opp. Iust.* an. 1747.

(1) Tertull. *lib. de spectac. cap.* III. *p.* 74. *edit. venet.* an. 1744. « Plane nusquam invenimus quemadmodum » aperte positum est: Non occides, non idolum coles, » non adulterium, non fraudem admittes; ita exerte » definitum: non in circum ibis, non *in theatrum* .... » sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere il» lam primam vocem David. Felix, inquit, qui non abiit » in concilium impiorum, et in via peccatorum non ste» tit, et in cathedra pestium non sedit ..... Si pauculos » tunc iudaeos impiorum concilium (David) vocavit, » quanto magis tantum conventum ethnici populi? ni » pii ethnici, minus peccatores, minus hostes Christi ». Clemens alex. *lib.* III. *paedag. p.* 298. *tom.* I. *opp. edit. oxon.* 1715. « Nec inconcinne, *ait*, stadia, et theatra pe» stium cathedram quis vocaverit ».

(2) Tertull. *ibid. cap.* IV. *p.* 74. quem locum num. superiore descripsimus. Confer etiam Cyrillum hierosolymit. loc. cit., et quae num. superiore de pomparum renunciatione diximus.

(3) Posteaquam loc. cit. Tertullianus spectaculorum originem, apparatum, locum etc. ad idololatriam pertinere ostendit, tum theatro *cap.* X. *p.* 77. ait. « Transe» mus ad scenicas res, quarum et originem communem, » et titulos pares secundum ipsam ab initio ludorum » appellationem, et administrationem coniunctam cum » re equestri iam ostendimus. Apparatus etiam ex ea » parte consortes, qua ad scenam spectat ... Inde nunc » ad scenicos ludos dirigimus e loci vitio ». Et paullo post. « Et est plane in artibus, quoque scenicis Liberi, » et Veneris patrocinium etc. ». Vide Minuc. Felic., Arnob., Lact. loc. cit.

(4) Tertull. *lib. de spectac. cap.* XXVI. *p.* 883. « Odis» se debemus istos conventus, et coetus ethnicorum vel » quod illic Dei nomen blasphematur ».

(5) Tertull. *ibid. cap.* X. *pag.* 77. « Theatrum pro» prie sacrarium Veneris est ... Et est plane in artibus » quoque scenicis Liberi, et Veneris patrocinium, quae » privata, et propria sunt scenae. De gestu, et corporis » flexu mollitiem Veneri, et Libero immolant: illi per » sexum, illi per fluxum dissolutis. Quae vero voce, et » modis, et organis, et litteris transiguntur, Apollines, » et Musas, et Minervas, et Mercurios mancipes habent. » Oderis christiane, quorum auctores non potes non » odisse ». Adde Minuc. Felic., Arnob., Lact. ll. cc.

se. Sed alia quoque suppetere (1), quae plane efficerent, reprobari theatra oportere. Etsi enim loca, in quibus ludi scenici haberentur (2), neminem inquinarent, plurima tamen in illis agi, quae, cum per se ipsa mala essent, dici vix posset, quantam obtinerent vim ad animos depravandos. Namque adeo turpes, obscoenas, spurcasque res illic exhiberi, ut privatum impudicitiae domicilium (3) esse videretur. Omnia illic probari, quae alibi reprobantur. Mulieres facilius domi, quam in scena (4) eru-

(1) Tertull. *ibid. cap.* XIV. *p.* 76. « Nunc interposito nomine, ne idololatriae, quod solum subiectum sufficere deberet ad abdicationem spectaculorum, alia iam ratione tractemus ex abundanti ».

(2) Tertull. *ibid.* « Ceterum retulimus supra de locorum conditione, quod non per semetipsa nos inquinent, sed per ea, quae illic geruntur, per quae simul inquinamentum combiberint, tunc et in alteros respuunt ».

(3) Tertull. *ibid. cap.* XVII. *p.* 80. « Similiter impudicitiam omnem amovere iubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiae, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est, quam atellanus gesticulator, quam mimus etiam per mulieres repraesentat sexum pudoris exterminans, ut facilius domi, quam in scena erubescant ... Ipsa etiam prostibula publicae libidinis hostiae in scena proferuntur, plus miserae in praesentia feminarum etc. Taceo de reliquis, ea quae in tenebris, et speluncis delitescere decebat, ne diem contaminarent ... Habes igitur et theatri interdictionem de interdictione impudicitiae ». Confer eumdem *lib.* I. *de cultu femin. cap.* VII. *p.* 153. Saeculo II. Tatianus *orat. contra graecos p.*279. *edit. venetae opp. s. Iustini an.*1747. « Resonante naso turpia loquuntur (histriones), moventur indecore, et dum in scena moechandi artem docent filii vestri (o ethnici) spectant, et filiae. Praeclara apud vos auditoria quidquid nefarie nocte perpetratur praedicantia, et turpium sermonum declamationibus auditores oblectantia ». Eodem spectant, quae Theophilus antiochenus persequitur *lib.* III. *num.* 15. *p.* 416., Clemens alexandrinus *lib.* III. *paedag. cap.* XI. *p.* 255. *edit. paris. an.* 1641. « Quod enim, *inquit*, turpe factum non ostenditur in theatris? Quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum movent scurrae, et histriones? Qui autem ex vitio, quod in eis est delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt ». In idem recidunt, quae ex Minucio Felice sup. descripsimus. Nam Cyprianus *ad Donatum p.* 5. *edit. oxon.* « In theatris quoque conspicies, *inquit*, quod tibi et dolori sit, et pudori. Cothurnus est tragicus prisca carminum facinora recensens. De parricidiis, et incestis error antiquus, expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne sceleris transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur aetas omnis auditu, fieri posse, quod factum est; numquam enim senio delicta moriuntur, numquam temporibus crimen obruitur, numquam scelus oblivione sepelitur. Exempla fiunt, quae esse iam facinora desiverunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio, vel quid domi gesserit recognoscere, vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur, dum videtur, et lenocinante ad vitia publicae auctoritatis malo, quae pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes? Quae probrorum fomenta? Quae alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari? Videre contra foedus, iusque nascendi patientiam incestae turpitudinis elaboratam »? Adeundi denique Arnobius *loc. cit. lib.* IV. *pag.*152., Lactantius *ibid.*, Cyrillus hierosolymitanus *ibid.*, Gregorius nazianzenus *iambo* III. *ad Seleucum ibid.*, Basilius magnus *epist.* XLII. *p.* 129. *n.* 4. *tom.* III. *opp. edit. paris. monac. s. Mauri.* Mitto Ioh. Chrysostomum, Augustinum, aliosque. An solam idololatriam hi reprobant, ut Moffeius putat?

(4) Tertullianus *de spectac. cap.* XVII. *pag.* 80. « Ita summa gratia eius de spurcitia concinnata est... quam mimus, etiam per mulieres repraesentat, sexum pudoris exterminans. Ipsa etiam prostibula publicae libidinis hostiae in scena proferuntur ..... Ipsam illam pudoris sui interemtricem, de gestibus suis ad lucem, et populum expavescentem, semel saltem erubescant ». Sexum pudoris exterminare dixit, quod mimae sese interdum in theatro nudarent. Id vero tradi a Valerio Maximo *lib.* II. observat Lacerda in not. in eumdem Tertulliani locum: „Loquens, *inquit*, Valerius de Floralibus, ait, M. Porcio „Catone spectante hos ludos, populum erubuisse po„stulare ut mimae nudarentur. Quod cum Cato cogno„sceret a Favonio amicissimo una secum sedente in lu„dis, discessit e theatro, ne praesentia sua spectaculi „consuetudinem impediret ». Ex qua re constat in scenam mimas etiam ivisse, ne quis nullas olim mulieres in theatra venisse putet. Bulenger. *append. de theatr. p.*250. *et cap.* XLII. *par.* III. *edit. an.* 1603.

bescere. Prostibula palam proferri. Meretrices, puerosque scortantes induci. Verba, gestus fractos ad mollitiem, vestitus, cantus, oculorum motus, suspiria, tibias, fistulas, comoediarum argumenta, postremo omnia turpissima esse. Qui ergo mores eorum, qui adessent, huiusmodi rebus non immutarentur? Nam histriones, cum amorem, adulteria, aliasque eiusdem generis turpitudines fingerent, caussam esse, ut qui viderent, illorum imitatores esse studerent; quaeque (1) mulier pudica venerat, impudica reverteretur.

Praeterea cum in christianis sanctus, divinusque Spiritus (2) insit, nullaque mundi pars, aut locus sit, qui natura divina non contineatur; committendum nullo modo ab iis, ut ille iniuria afficeretur, utque ea fierent, quae indigna Dei maiestate essent. At vero Deum, sanctumque Spiritum contemni ab eo, qui ad mimos audiendos conveniat. Nam etsi moderate huiusmodi oblectamentis fruatur, tamen cum voluptati indulgeat, fieri non posse ut animus illorum dulcedine corruptelaque non depravetur. Quod si voluptate non perfruatur, reum profecto agi vanitatis. Hanc item christianis esse vetitam. Neque vero quod nihil eorum, quae a mimis fiunt, agat, idcirco culpa vacare. Nam eodem crimine obligari actorem, et (3) spectatorem. Atque non modo ob eam caussam, sed etiam quod iudicium de omni impudico, vanoque verbo ferendum a Deo sit, nihilque tam facile in animos influat, quam verba, quae aut languentes incitant, aut excitatos remittunt (4), audire, quae in scena proferuntur, christiano homini non licere. Accusandos propterea eos esse, qui cum, ne filia sua virgo turpe audiat verbum, vereantur, tum illam ad theatrum (5) deducunt.

(1) Confer eosdem, quos hactenus laudavi, patres, et Lact. *lib.* 1. *cap.* 20. *inst. p.* 85. *edit.* an. 1748. *tom.* 1.

(2) Tertull. *lib. de spectac. cap.* xv. *pag.* 79. « Deus praecepit Spiritum sanctum ... tranquillitate, et lenitate, et quiete, et pace tractare ..... Huic quomodo cum spectaculis poterit convenire? Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Ubi enim voluptas, ibi et studium, per quod scilicet voluptas sapit ... Nam et si qui modeste, et probe spectaculis fruitur, pro dignitatis, vel aetatis, vel etiam naturae suae conditione: non tamen immobilis animi est sine tacita spiritus passione etc. ».

(3) Tertull. *ibid.* « Caeterum si cessat affectus, nulla est voluptas, et est reus iam ille vanitatis, eo conveniens, ubi nihil consequitur. Puto etiam vanitas extranea est nobis. Quid? quod et ipse iudicat, inter eos positus, quorum similem nolens, utique detestatorem confitetur? Nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus. Utinam ne in saeculo quidem simul cum illis moraremur. Sed tamen in saecularibus separamur, quia saeculum Dei est, saecularia autem diaboli ».

(4) Tertullianus *de spectac. cap.* xvii. *p.* 80. « Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire, quae loqui non licet, cum etiam scurrilitatem, et omne vanum verbum iudicatum a Deo sciamus »? Videant theatri huiusce temporis defensores, num haec Tertulliani sententia cum novis scenis componi possit?

(5) Tertull. *ibid. p.* 81. « Si ergo evenit, ut qui io-

Postremo, cum viri, et mulieres splendidiore cultu ornatae, ut videant, et videantur, ad theatrum concurrant (1), plenique hi coetus confusione, iniquitateque sint, quod iis rebus, quae fiunt, sive consentiant, sive dissentiant, exsultent, cervices, oculosque pariter cum modorum, vocumque flexionibus torqueant; lascivire (2) sensim oculos, libidinem augeri, voluptates demum, ac turpitudines (3) appeti opportere. Haec mala non in theatro solum illabi in animos, sed et domi, proptera quod distinctae eorum, quae visa sunt, menti imagines imprimantur. Itaque christianorum, quos precibus confugere ad Deum, seseque illi totos devovere, et caste laetari oportet, componi cum ludis scenicis vivendi rationem non posse. Quod si ex iis, quae in scena recitantur, oblectationem animo capiant, satis litterarum, versuum, sententiarum, canticorum, vocum, quae non falsa, sed vera sint, nobis suppetere, quibus delectemur. Itaque diligenter caverent, ne ad theatra venirent; sed spectaculum, quod in die iudicii extremo esset futurum, cogitarent.

Quod si spectare, quae in theatris gerebantur, christianis ho-

« publico vie necessitate vesicae tunicam levet, idem in circo aliter non exultet, nisi totum pudorem in faciem omnium intentet, et qui filiae virginis ab omni spurco verbo aures tuetur, ipse eam in theatrum ad illas voces, gesticulationesque deducat etc. ».

(1) Idem *ibid. cap.* xxiv. *seq. p.* 83. « Quid autem spei superest huiusmodi homini? Nemo in castra hostium transit, nisi proiectis armis suis ... An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic, ubi nihil est de Deo? Pacem opinor habebit in animo, contendens pro auriga? Pudicitiam edisCet, attonitus in mimos? Immo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ille ipse mulierum, et virorum accuratior cultus, ipsa assensio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri, et videre. Sed tragoedo vociferante, exclamationes ille alicuius prophetae retractabit? et inter effeminati histrionis modos psalmum secum commicietur etc. »? Clemens alexandr. *lib.* iii. *stromatum p.* 254. *edit. an.* 1641. « Magna confusione, et iniquitate hi coetus pleni sunt, et occasio conventus causa est turpitudinis, cum viri, et feminae mistim conveniant, alter ad alterius spectaculum. Hic perperam iam agitur concilium. Dum enim lasciviunt oculi, calescunt appetitiones, et oculi proximos impudenter respicere assuefacti, quod concessum sibi videant otium, incendunt cupiditates ». Videant, qui legunt, cadere ne haec in nova theatra possint.

(2) Confer Tertullianum *lib. de spectaculis cap.* xxv. *seq. p.* 85. *seq. edit. claud.*

(3) Tertullianus *lib. de spectaculis cap.* xxiii. *p.* 82. *edit. an.* 1744. « Cum in lege, *inquit*, proscribit, maledictum esse, qui muliebribus vestiatur, quid de pantomimo iudicabit, qui etiam muliebribus curatur »? S. Cyprianus *epist.* ii. *al.* lxi. *pag.* 4. « Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, et maledicti eiusmodi iudicentur, quanto maioris est criminis non tantum muliebria indumenta accipere, sed et gestus quoque turpes, et molles, et muliebres magisterio impudicae artis exprimere »? Cyprianus *ad Donatum p.* 6. *edit. oxon.* « Evirantur mares, honor omnis, et vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur, plusque illic placet quisque virum in feminam magis fregerit ». Gregorius nazianzenus *iambo* iii. *p.* 191. *tom.* ii. *opp. edit. colon.*

« Famam, decusque turpiter marium exuunt,
« Sexum, et virilem flexibus cum corpore
« Frangunt: simul sunt feminae, et simul mares.
« Non masculi, non feminae, falsa haud loquor.
« Nam nec manent iam masculi, nec feminae
« Fiunt etc.

Sed de universis patribus longum est dicere.

minibus non licebat, multo minus fas erat histrionicam exercere artem. Quamobrem si qui usquam histriones reperti essent, qui nostris sacris, mysteriisque initiati, aut ad scenam ire, aut alios docere auderent, hos episcopi communione ecclesiae prohibendos (1) arbitrabantur. Vitiari enim coetum christianorum putabant, si contra atque evangelica disciplina praescriberet, eorum quemquam in ecclesia libere versari paterentur.

Nam qui cooptati in collegium clericorum erant, hi quidem ab scena longissime (2) aberant. Quod enim laicum dedecebat, idem turpius esse personae, et dignitati cognoverant, quam clericus sustineret. Igitur episcoporum concilia deiiciendos de gradu sanxerunt eos, qui nulla instituti, quod profiterentur, habita ratione, ad theatrum accedere non dubitarent (3).

(1) S. Cyprianum *epist.* LXI. ad *Eucratium pag.* 3. *seq. edit. oxon.* » Consulendum me existimasti, *inquit*, de » histrione quodam, qui apud vos constitutus in eius» dem adhuc artis suae dedecore perseverat, et magis» ter, et doctor non erudiendorum, sed perdendorum » puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque in» sinuat, an talis debeat communicare nobiscum .... » Puto nec maiestati divinae, nec evangelicae disci» plinae congruere, et pudor, et honor ecclesiae tam » turpi, et infami contagione foedetur ... Nec excu» sat se quisquam si a theatro ipse cessaverit, cum ta» men hoc ceteros doceat. Non potest enim videri » cessasse, qui vicarios substituit, et qui pro se uno » plures succidaneos suggerit, contra institutionem Dei » erudiens, et docens quemadmodum masculus fran» gatur in feminam, et sexus arte mutetur, et diabolo » divinum plasma maculanti, per corrupti, atque ener» vati corporis delicta placeatur .... Quod si penuriam » talis, et necessitatem paupertatis obtendit, potest in» ter ceteros, qui alimentis ecclesiae sustinentur, hu» ius quoque necessitas adiuvari; si tamen contentus » sit frugalioribus, sed innocentibus cibis, nec putet » salario se esse redimendum, ut a peccatis cesset, » quando hoc non nobis, sed sibi praestet. Ceterum » quantum velit inde quaerat, qualis quaestus est, qui » de convivio Abraham, Isaac, et Iacob homines ra» pit, et male, ac perniciose in saeculo saginatos, ad » aeternae famis, ac sitis supplicia deducit. Et ideo » quantum potes, eum ab hac pravitate, et dedecore, » ad viam innocentiae, atque ad spem vitae suae re» voca, ut sit contentus ecclesiae sumtibus parcioribus » quidem, sed salutaribus. Quod si illic ecclesia non » sufficit, ut laborantibus praestet alimenta, poterit » se ad nos transferre, et hic, quod sibi ad victum, » atque ad vestitum necessarium fuerit, accipere, nec » alios extra ecclesiam mortalia docere, sed ipse salu» taria in ecclesia discere ». Consule *constitut. apostol. lib.* VIII. *cap.* XXXII. *pag.* 417. *seq. tom.* I. *apost. pp. edit. an.* 1724., synodum eliberitanam celebr. an. 302. *can.* LXII. *p.* 255. *tom.* I. *concil. edit. Hard.*, et arelatensem celebratam an. 314. *can.* XII. *et* V. *pag.* 264. *tom. eod.* Mirabile autem non est, si histrio communione ecclesiae prohiberetur, qui ignominia ab ethnicis notari solebat. Confer Tertullianum *de spectac. cap.* XXII. *p.* 82. *edit. an.* 1744., et s. Augustinum *lib.* II. *de civ. Dei cap.* XIV. *p.* 41. *tom.* VII. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri.*

(2) Synodus laodicena IV. saec. celebrata *can.* LIV. *pag.* 790. *tom.* I. *concilior. edit. paris. Hard.* „ οὐ δεῖ, „ inquit, ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς τινας θεωρεῖν „ ἐν γάμοις ἢ δείπνοις etc. Non oportet sacerdo„ tes, aut clericos in spectaculis aliquibus, aut in nu„ ptiis, aut coenis contemplari „. Sed de re perspicua plura dicere non est opus. Ferendi proinde non videntur, qui hoc tempore non solum clericis ad theatra accedere tacite permittunt, sed etiam vulgatis libellis concedunt? Colligitur id quoque ex *epist.* XLIX. Iuliani imp. ad Arsacium *p.* 429. *edit. lips. an.* 1696.

(3) Patrum de theatris testimonia, sententiasque copiose explicaverunt praeter Iacobum Benignum Bossuetium meldensium episcopum, et Nicolium in moral. lib., Iohannes Mariana soc. I. *lib. de spectac. p.* 127. *seqq. edit. opuscular. Colon. Agrippinae an.* 1609., et Petrus Brunius oratorii domini Iesu in Gallia presbyter Discours sur la comédie, ou traité historique, et dogmatique des jeux de théatre, et des autres divertissemens comiques soufferts, ou condamnés depuis le premier siecle de l'église, jusqu'à present, avec un discours sur les pièces de théatre tirées de l'écriture sainte: *edit. an.* 1694. *et* 1731. Mitto Binghamum, et ceteros, qui sane innumerabiles sunt, quique compressim, paucisque de hoc argumenti genere disputarunt.

VIII.

Neque ad Choreas.

Neque saltationes solum, quae apud idola (1) fierent, sed cuiusque etiam generis choreas, in quibus quidquam aut turpe, aut minus ad honestam vitam pertinens fieret, vitabant. Quod si quos in huiusmodi ludis deprehendebant, coarguendos existimabant, monendosque, deinceps ne simile quidpiam auderent (2).

§. IX.

Ne furore ethnicorum vincerentur, cum tempestatem in ecclesiam esse ab illis concitatam intelligerent, aut fuga sibi consulebant, aut abdere se in arenarias urbium consueverant. Itaque gravissimis incommodis, ne religionem christianam desererent, premebantur.

Tantum igitur christianis inerat studium tuendae religionis, ut non modo nihil cum ethnicis habere commune vellent, sed etiam quid vis esse perpeti satius, quam ulla in re violare cultum religionis, quam essent amplexi, iudicarent. Sed ne suis viribus confidere, neve agere quidpiam temere viderentur, ubi iratos esse nostris imperatores intelligebant, latebras sibi esse quae-

(1) Confer Iustinum martyrem *apolog.* II. *num.* 15. *edit. venetas an.* 1747. *p.* 102., et Tertullianum *lib. de corona cap.* 8. *p.* 106. *edit. venetae an.* 1744.

(2) „ Non ergo sis curiosus frequentia spectaculorum, ubi conspicies minorum petulantias, et impudicitiis refertos, ἐκτεθηλυσμένων τε ἀνδρῶν ἐμμανεῖς ὀρχήσεις, et *virorum effeminatorum choreas socioris* „. Cyrillus hierosolymitanus *catech. mystagog.* I. *p.* 229. *edit. paris. an.* 1640. Adeundus Iustinus martyr loco modo indicato, et Basilius seleuc. orat. XXVII. *p.* 149. *edit. paris. an.* 1621. Itaque synodus laodicena *can.* LIII. *p.* 789. *tom.* I. *concilior. edit. Hard. statuit,* ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους βαλλίζειν, ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν, ἢ ἀριστᾶν, ὡς πρέπει Χριστιανούς. „ Quod non oporteat christianos ad nuptias venientes vel *ballare,* vel *saltare,* sed caste coenare, vel prandere, ut decet christianos „. Sed de statutis ecclesiae, ne choreis nostrum quisquam interesse auderet, erit alibi quoque copiosius disserendi locus. Interea ad saltationem quod attinet, choreasque consule Iohannem Nicolaium *de ritu bacchanaliorum cap.* XXII. *p.* 210. *seq. tom.* VII. thesauri gronoviani *edit. batavae,* Everardum Feithium *antiquit. homericarum lib.* IV. *c.* V. *p.* 3815. *t.* VI. thesauri gronoviani *edit. eiusd.*, Claudium Franciscum Menestrierum *des ballets anciens, et modernes edit. paris. an.* 1682. *p.* 8. *seq.*, at si licet Balth. Meisnerum *dissert.* XII. *collegii adiaphoristici edit. witembergae an.* 1620., et *tractatum de saltationibus, et choreis non ducendis editum Genevae an.* 1581.

rendas (1) arbitrabantur. Qui enim cogniti ethnicis fuerant, si prodire in publicum, ut ante solebant (2), perrexissent, metuebant, ne capti, sponte se obtulisse hostibus viderentur, luerentque confidentiae, ac temeritatis poenas. Experinndo namque di-

(1) Factum id quidem fuit iam usque ab aetate apostolorum. *Act. cap.* VIII. v. 1., *cap.* IX. 29. *seq.*, XIII. v. 51., XIV. 6. 19. *etc.* Idipsum egit Polycarpus Iohannis discipulus: confer Eusebium *lib.* IV. *cap.* XV. *edit. cantabrig. p.* 165. Atque hinc factum arbitror, et *latebrosa natio* christiani appellarentur ab inimicis. Non enim solum hoc nomen sortiti sunt, quod dignitates, et publica munera non obirent, sed etiam quod latebras quaererent. Vide *tom.* I. *huius op. pag.* 94. Tertullianum *lib. de fuga in persecutione cap.* V. *pag.* 535. *edit. venetae an.* 1744. « Rutilius, *inquit*, sanctissimus martyr, cum „ toties fugisset persecutionem de loco in locum, etiam „ periculum, ut putabat, nummis redemisset, post to„ tam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopi„ nato apprehensus, et praesidi oblatus, tormentis „ dissipatus, dehinc ignibus datus, passionem, quam „ vitaret ... Dei misericordia retulit ». Haec Tertull. montanista. Similia sunt exempla Cypriani, Dionysii alexandrini, aliorumque multorum, de quibus agam paullo post. Iam vero etsi christianis licebat fugere, tamen iis, quibus animarum cura incumbebat, non licebat, nisi praefectos ecclesiis ad necem quaeri, vel id utilitatem ecclesiae poscere, constitisset. Quamobrem Cyprianus, cum esse aliquos accepisset, qui mirarentur, quod fuga salutem sibi petiisset, sic scripsit. *Epist.* XX. *al.* XV. *ad cler. rom. p.* 42. *edit. oxon.* « Quo„ niam comperi, fratres charissimi, minus simpliciter, „ et minus fideliter vobis renunciari, quae hic a nobis „ et gesta sunt, et geruntur, necessarium duxi has ad „ vos litteras facere, quibus vobis actus nostri, et di„ sciplinae, et diligentiae ratio redderetur. Nam sicut „ Domini mandata instruunt, orto statim turbationis „ impetu primo, cum me clamore violento frequen„ ter populus flagitasset, non tam meam salutem, „ quam quietem fratrum publicam cogitans, interim „ secessi, ne per inverecundam praesentiam nostram „ seditio, quae coeperat, plus provocaretur. Absens ta„ men corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis „ defui, quo minus secundum Domini praecepta fra„ tribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate „ consulerem ». Nam clerus romanus *epist.* inter cyprianicas VIII. *p.* 15. *edit. oxon.* cum intellexisset, Cyprianum fuga sibi consuluisse, aegre tulit, propterea quod episcopum tum maxime opem suis ferre oporteret sciret, de ea re scripsit ad clerum carthaginiensem, atque inter cetera, haec significavit: « Didicimus se„ cessisse benedictum papam Cyprianum ... Quod uti„ que recte fecerit, cum sit persona insignis, et im„ minente agone, quem permisit Deus in saeculo col„ luctandi causa cum adversario; simul cum servis „ suis volens etiam angelis, et hominibus certamen „ hoc manifestare, ut qui vicerit, coronetur; victus „ vero portaverit in se sententiam, quae nobis mani„ festata est. Et cum incumbat nobis, qui videmur „ praepositi esse, et vice pastoris custodire gregem, si „ negligentes inveniamur, dicetur nobis .... quoniam „ perditum non requisivimus ... Denique et ipse Do„ minus implens, quae scripta erant in lege, et pro„ phetis, docet dicens: *Ego sum pastor bonus, qui pono* „ *animam meam pro ovibus meis; mercenarius autem, et* „ *cuius non sunt oves propriae, cum viderit lupum venien*„ *tem, relinquens effugit, et lupus dispergit oves etc.* Nolu„ mus ergo fratres dilectissimi vos mercenarios inveni„ ri, sed bonos pastores, cum sciatis non minimum „ periculum incumbere, si non hortati fueritis fratres „ vestros stare etc. ». Dionysius quoque episcopus alexandrinorum, qui tertio saeculo floruit, cum fugisset, ut aliis purgaret sese, causam quamobrem ita se gessisset, exponendam putavit. Ergo, *epist. ad Germanum apud Euseb. lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XL. *p.* 302. *seq. edit. cantabrig.* « Ego vero coram Deo loquor, *inquit*, et ipse » scit, me nequaquam mentiri, numquam mea spon» te, nec sine Dei nutu fugam iniisse. Sed et prius cum » persecutionis edictum sub Decio propositum fuisset, » Sabinus Frumentarium, qui me requireret, eodem » temporis momento, misit. Atque ego quidem qua» triduo domi mansi, adventum expectans Frumenta» rii ... Usque post diem quartum, cum Deus mihi, » ut alio migrarem, praecepisset, ac praeter opinio» nem omnium viam aperuisset, ego, et famuli, mul» tique ex fratribus simul egressi sumus. Atque id di» vinae providentiae opus fuisse, rerum eventus postea » declaravit. Siquidem nonnullis fortasse haud inutiles » fuimus ». Confer Tertullianum *lib. de fuga in persec. cap.* XI. *p.* 541. *edit. an.* 1744. Confer Pontium diaconum *vit. Cyprian. p.* 4. *app. s. Cypr. edit. oxon.*

(2) Hanc fuisse orthodoxorum sententiam colligitur ex libro Tertulliani *de fuga in persecut. cap.* V. *seqq. p.* 538. *seqq. edit. venetae an.* 1744. Sic enim aiebant: „ Quod meum est, fugio, ne peream, si negavero „ (nempe ne ipse me periculo temeritate quadam ex„ ponerem) illius est (scilicet Dei) si voluerit, etiam fu„ gientem, me reducere in medium „. Et *cap.* VI. „ immo quia praeceptum adimplevit, fugiens de ci„ vitate in civitatem ... Cum coeperint, inquit, per„ sequi vos, fugite de civitate in civitatem „. Vide *act. mart. s. Cypr. ibid. par.* II.

dicerant, aliquos eorum, qui sese ethnicis, quin essent quaesiti, manifestassent, proptera quod audacter in tantum se periculum coniecissent, ferre nequivisse cruciatus acerbitatem, imprudentesque eo se tam nefario scelere obstrinxisse, quod vitare morte decreverant (1).

I.

In deserta loca eorum permulti profugiebant.

Quare permulti, cum edicta proponi viderent, qnibus aut sacrificare falsis deorum numinibus, aut interire iubebantur, in

(1) In epist. ecclesiae smyrnensis de Polycarpi martyrio apud Ruinartium *act. ss. mm. sinc. p.* 33. *edit, veron.* n. 4. haec leguntur: „ Quidam nomine Quintus, „ natione phryx, qui nuper ex Phrygia advenerat, „ cum vidisset bestias, timore perculsus est: οὗτος „ δὲ ἦν ὁ παραβιασάμενος ἑαυτόν τε καί τι„ νας προσελθεῖν ἑκόντας. *Hic autem erat, qui se* „ *ipsum, et quosdam impulerat, ut ultro accederent.* Huic „ proconsul multis obsecrationibus persuasit iurare, „ ac sacrificare: διὰ τοῦτο οὖν οὐκ ἐπαινοῦμεν „ τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς. ἐπειδὴ οὐχ οὕτως „ διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον. *Propterea igitur non lau-* „ *damus se sponte offerentes: quoniam non sic docet evan-* „ *gelium* „. Atque huius rei alia extant in actis aliquot martyrum exempla, quae brevitati consulens praetermitto. Igitur cautum ab eliberitana synodo est, „ ut qui idola fregerit, et ibidem fuerit „ occisus, quatenus in evangelio scriptum non est, ne„ que invenitur sub apostolis unquam factum, pla„ cuit in numero eum non recipi martyrum „. Nam sapienter sic scribit Clemens alexandrinus *lib. iv. stromateon pag.* 504. *edit. an.* 1641. „ Cum rursus dixerit „ (Christus): *Quando vos persecuti fuerint in hac civitate,* „ *fugite in aliam*: non suadet fugere, tamquam ma„ lum sit pati persecutionem; nec ut mortem extimescentes, iubet nos eam fuga declinare. Vult au„ tem nos nulli esse auctores, neque alicuius mali „ causae adiutores, nec nobis ipsis, nec ei, qui per„ sequitur, nec ei, qui interimit. Denunciat enim quo„ dammodo, ut caveat. Qui autem non obedit est „ τολμηρὸς, καὶ ῥιψοκίνδυνος, *temerarius, et in* „ *periculum se coniiciens.* Si autem qui hominem Dei „ interimit, in Deum peccat, is quoque eius caedis „ reus tenetur, qui se offert iudicio. Talis autem erit, „ qui non vitat persecutionem, capiendum se prae„ bens per audaciam. Is est, qui quantum in se est „ adiuvat improbitatem eius, qui persequitur. Quod „ si etiam irritet, plane causa est, ut qui provocet „ feram „. Iohannes Barbeyracius homo de secta calvinianorum Clementis hunc locum reprehendit, quasi principiis stoicorum nitatur. *Praef. in Pufend. iur. nat. et gent. p.* 68. §. 12. *edit. an.*1640. „ Il raisonne, *inquit,* „ sur les principes des stoiciens, qui nioient que la „ douleur fut un mal: *Nam suadet fugere, tamquam* „ *malum sit pati persecutionem, nec ut mortem extimescen-* „ *tes iubet nos eam fuga declinare* „. At nescio equidem, cur non item is auctor Christum stoicum fecerit, cum gaudendum, et exultandum apostolis dixerit, si vexati eius causa fuissent. At Clemens non eo sic loquitur, quo dolorem naturae humanae consentaneum esse arbitraretur, sed quo nihil mali nobis afferre persecutionem demonstraret, ut quae mercedis in patria beatorum reportandae indicium, ac sponsio quaedam sit. Praeterea s. Cyprianus *lib. de lapsis p.* 125. *edit. oxon.* „ Non est, *inquit,* iusta aliqua, et gravis causa, quae „ tantum facinus excuset. Relinquenda erat patria, „ et patrimonii facienda iactura ... Clamat ecce per „ prophetam spiritus: Discedite, exite inde, et immun„ dum nolite tangere. Exite de medio eius, separami„ ni ... Qui exit, et cedit, delicti particeps non fit .... „ Et ideo Dominus in persecutione secedere, atque ut „ id fieret, et docuit, et fecit. Nam cum corona de „ Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fue„ rit hora sumendi; quisquis in Christo manens inte„ rim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat. „ Qui autem *cum non secederet, cecidit, negaturus reman-* „ *sit* „. Confer acta ss. mm. Epipod. et Alexandri p. 64. apud Ruinartium *edit. saepe laudatas.* Concedendum tamen est quandoque instinctu Spiritus sancti permotos nonnullos, sese obtulisse tyrannis, numeratosque in martyribus fuisse. Ceterum synodus eliberitana, cum cauto esse opus existimasset, non damnandos quidem

deserta (1) loca, in quibus latere possent, profugiebant. Dici vix potest quot ibi, quamque magnis laboribus, malisque conflictarentur. Aestus illis, frigus, sitis, fames (2), metus ferarum, atque hostium, aliaque incommoda quotidiana erant. Charitas, pietasque, qua erga Deum inflammati erant, rerum omnium inopiam levabat. Nonnulli cum sustinere diu nequirent, gravissimis morbis, religionis tuendae caussa, correpti interibant. In his episcopus ille aegyptius fuit, cuius est ab Dionysio (3) alexandrinorum antistite facta mentio. Is enim cum quaesitus ad necem esset, memor eorum, quae a Christo praescripta fuerant, ut iis, qui in urbe aliqua sine periculo manere non possent, fuga salutem petere liceret, in desertum nescio quem locum se contulisset, quoniam iis rebus omnibus, quae ad vitam sustentandam pertinerent, carebat, extinctus est. Ergo cum ab suis, sedata tempestate, conquisitus diligenter esset, inveniri non potuit. Atque in hoc item genere singulare Maximi episcopi nolani exemplum fuit (4). Is enim cum iratos sibi esse ethnicos sciret, propterea quod mul-

eos, qui propterea quod idola fregissent, aut aliud quidpiam simile fecissent interfecti ab hostibus christianae religionis sunt, cum fortasse id afflatu superiore fecerint, sed in martyrum numerum referendos non esse, sanxit. Adeundus Mendoza *in comment. in canon. eliberit. tom. 1. concilior. edit. paris. Labbei p.* 1303. *seq.*

(1) Vide epist. Dionysii alexandrini apud Eusebium *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XLII. *p.* 309.

(2) In actis sancti martyris Theoduti, qui an. 303. passus est, haec leguntur *p.* 297. *edit. veron. actor. sinc. sanctor. mm.* ruinartianae collectionis : « Deerat fugitivis salutis locus, at ab aris recesserant sacerdotes derelinquentes vestibula ecclesiarum : dumque eorum facultates impiis essent expositae ad rapinam, omni supplicio gravior degentis instabat fames. Per totam quippe vagantes solitudinem, et in speluncis, atque cavernis, ut quisque latebram invenerat, se continentes, non poterant diu tolerare esuriem, quin multi se comprehendendos praeberent, misericordiam se consecuturos rati. Grave ergo fugitivis ipsis fugae malum, ingenuis praesertim, atque in multa rerum affluentia enutritis, qui olim nullius indigi, nunc radicibus vescebantur, et herbis ».

(3) Eusebius *loc. cit. p.* 309. « Iam quid opus est, *inquit*, commemorare multitudinem eorum, qui in montibus, ac per solitudinem oberrantes, fame, et siti, ac frigore, ac morbis, et latronum, aut bestiarum incursu oppressi interiere? Ex quibus hi, qui superfuerunt incolumes, testes sunt electionis illorum, atque victoriae. Unicum dumtaxat facinus ad declarandam rei veritatem adiiciam. Chaeremon erat quidam grandaevus, Nili urbis episcopus. Hic una cum coniuge in arabicum montem fuga delatus, non ulterius reversus est. Et fratres quamvis accurate omnia perscrutati, nec ipsos posthac, nec ipsorum cadavera reperire potuerunt. Porro multi in arabico illo monte a barbaris saracenis capti, et in servitutem redacti sunt ».

(4) S. Paulinus nolanus *nat.* XIV. *s. Felicis v.* 198. *pag.* 220. *seq.* apud Ruinartium *act. sinc. ss. mm. edit. veron.* haec habet.

« Maximus interea solis in montibus aeger,
« Contentus fugisse manus, feraliaque ora
« Carnificum, diversa, at non leviore terebat
« Martyrium cruce, quam si ferro colla dedisset :

. . . .

« Panis inops, tectique simul, noctemque diemque
« Pervigil intenta iungit prece tempus utrumque.

. . . .

« Vis animae, spernentes fide labentia carnis,
« Victa hyeme, atque fame, duroque attrita cubili,
« Deficiente suam linquebat corpora mentem.

. . . .

« Nota patris summi pietas antistite tanto,
« Non tulit obscuro consumi funere corpus.

. . . .

« Ergo sacerdotem, confessoremque sereno

tos a superstitione deorum ad cultum unius, veri, atque omnipotentis Dei traduxisset, fuga sibi prospiciendum existimavit, atque in proximas silvas profugit nolanorum. Ibi etsi aliquamdiu tuto constiterat, post tamen omnium rerum inopia laborans, cum nemo auxilium allatum veniret, viribus corporis destitutus, prostratusque, eo tandem redactus est, ut sensu rerum privatus, animam ageret. Felix tunc presbyter ecclesiae nolanae vinculis constrictns in carcere asservabatur. Is videre sibi visus est caelestem nuncium, qui uti se consequeretur, praeciperet. Sed cum catenas, carcerem, custodes impedire dixisset, quo minus imperata faceret, iussus est, vincula ut excuteret, consideretque fore, ut porta aperiretur, milesque somno correptus, quae agerentur ne suspicari quidem posset. Paruit, resque omnis, ita ut ab nuncio praedicta fuerat, evenit. Igitur Felix praeeuntem angelum, qui lux eidem, ut videret, et viae, qua pergeret, index erat, sequutus, tandem in locum, ubi Maximus pene exanimis iacebat, pervenit. Ut senem tanto in periculo vitae versari vidit, suspirare, lacrimari, flere miserandum in modum, inde amplexatus hominem, osculatusque ut patrem, halitu frigida membra fovere, clamare denique, atque hortari, ut bono animo esset, seque praesentem agnosceret, coepit. Sed frustra. Nam fames sanctissimum praesulem in eum vitae statum deduxerat. At qnibus ei malo Felix mederetur, nullae res erant in promtu. Igitur ad Deum sese convertit auxilium postulatum. Spinis circum locus omnis obsitus erat. Forte fortuna oculos in spinetum unum coniecerat, cum uvam inde divina virtute productam animadvertit, etsi neque vites ibi, neque opportuna ad fructus eiusmodi reperiendos tempestas esset. Eo laetus accurrit Felix, arreptaque uva, acinos decerpit, premensque succum in os senis immittit, eiusque vires aliquanto reficit. Maximus ut sibi spiritus restitutos sensit, et a quo esset curatus cognovit, gratias Deo primum, tum Felici egit, qui tanto suo incommodo, atque periculo, laboranti, extremumque spiritum agenti opem tulisset. Sed Felix, ne puta, inquit,

« Lumine respiciens, tacitis tabescere silvis,
« Non tulit ulterius mitis pater, et quia digno
« Condignum comitem meritis sociare parabat,
« Felicem numero de carceris eligit omni,
« Cuius id opponat meritis opus, ut senis almi
« Membra levet, revocetque animam, relevetque refotum,
« Attonitisque ovibus cara solatia reddat
« Pastoris etc.

Confer quae sequuntur.

consistere tibi diu in hisce locis licere. Itaque patere, ut te in urbem deducam, uti valetudinem tuam confirmare possim. Cumque vires, quibus pedester episcopus rediret, deessent, optimum factu esse Felix iudicavit, si suis humeris senem imponeret. Quod in animum induxerat, perfecit, et Maximum salvum Nolam deportavit. Tantam Felicis erga se charitatem, atque observantiam expertus praesul, ut domum delatus incolumis est, presbyterum quasi filium ex se natum complexus, summo me tibi beneficio devinxisti, inquit, ut qua deinceps fruar, eam mihi vitam arbitrer esse tua opera restitutam. His tot aerumnis, cum in deserta loca profugerent, tuendae religionis caussa, sese christiani veteres exponebant.

II.

Qui latere domi, profugereve in deserta loca non poterant, hi, dum quaeri christianos ad necem videbant, in arenarias, cryptasque urbium sese abdere consueverant.

Sed qui manere domi satis tuto nòn poterant, divellique ab suis, quibus opem intendere (1) debebant, minime patiebantur, hi in cryptas vel moenibus comprehensas, vel proximas urbibus fugiebant, latebantque noctu, interdiuque, quoad tempestas ab generis humani in nostrum genus concitata sedaretur. Eiusmodi cryptas *areas* (2), aut *areas sepulturarum*, aut *arenarias*, aut

(1) Acta ss. mm. Epipodii, et Alexandri apud Ruinartium *p.* 164. *edit. veron.* « Saeviente autem persecutione, impletum evangelico constituto, quoniam ad aliam civitatem abire non posset, latebram ibi quaesierunt ».

(2) Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* III. *pag.* 70. *edit. venet.* an. 1744. de coemeteriis, quae aream vocat, loquens « Sicut, et sub Hilariano praeside, *inquit*, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent: Areae non sint: areae ipsorum non fuerunt ». Acta proconsularia de martyrio s. Cypriani apud Ruinartium *act. sinc. ss. mm.* n. 5. *pag.* 190. *edit. veron.* sic habent « Inde per noctem sublatum (Cypriani corpus) cum cereis, et scholacibus ad areas Macrobii Candidiani procuratoris, quae sunt in via mappaliensi iuxta piscinam ... deductum est ». Vide Cangium *in glossario med. et infim. latinitat. ad* v. *area.* Quod ad vocem *cryptarum* attinet, confer s. Hieronymum in *cap.* XL. Ezechiem *pag.* 979. *seq. tom.* III. *opp. edit. Martianaei*, qui sic scribit: « Dum essem Romae puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris eiusdem aetatis, et propositi, diebus dominicis sepulcra apostolorum, et martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defossae ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, et ita obscura sunt omnia, ut propemodum propheticum illud compleatur: Descendunt ad infernum viventes; et raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes. Rursumque pedetentim acceditur, et caeca nocte circumdatis, illud virgilianum proponitur: Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent ». Arenarium iam ante propagatum christianismum vocaverat Cicero *orat. pro Cluentio tom.* V. *opp. edit.* genevensis Oliveti *cap.* XIII. *pag.* 48. „ Asinius autem, *inquit*, brevi illo

coemeteria, aut *martyrum concilia* maiores nostri appellabant. Mam qui *arenarias* urbis *catacumbas* (1) vocaverunt, hi certe esse quarto ecclesiae saeculo antiquiores non possunt. Atque hae quidem cryptae, etsi neque eadem figura ubique, neque eadem amplitudine, atque romanae, essent, tamen in permultis oppidis (2) visebantur. Excavatos namque intuemur in monte, verrucave magnos, concameratosque (3) cuniculos, atque ita ple-

» tempore, quasi in hortulos iret, in arenarias quasdam » extra portam esquilinam perductus occiditur ». Quin etiam *specus egestae arenae* dictae *arenariae* ab Svetonio in Nerone *cap.* XLVIII, *p.* 251. *edit. lugd. an.* 1669. « Ibi, » *inquit*, hortante Phaonte, ut interim specum egestae » arenae concederet, negavit se vivum sub terram itu» rum (Nero) ». Iniecta etiam a Vitruvio arenariarum est mentio, quarum elatae nostro genere ab illo sint *lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 23. *edit. an.* 1649. « Si autem non » erunt arenaria, unde fodiatur, tum de fluminibus, aut » e glarea erit excernenda ». Consule praeterea acta ss. mm. Montani, Lucii etc. apud Ruinartium *ibid. p.* 205. *num.* 15. Quod autem concilia vocata coemeteria nostra fuerint, dubium esse nullum potest. Vide acta s. Sebastiani *cap.* XXIX. apud Bollandianos *tom.* II. *ianuar.* ad d. 20. *pag.* 278. Nec *concilia* modo, sed etiam *concilia martyrum* appellata sunt; *Anastas. bibliothecarius in Damas. p.* 21. *edit. paris. an.* 1649., et martyrologium romanum ad d. 23. ian. De coemeteriorum appellatione erit *seq. cap.* opportunior disserendi locus.

(1) Vide Micrelium *hist. eccl. lib.* II. *sect.* 2. *n.* 44., Iulium Caesarem Bulengerum *de templis lib.* III. *c.* XXXI. *p.* 94. *tom.* I. *opuscul. edit. an.* 1621., Iohannem Bollandum *tom.* II. *febr. in s. Soterem pag.* 389., Mabillonium *itiner. ital. pag.* 88. *seq. edit. an.* 1744., et Cangium *in gloss. med. et infim. latinit. ad v. catacumb.*, et Iohannem Bottarium virum eruditissimum *Roma sotterran. p.* 2. *tom.* I. Mitto autem Bosium, Aringhum, Boldettum, Torrigium, ceterosque, ne lectori molestus sim.

(2) Erant enim coemeteria, suntque etiamnum Romae, quae describuntur a Panvinio, Bosio, Aringho, Spondano, Boldetto, Bottario, Fabretto, Mabillonio, Montfauconio, aliisque sexcentis. Atque ut romana praeteream, negari nequit, quin in coemeteriis christianorum numerari debeant riminense ante annos aliquot, 20. circiter ab urbe lapide, detectum, ocriense in narniensi dioecesi, quod describitur a Boldetto *lib.* II. *c.* XIII. *p.* 587., ex quo detractum corpus Medici martyris fuit, cui martyri posita haec inscriptio fuerat:

☧ *ω* . HIC . RE
Q. ESCIT ME
DICVS . MR. X.
CVM PLVRIB.
I. P. C. Q. R. S.
T. B. A. M.

s. Eutichii in ortana dioecesi, quod idem describit Boldettus *p.* 590. *seq.*, interamnense *ibid. p.* 591. *seq.*, spoletanum *ibid. p.* 593., clusinum *ibid. p.* 595. *seq.*, lucense *ibid. p.* 596., potavinum *ibid. p.* 597. *seq.*, brixiense *ibid. p.* 599. *seq*, aquilanum in provincia valeria *ibid. p.* 603., neapolitanum in Campania *ibid. p.* 605., nolanum *ibid. p.* 607., puteolanum *ibid. pag.* 609., mediolanense *ibid. p.* 615., florentinum apud Fogginium *de roman. s. Petri itiner., et apostol. p.* 291. *edit. flor. an.* 1741., palestinae Bold. *ibid. pag.* 617. *seq.*, antiochenum *ibid. p.* 620., alexandrina, quorum meminere Eusebius *l.* VII. *hist. eccl. cap.* XI. *p.* 315. *edit. cantabrig.*, s. Athanasius *apolog. de fuga sua num.* 6. *p.* 323. *edit. montfauconianae tom.* I., salaminium in insula Cypro Bold. *ibid. pag.* 621., et alia, quae memorat Eusebius *lib.* IX. *cap.* II. *pag.* 441. *hist. edit. cantabr.*, carthaginiense in Africa proconsulari, quod a Tertulliano, et scriptore *actor. proconsularium* s. Cypriani indicatum paullo ante vidimus, et alia quaedam in Africa, Bold. *ibid. pag.* 622., sicula, Bold. *ibid. p.* 624. *seq.*, melitense *ibid. p.* 631., granatense in Hispania, Bold. *p.* 633., alba ingavonense *ibid. pag.* 635., caesaraugustanum *ibid. p.* 637., hispalense *ibid. p.* 632., gallicana *ibid. p.* 641., agathense *ibid. p.* 641., coloniense *ibid. p.* 642. *seq.*, trevirense *ibid. p.* 647., kioviense *ibid. p.* 648. Et apud Iohan. Herbin. in crypt. kiovien.

(3) Ambrosius Leonius *descript. urbis Nolae lib.* III. *cap.* II. *p.* 695. *edit. an.* 1605. « In excavatis in monte, » verrucave aliquo magnis, concameratisque cuniculis... » incavantur sepulcra singulis defunctis, quae sicut ca» psae, longa serie, ac sibi haerentes ordinatae, tum in » dextro, tum in laevo cuniculi latere, soloque calle, » qui in medio est cuniculo relictus, discriminante, stru» cta spectantur. Quamobrem in visceribus montis, ter» rave facta esse veluti civitas defunctorum, atque tam» quam per vicinias, ita per cuniculos tumulatorum ire» tur ». Confer diarium italicum Bernardi Montfauconi, *p.* 117. 154. *edit. an.* 1702., et *iter italicum* Mabillonii

rumque, ut duobus ordinibus constent, e quorum superiore in imum gradibus descendere liceat. Primi autem omnium, qui cryptas eiusmodi, Romae saltem, perfecerint, ethnici fuerunt. Hi enim quum arena, ut amplissimas aedes extruerent, opus haberent, neque agrorum, solique urbis superficiem pervertere, vastareque vellent, servis, ut subterraneos cuniculos facerent, arenamque inde peterent (1), iubebant. Idque tanta diligentia, cura, arteque exsequebantur, ut urbem subterraneam condere, qua sibi ad superiorem exitus pateret, viderentur. Eoque consilio cuniculos formabant, ut recta non progrederentur, quo propior illis egressus e cavernis, facilisque arenae transvectio in aedes, quae extruebantur, esset. Quod si longe interdum ab aditu digressi fuerant, perforari terram, ut et respirarent libere, et commode inde arenam, seque ipsos machinis quibusdam extraherent, curabant. Haec quamvis ita sese habebant, tamen certum est, christianorum item longo post (2) intervallo fuisse aliquam in cry-

p. 88. *n.* 21. *edit. paris. an.* 1724., *et p.* 131. *seq. n.* 13. *seq.* Horum similis coemeteriorum fuerunt, quae Iudaei sub Hadriano fecerunt, ut in ea, cum opus esset, confugerent, ut auctor est Dio in Hadriano *lib.* LXIX. *p.* 793. *edit. an.* 1606. « Auxilium, *inquit*, comebant moro, et » cavernis subterraneis, specus efficientes, atque cuni» culis omnia fodientes, ut quoties violarentur, liberos » haberent ad fugam exitus. Invicem quoque super ter» ram clanculum commeare specus, et subterraneas vias » superne quibusdam in locis hiantes ad ventos, et lu» cem excipiendam perforaverant ».

(1) Confer Boldettum *lib.* I. *cap.* II. *p.* 4. *seq.*, Iohannem Severanum *de sept. urb. eccl.*, *de eccles. s. Sebastiani pag.* 421. *seq. edit. an.* 1630., et Bottarium *Roma sotterr. p.* 6. *seq.*

(2) Iohannes Bottarius *ibid. pag.* 11. « In qualche » parte erano questi cimiteri opera de' nostri primi cri» stiani, perchè gli scavi, di cui talvolta se ne veggono » sino in dodici l'uno sopra l'altro fatti nelle parti late» rali de' corridori per collocarvi i cadaveri, e quelli fat» ti nel pavimento delle cappellette per questo medesi» mo uso, sono senza fallo manifattura loro, e di qui » forse avviene, che si trovano alcune di queste strade » chiuse, e piene di terra, perchè non potendo i cristia» ni per paura de' gentili portar fuori il terreno, e per» chè anche sarebbe stato loro d'incomodo maggiore, » il gettavano ne' corridori già pieni di corpi morti; poi» chè non dovea essere piccola massa di terreno quella, » che ricavarono da questi scavi laterali chiamati loculi » da chi ha scritto di questa materia, e che quando era» no capaci di due, tre, o quattro corpi, eran chiamati » *bisomum*, o *trisomum*, o *quadrisomum*. E in tal guisa ve» nivano anche per avventura ad impedire il male odo» re, che i corpi frescamente sepolti doveano esalare, ac» ciocchè non nuocesse a quei viventi, che si adunava» no o dimoravano in queste catacombe ». Adeundus Boldettus *ibid. p.* 6. *seq.*, et Bonarrotius in *praefat. a certi frammenti di vasi di vetro ec. pag.* 12. Ac sepulcra quidem, quibus cadavera duo continerentur, *bisoma* fuisse appellata constat, cum ex aliis multis, tum ex inscriptione sepulcrali Sergii, et Iunii fossorum, quam referunt Boldettus *lib.* I. *cap.* XV. *p.* 65., et Bottarius *ibid. p.* 11.

SERGIVS ET IVNIVS FOSSORES
B. N. M. IN PACE BISOM.


Confer etiam Aringhum *lib.* IV. *cap.* XLVII. *pag.* 126. *tom.* II. *Rom. subter.* *Bisomum* legit Reinesius *inscript. class.* 20. *num.* 40. *et* 364. *et* 344., *bisom.* vero *num.* 116. sed errat. De *trisomo* vide supra *tab.* 1. *p.* 15. inscriptionem sepulcralem Calevii, et *pag.* 30. Quin etiam apud Aringhum *lib.* I. *cap.* XXVI *p.* 110. *tom.* I., et Reinesium *inscript. class.* 20. *n.* 289., et Bosium *Rom. subt. lib.* III. *cap.* XXXII. *p.* 216. hoc sepulcrale legitur epigramma:

SE BIBA EMET DOMNINA
LOCVM A SVCESSVM
TRISOMV VBI POSITI
ET

De *quadrisomo* vide Fabrettum *inscript. domestic. cap.* VIII. *p.* 571. Multa in hanc rem disputari possent; sed quominus id faciam brevitas operis est impedimento. Iam vero coemeteriorum ectypa aeri lignove incisa dederunt

T. III.

ICHNOGRAPHIA ORDINIS IN



ptis iisdem perficiendis amplificandisque partem. Excavata enim, quae in parietibus sepulcra cernuntur, cubicula quoque, quae veluti sacella essent, angustioresque cuniculi non ethnicorum, sed nostrorum hominum opera fuerunt. Quae res confirmari magis magisque copia illa tanta arenae potest, qua sunt quandoque plenae inferiores viae coemeteriorum. Nam cum ad latera sepelire cadavera solerent, neque foetorem, qui inde exhalaret, ferre aliquando possent, cuniculos novos faciundos, arenamque eo comportandam, implendasque veteres vias arbitrabantur. Ac si foetorem quidem tulissent, nihilominus, cum nova sepulcra effodere necesse esset, in quibus cadavera, quae continenter eodem importari solebant, conderentur, vias item novas aperiri oportere intelligebant. Cumque sine periculo devehi tum, atque asportari in superficiem terrae arena nequiret, impleri scilicet eadem cuniculi veteres debuerunt. Sedes praeterea christiani cathedrarum instar terram fodiendo fecerunt, et sacella picturis sanctorum, variisque symbolis ornarunt. Atque hinc sane prodiit ordo (1)

Bosius, Aringhus, Bottarius, Fabrettus, Boldettus, aliique. Nam exemplum unum exhiberi hoc loco voluimus, ex quo nosci cetera perfacile possunt.

(1) De fossoriorum ordine agam alio loco diligenter. Interea consule Aringhum *lib.* I. *cap.* XIII. *pag.* 61. *tom.* I., Boldettum *lib.* I. *cap.* XV. *p.* 56. *seqq.*, Bottarium *p.* 126. *tom.* II., qui fossoriorum aliquot inscriptiones sepulcrales, atque imagines e coemeteriis expressas exhibent. Nam quid illud est Tertull. *cap.* III. *lib. ad Scapulam pag.* 70., *areae non sint,* quod ethnici expetebant? *Arearum* enim vocabulo coemeteria indicasit, ut paullo ante demonstratum est. Scilicet adimi nostris potestatem frequentandi coemeteria solebant, quod, furente tyranno, eodem ipsi confugere solerent. In proconsularibus actis martyrii s. Cypriani episcopi carthaginiensis *p.* 11. *seq. edit. opp. oxon.* sic habetur: « Paternus pro« consul dixit: A me invenientur presbyteri etc. Et adie« cit: Praeceperunt etiam nè in aliquibus locis concilia« bula fiant, nec coemeteria ingrediantur ». Praeterea Aemilianus praefectus Aegypti apud Eusebium *lib.* VII. *hist. cap.* XI. *p.* 335. *edit. cantabrig.* sic alloquitur Dionysium episcopum alexandrinorum: Οὐδαμῶς ἐξέσται οὔτε ὑμῖν, οὔτε ἄλλοις τισὶν ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι. « Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscumque « aliis conventus agere, aut in iis, quae vocantur coeme« teria, esse ». Vide praeterea Euseb. *lib.* IX. *cap.* II. *hist. eccl. p.* 441. *edit. cantabrig.* Sed qui plura volet, is consulat Boldettum *osserv. sopra i cimiteri de' ss. mm. lib.* I. *cap.* III. *p.* 9. *seq.* Quamquam is auctor aliquot affert monumenta, quae vereor ne nullam obtinere apud criticos viros auctoritatem, et fidem possint. Iam vero in priore huiusce operis libro *cap.* II. §. XIV. *pag.* 94., *et lib.* II. *cap.* VIII. §. II. *n.* 5. *p.* 432. inscriptionem Alexandri martyris attuli, in qua ut cetera omittam, legitur etiam hoc modo: *O tempora infausta, quibus inter sacra, et vota ne in cavernis quidem salvari possumus.* Hanc inscriptionem, ut et alteram Marii adolescentis militis, quam retulimus *tom.* I. *lib.* II. *cap.* VIII. §. *p.* 428., non Fleetwoodus, et Gisbertus Cuperus modo, sed etiam scriptores *diarii litteratorum Florentiae editi* genuinas esse omnino negant, *tom.* II. *par.* II. *art.* IX. *p.* 129. His accedit Franciscus Antonius Zacharias soc. I. *in paralipomenis ad epitaphium Flav. Clementis illustratum a patre Vitrio* societatis Iesu presbytero, ut idem Zacharias testatur *lib.* II. *tom.* II. *hist. litter. ital. cap.* VII. *p.* 407. Atque auctores quidem diarii eas inscriptiones tam esse vetustas negant, propterea quod, et lusus verborum, et stilus repugnent, quo minus antiquae haberi possint. Esse namque sibi persuasum, eorum, qui leviter etiam versati in hoc genere sint, pro sinceris easdem inscriptiones habiturum esse neminem. Atqui Bosius, Aringhus, Fabrettus, Mabillonius, Ruinartius, Bonarrotius, Georgius, Bottarius, aliique, qui pro genuinis eas inscriptiones habuerunt, non leviter illi quidem antiquitates ethnicas, christianasque attigerunt, sed diu, sed diligenter, sed summa cum laude easdem coluerunt. Quod si vetera epitaphia nulla extarent, quae eiusmodi stilum praeseferrent, pateret equi-

fossariorum, quibus effodiendorum coemeteriorum, ac loculorum onus incumbebat. In haec igitur loca horroris, atque tenebrarum plena, cum sese ab ethnicis ad necem vocari intelligerent, periculum declinaturi confugiebant (1), ita in fide, ac religione confirmati, ut satius esse foetorem, quem cadavera exhalarent, conclusumque cavernis, et humidum aëra, famem porro, sitim, malaque omnia perpeti, quam aut prodere se, aut Christum, cui se ipsos devoverant, eiurare, arbitrarentur. Nam etsi repleri arena cuniculos, in quibus erant sepulcra, atque arcus desuper perforari, unde lumen in cryptas (2) immitteretur, purumque aërem haurirent, curabant, inveniebantque pios, beneque institutos homines, qui minus cogniti ethnicis essent, eosque rebus (3) om-

dem haec non dici solum, sed etiam pervulgari. Verumtamen quis non videat quaedam apud Gruterum, aliqua apud Fabrettum, nonnulla apud Boldettum reperiri, quae cum similia horum sint, tum a nemine in dubium revocantur? Neque vero reiiciendae continuo inscriptiones sunt, in quibus est aliquid singulare; alioquin plures et genuinas, et vetustas reiiceremus. Accedit summa, quae Romae adhibetur, diligentia in cognoscendis, aestimandisque veteribus monumentis, ut fraus in hisce rebus habere locum nullo modo possit. Id cum serio cogitasset Franciscus Antonius Zacharias *loc. cit. hist. litter. ital.* inscriptiones quidem genuinas esse confessus est, at diu post additum illis monogramma putavit. At quae caussa fuerit, cur monogramma diu ante Constantini tempore insculptum lapidibus hisce fuisse negaret, ne suspicari quidem possum. Nam apud primorum temporum christianos fuisse illud in usu ostendimus *p. 40. seq. huiusce volum.* Neque enim Eusebius, aut alius quisquam historicorum quarti saeculi scripsit, primum omnium fuisse Constantinum, qui monogrammate uteretur. Immo vero sic agit Eusebius, ut nusquam affirmet adhiberi illud Constantini tempore coepisse *lib. 1. de vita Constant. cap. xxxi. p. 516. edit. cantabrig.* In cisternis praeterea se abscondebant. Vide carmen s. Paulini de s. Felice apud Ruinart. *p. 226. seq. edit. veron.*

(1) Negavit Burnetius confugere christianos ad coemeteria potuisse, propterea quod foetore, quem cadavera exhalarent, sine dubio periissent. Respondet Bottarius *tom. 1. Rom. sotterr. p. 12.* repleri vias subterraneas in quibus essent cadavera arena consuesse. « Colla quale « fondatissima conghiettura si butta a terra l'altra op« posizione fatta dal Burnetto... benchè si potrebbe an« che rispondere, che questi cimiterii sono cotanto va« sti, e di tanta distesa, e tanti di numero, e di sito « diverso, che potevano i cristiani far soggiorno in « una parte molto lontana da quella, dove di quei « giorni sotterravano i cadaveri ». Ac si christiani in coemeteria, quae male olerent, [illegible] vitae periculo ingredi non licebat, qui tandem imperatores praecepissent, ut cum ethnici in nos furerent, multaque cadavera in cryptas eiusmodi inferri solerent, nulli nostrum in coemeteriis ipsis congregarentur? Congregabantur igitur, quamobrem opus eiusmodi praecepto fuit. Non ergo foetor impediebat, quo minus sese in eiusmodi cryptas abderent. Sed de Burnetii, quae ad coemeteria urbis attinet, de Basnagii, Spanhemii, Missonii, deque Petri Zornii, qui Thomae Ittigii ductu an. 1703. edidit Lipsiae de catacumbis dissertationem, sententia, agam copiose in extremo huiusce operis libro.

(2) Prudentius *de coronis hymno* xi. *v.* 153. *seq.*

,, Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
,, Nox obscura, loci per specus ambiguum,
,, Occurrunt caesis immissa foramina tectis,
,, Quae iaciant claros antra super radios.
,, Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
,, Arcta sub umbrosis atria porticibus;
,, Attamen excisi subter cava viscera montis,
,, Crebra terebrato fornice lux penetrat.
,, Sic datur absentis per subterranea solis
,, Cernere fulgorem, luminibusque frui.

Confer s. Hieronymi locum supra descriptum. Iam vero ethnici ne eiusmodi fenestras omnes, an aliquas etiam christiani aperuerint, non satis constat. Hoc certum est, eas nostris, qui in cryptis laterent, solatio fuisse. Vide Bottarium *ibid. p. 9.*

(3) In vetusto cod. basilicae s. M. trans tyberim haec de Palmatio, rogatu Calepodii, a Calisto pontifice baptizato leguntur. ,, Coepit Palmatius omnem ,, facultatem suam pauperibus christianis erogare, et ,, perquirere cryptas, si inveniret absconditos christianos de facultatibus suis victum, vel tegumentum ministrabat ,,. At esse aliquos intelligo, qui haec acta aut spuria, aut vitiata esse putent. Verum quod ad institutum nostrum pertinet, nihil complectuntur, quod

nibus iuvare studerent; tamen neque obstruere loca subterranea universa, in quibus essent sepulcra, neque propter pluviam satis crebras fenestras (1) aperire, neque faciles semper ad eos occultorum christianorum itus, ac reditus esse poterant. Igitur pluribus, magnisque incommodis afficiebantur, ac multi morbis correpti, multi inedia, conclusoque aëre, multi ab inimicis oppressi interibant. Ethnici enim, qui scirent in coemeteria nostros statis diebus ad orandum concurrere; statim atque in eos furere constitnerant, edicta de christiana religione delenda publicabant, ac, ne qui in arenariis conventus haberentur, cavebant, viasque quandoque, atque aditus omnes, qua accedere illo cuiquam liceret, obsidebant, miserosque, aut obturatis ostiis mortem oppetere, aut egredi auxilium postulatum, cogebant, hosque apud iudices accusatos indignis modis excruciari, atque interfici petebant (2).

III.

Tanta erat christianorum in fide Christo servanda constantia, ut uxores a maritis se deseri, filii a parentibus exhaeredari, servi ab heris vexari, atque damnari, cives exsulare a patria mallent, quam pati, ut quidquam ab se fieret, quod alienum esse a cultu verae religionis videretur.

Atque ita quidem se gerere nostri, ut latere hostes religionis possent, consueverant. Quod si detecti fuissent, deprehensique in re quapiam, ex qua eorum institutio cognosceretnr, gravissimis poenis afficebantur, nt christiani esse desinerent. Quam ob rem persaepe eveniebat, ut mariti, qui uxores ante snas

repugnare moribus christianorum videatur. Atque in actis sinceris martyrii s. Theodoti apud Ruinertium n. 5. *p.* 279. *edit. veron.* habetur hoc modo: „ Per totam vagantes solitudinem, et in speluncis, atque cavernis, ut quisque latebram invenerat, se continentes, non poterant diu tolerare esuriem „. Mox additur, his Theodotum, quamdiu ethnicos latuit, adiumento, ut quidem poterat, fuisse. Confer Boldettum *loc. cit. p.* 11.

(1) Bottarius *loc. cit. p.* 10. „ Si aggiugne e questo, che in tempo di pioggia sarebbero state queste aperture sommamente incomode a' poveri cristiani „. Itaque lucernis utebantur, quarum item permultae in coemeteriis repertae sunt, quae haud quidem exiguo numero in museis vallicellano, victorio, vaticano etc. Romae, mediceo Florentiae, cortonensi, passerio Pisauri servantur, et aliquae referuntur a Casalio, Aringho, Bosio, Causeo, Liceto, Bellorio, Berthelo, Venuto, Victorio, Georgio etc. Lucernas in primis fictiles musei passerii magnam partem edidit idem Passerius vir eruditissimus *duob. vol.* in *fol. Pisauri* an. 1739. 1743. Ceteras, praecipue christianas, expectamus.

(2) Vide acta s. Theodoti *ibid.*, et Boldettum *ibid. pag.* 11.

magnopere diligebant, ut, quoad eius fieri poterat, ab earum latere numquam discederent; cum primum viderent, eas nostris sacris, mysteriisque esse initiatas, ab se reiicerent, itaque amorem in odium immutarent, ut non modo longe ab iis agere, sed etiam easdem accusare apud iudicem, postulareque auderent, ut de illis supplicium (1) sumeretur. Inventi praeterea sunt parentes, qui filios, quos incredibili amore complectebantur, ubi cognorunt eos christianis partibus studere, haereditate privandos, domoque expellendos iudicarent, ne, quam inisse cum impiis, sic enim nostros vocabant, existimarentur sequi (2) societatem. Atque servos, quorum erga se fidem heri satis perspectam habebant, si Christo esse addictos, consecratosque novissent, continuo puniendos (3) arbitrabantur. Maxima quotidie civium multitudo, contemtis honoribus, divitiis, quibus circumfluere soleret, patria denique, cuius amore detineretur, pro Iesu Christi religione rebus omnibus privata in exilium deportabatur, ubi vitam degeret miseriarum, et incommodorum (4) plenam. Sed his tantum aberat, ut deterreri a suscepto consilio possent, ut in eo magis, magis-

(1) Confer quae supra diximus *p.* 41. *seq. huius vol.* Tertullianus *lib.* I. *ad nationes p.* 43. *edit. venet. an.* 1744. „ Scio maritum quemdam, atque olim anxium retro de „ uxoris suae moribus, qui ne murem quidem in cu„ biculum irrepentem sine gemitu suspicionis sustine„ bat, comperta causa novae sedulitatis, et insolitae „ captivitatis, omnem uxori patientiam obtulisse, ne„ gasse zelotypum, maluisse lupae, quam christianae „ maritum: ipsi suam licuit in perversum demutare „ naturam, mulieri non permisit in melius refor„ mari „.

(2) Tertullianus *ibid.*: „ Pater filium, de quo queri „ desierat, exhaeredavit „. Confer acta s. Cyrilli pueri apud Ruinart. *p.* 213. *seq. edit. veron.*

(3) Tertullianus *ibid.* „ Dominus servum, quem „ pridem necessarium senserat, in ergastulum dedit. „ Simul quis intellexerit christianum, mavult nocen„ tem. Nam et ipsa per se traducitur disciplina, nec „ aliunde prodigia, quam de bono nostro „.

(4) Consule, quae de Flavia Domitilla in Pandatariam insulam religionis causa relegatam diximus *tom.* I. *pag.* 100. *huius op.*, et Tertullianum *cap.* V. *apolog. pag.* 60. *edit. Havere.*, et *cap.* XXXIX. *pag.* 120. *edit. opp. an.* 1744. *in append.* Sed innumerabilia exempla, quae huc pertinent, praetermittam, hisque iam paucis contentus ero. Cyprianus *epist.* LXXVI. in exilium pulsum se ab ethnicis fuisse scribit *p.* 230. *edit. oxon.* Itaque Pontius diaconus apud Ruinartium *p.* 193. *edit. veron.* „ His, „ inquit, tam bonis, et tam piis actibus supervenit ex„ ilium. Hanc enim vicem semper repraesentat im„ pietas, ut melioribus peiora remittat. Et quid sacer„ dos Dei proconsule interrogante responderit, sunt „ acta, quae referunt. Excluditur interim a civitate „ ille, qui fecerat boni aliquid pro civitatis salute ... „ sed viderit saeculum, cui inter poenas exilium com„ putatur. Illis patria nimis cara, et commune nomen „ est cum parentibus, nos et parentes ipsos, si contra „ dominum suaserint, abhorremus. Illis extra civita„ tem suam vivere gravis poena est, christiano totus „ hic mundus una domus est. Unde licet in abditum, „ et abstrusum locum fuerit relegatus, admistus Dei „ sui rebus, exilium non potest computare „. Confer item acta ss. Iacobi et Mariani *n.* 2. *seq. p.* 194. *seq. edit.* Ruinartii *veron.*, et quae supra *p.* 101. dixi de militibus ab Iuliano exsulare iussis. Quod autem rebus omnibus spoliari ab ethnicis solerent, idque iam non inique animo paterentur, constat ex Athenagorae *legat.* n. 1. *p.* 298. *edit. opp. Iust. venet. an.* 1747., et apologia Melitonis sardensis secundi saeculi scriptoris apud Eusebium *lib.* IV. *hist. cap.* XXVI. *p.* 198. *edit. cantabrig.*, ubi, „ Quod numquam antea factum fuerat, inquit, perse„ cutionem nunc patitur piorum hominum genus no„ vis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi „ namque delatores, et alienarum opum cupidi, ex „ imperialibus edictis occasionem nacti, palam die no„ ctuque grassantur, spoliantque homines innoxios etc. „

que confirmarentur. Erat enim eis exploratum, quo pauperiores, atque abiectiores essent, eo sibi in caelum aditum faciliorem futurum (1).

IV.

In carcerem caussa religionis, non ob malefactum aliquod, coniiciebantur.

Plerique omnes, ut comprehensi christianos se esse affirmabant, in carcerem (2) coniiciebantur. Eo cum nostris difficiles ingressus essent, vix quidquam importari interdum poterat, quod ad sustentandam vitam (3) pertineret. Igitur fame, sitique ma-

Confer praetera Minucium Felicem *p.*338. *edit. an.*1672., et acta s. Theoduti n. 4. apud Ruinartium *p.* 279. *edit. veron.* ubi de persecutione sub Diocletiano agitur:,, Christianorum, *sic enim habent*, nemo apparebat in publico: palam autem expilabantur eorum aedes etc.,,. Sed mitto cetera, ne lectori longa oratione molestiam afferam.

(1) Minuc. Felix Octav. *pag.* 335. *edit. an.* 1672. ,, Ceterum, quod plerique pauperes dicimur, non est ,, infamia nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu ,, solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis po- ,, test pauper esse, qui non eget? Qui non inhiat alie- ,, no? Qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui ,, cum multa habeat, plura desiderat ... Igitur ut qui ,, viam terit, eo felicior, quo levior incedit, ita bea- ,, tior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sub- ,, levat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen ,, facultates si utiles putaremus, a Deo posceremus. ,, Utique indulgere posset aliquantum, cuius est totum. ,, Sed nos contemnere malumus opes, quam contine- ,, re. Innocentiam magis cupimus. Malumus nos bo- ,, nos esse, quam prodigos, et quod corporis humane ,, vitia sentimus, et patimur, non est poena, militia ,, est; fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et ca- ,, lamitas saepius disciplina virtutis est ,,.

(2) Iam in carceres ipsi primum apostoli contrudi religionis caussa coeperant. Vide *cap.* XII. *actor. apost.* v. 3. *seq.*, *et* XXVIII. 15. *seqq.* Apostolus praeterea Paulus ad corinth. *epist.* II. *cap.* XI. n. 23. « In laboribus plu- « rimis, *inquit*, in carceribus abundantius, in plagis su- « pra modum, in mortibus frequenter «. Haec in posteros, qui eamdem fidem colerent, velut haereditario iure manarunt. Igitur ecclesiae lugdunensis alumni iis in litteris, quas ad Asiae, Phrygiaeque ecclesias dederunt, et quae referuntur ab Eusebio *lib.* v. *hist. cap.* I. *p.* 199. *edit. oxon.*, haec mala communia fuisse christianorum, cum ethnici in nos furerent, prodiderunt. « Ac primum quidem, *inquiunt*, quaecumque a popu- « lo universo acervatim ingerebantur, constantissime « tolerarunt: acclamationes scilicet, plagas, raptatio- « nes, spoliationes bonorum, lapidum iactus, CARCE- « RES, cuncta denique, quae vulgus furore, et rabie « concitatum adversus hostes, et inimicos committere « solet «. Confer quae sequuntur. Consule Ruinartium act. ss. Perpetuae et Felicit. *p.* 81. *seq. edit. veronensis act. sinc. ss. mm.* Praeterea Tertullianum *lib. ad martyras cap.* I. *seq. p.* 136. *seq. edit. venet. an.* 1744., Origenem *lib. de exhortat. ad martyrium tom.* I. *opp. pag.* 167. *seq. edit. venetas an.* 1743., Cyprianum *de exhort. mart. p.* 167. *seq. edit. oxon.*, acta ss. Epipod. et Alex. p. 65., Ruinart. *act. ss. mm.* s. Symphoriani *pag.* 71., s. Pionii apud Ruinart. *ibid. p.* 122. *seqq.*, ss. Fructuosi etc. mm. *ibid. p.* 191. *seq.*, ss. Iacobi, et Mariani *ibid. p.*196. *seq.*, ss. Lucii, et Montani *ibid. p.* 201. *seq.*, s. Felicis nolani *ibid. p.* 220. *seq.*, ss. Rogatiani, et Donatiani *ib. p.* 247. *seq.*, ss. Victoris etc. *ibid. p.* 260. *seq.*, s. Felicis episcop. et mart. *ibid. pag.* 313. *seq.*, ss. Tarachi, Probi etc. *ibid. p.* 377. *seq.*, et Eusebium *lib.* VI. *hist. cap.* XI. *pag.* 296. *edit. cantabrig. cap.* XXXIX. *p.* 301. *seq.*, *lib.* VII. *cap.* XI. *p.* 338., *et lib.* VIII. *p.* 379. *seq.* Sed longum est omnes recensere, qui huiusmodi rerum meminerunt. Vide Sagittar. *cap.* II. *p.* 11. *seq.*

(3) Nam fame, atque siti necari nostros ethnici interdum volebant. Vide epistolam Luciani ad Celerinum inter cyprianicas XXII. *al.* IX. *p.* 45. *edit. oxon.* Confer Eusebium *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XXXIX. *p.* 301. Sed iussos fuisse quandoque custodes, ut ne quem ad carceres, quibus erant inclusi nostri, accedere paterentur, cum ex aliis pluribus monumentis, quae praetereo, tum ex actis ss. mm. Tarachi, Probi, et Andronici num. 6. p. 383. apud Ruinartium plane constat. In eis namque legitur hoc modo: « Maximus praeses dixit: Non-

cerabantur. Foetida interea erant ibi, maleque omnia (1) olebant. Si quid solatii capiebant, hoc totum ex precibus, quas (2) fundebant, oriebatur. Sed qui nondum in potestatem hostium venerant, numerata saepe custodibus carcerum (3) pecunia, ut liberi sibi ad socios religionis accessus essent, impetrabant. Hi conclusos, atque in vincula coniectos consolabantur, rebusque omnibus, ut poterant (4), iuvabant. Dici tamen vix potest, quot malis,

ne praecepi vobis, o mali milites, ut nemo ad eum accederet etc. »? Confer Eusebium *lib.* VII. *cap.* XI. *p.* 333. *hist. eccl. edit. cantabr.*

(1) Acta s. Pionii martyris n. 11. *p.* 122. *seq.* apud Ruinartium *edit. veron.* sic habent: « Cum ingressi (servatores carceris) fuissent, Pionio, et ceteris intromissis, invenerunt presbyterum catholicae ecclesiae Lemnum nomine ... Qui cum simul esse coepissent, et devoti Deo famuli convenirent, carceris agnoverunt custodes, Pionium, quae offerebantur a fidelibus, certa cum sua voluntate respuere, dicentem, quod multis indigens, nulli gravis fuisset; quomodo fieri possit, ut nunc cogeretur accipere? Ob quod factum irati quibus carceris custodia videbatur imposita .... in interiore eos carceris parte clauserunt, et omni humanitate, ac luce viduati, in tenebrarum situ, et *foetore* carceris constituti, immensos cogerentur mentire cruciatus ».

(2) Ibid. « Quo in loco cum viderentur abstrusi, benedicentes Deum, quae ad hymnum eius pertinent, multa cecinerunt. Ergo cum diu in hoc Domini laude durassent, aliquamdiu tacuerunt, solita sibimet, et consueta praestantes ... Illi in loco eodem, quo fuerant permanentes, clara voce dixerunt: Gloriam tibi, Domine, sine intermissione laudamus etc. ». Sed quae solatia martyrum in carcere essent, ut alia praeteream documenta, liquet ex actis ss. Perpetuae, et Felicitatis apud Ruinartium *p.* 81. *seq. edit. veron.*, et ex s. Cypriano *epist.* XXXII. *al.* XXXIV. *p.* 76. *edit. oxon.*, et *epist.* V. *p.* 10. *seq.* Vide Saggittarium *ibid.*

(3) Neque enim alia erat eos invisendi ratio, cum praefecti iuberent, ne quis ad eos accederet, ut factum Alexandriae est, cum Valerianus in nos fureret; nam « Praefectus, *inquit Dionysius* apud Eusebium *loc. cit.*, in hunc usque diem non cessat nostros, qui praesentiae ipsius exhibentur, partim interficere crudelissime, partim tormentis dilaniare, partim squallore carceris, et vinculis macerare; interdicens, ne quis ad eos accedat, et perscrutans, num quis forte videatur accedere. Verumtamen Deus ex alacritate, et benignitate fratrum, solatium assidue praestat afflictis ». Sed pecunia impetrasse a custodibus interdum saltem christianos, ut ingredi in carcerem, et alloqui martyres possent, constat ex dialogo Luciani, qui inscribitur *peregrinus*, seu *de morte peregrini p.*335. *tom.* III. *opp. edit. an.* 1743. « Qui vero honoratiores illorum, *inquit*, erant, hi etiam corruptis carceris custodibus, intra apud hunc pernoctabant ».

(4) Liquet quidem ex eodem Luciani libro *ibid.* Nam cum peregrinus christianum se esse simulasset, atque contrusus in carcerem fuisset, nostrorum hominum erga se studium expertus est auctore Luciano, qui « Cum in vinculis esset, *inquit*, communem eam calamitatem rati christiani, nihil intentatum relinquunt, ut illum eripiant. Deinde ubi hoc fieri non poterat, ministerium omne reliquum non obiter, sed summo studio peragebatur. Et mane quidem statim videres praesto esse ad carcerem vetulas, viduas quasdam, et orphanos. Qui vero honoratiores illorum, ii vero corruptis carcerum custodibus intra apud hunc pernoctabant. Deinde coenae inferebantur collaticiae, et sacri illorum libri recitabantur etc. ». Tanta fuit initio fere secundi saeculi pietas christianorum in eos, quos religionis causa captos, deviectosque arbitrabantur. Idem colligitur ex actis ss. mm. lugdunensium sub M. Aurelio imperatore apud Euseb. *hist. eccl. lib.* V. *cap.* III. *p.* 212. *edit. cantabrig.* Neque vero secundo *saeculo* solum, sed etiam tertio is mos apud christianos vigebat. Nam hoc fere ineunte scripsit Tertullianus *librum ad martyras*, in quo *cap.* I. *pag.* 136. *edit. venetae an.* 1744. sic habet: « Inter carnis alimenta benedicti martyres designati, quae vobis, et domina mater ecclesia de uberibus suis, et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant etc. ». Neque vero invisere solum, ut alerent, sed etiam ut consolarentur martyras, eorumque vincula oscularentur, nostri consueverant, ut idem est auctor Tertullianus *lib.* II. *ad uxorem cap.* IV. *p.* 168. *edit. eiusd.* « Quis in carcerem, *inquit*, ad osculanda vincula martyris reptari patietur »? Confer praeterea acta ss. mm. Pionii etc. apud Ruinartium *loc. supra descripto*, et Dionysii alexandrini testimonium, quod paullo ante ex Eusebii historia contexti retulimus. Praeterea s. Cyprianus, qui medio fere tertio saeculo carthaginiensem ecclesiam moderabatur *epist.* V. *pag.* 10. *edit. oxon.* « Peto quoque, *inquit*, ad procurandam quietem, solertia, et sollicitudo vestra non desinat: nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum, et visitandum confessores bonos, quos illustravit iam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute

quae hostes inferebant, conflictarentur. Non sexui (1), non aetati, non dignitati cuiusquam deorum cultores parcebant, satis se consequuturos esse arbitrati, si quem, carcerum squallore, inducere ad Christum eiurandum possent. Sed nullus nostrum ob malefactum (2) scelusque aliquod in carcerem detrudebatur. Tanta scilicet integritate vitae praestabant. Quod si hisce artibus nihil proficerent, expugnare blanditiis (3) christianorum firmitatem conabantur. Sed frustra. Itaque quid tormenta valerent, experiebantur. Haec quoniam et multa, et acerbissima erant, non alienum ab instituto erit, si a nobis accurate, ut brevitas operis patitur, describantur. Nam facile hinc quisque intelliget, quam insignis nostrorum hominum eo tempore virtus esset, quamque singularis in tuenda religione constantia. Age ergo de variis suppliciis, quibus ab inimicis nominis christiani nostri afficiebantur, disseramus, ducamusque a cruce, atque stipitibus orationis exordium.

» hoc, at non glomeratim, nec per multitudinem si» mul iunctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso » invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur, » et cum insatiabiles multum volumus, totum perda» mus. Consulite ergo, et providete, ut cum tempera» mento hoc agi tutius possit, ita ut presbyteri quoque » illuc apud confessores offerant, singuli cum singulis » diaconis per vices alternent, quia et mutatio perso» narum, et vicissitudo convenientium minuit invi» diam ». Nempe christiani tam erant amore erga confessores Christi inflammati, ut sibi temperare non possent, quo minus ad eos frequentes venirent, rebusque omnibus iuvarent. Itaque opus cautione Cypriani fuit. Confer etiam *epist.* XIV. *p.* 32. Atque ex actis ss. mm., et Eusebio, aliisque colligitur, eum semper consuetudinem apud christianos invaluisse, ut iis, qui caussa Christi detinerentur, suppetias venirent. Sed non est necesse, ut omnium testimonia in hunc locum esse transferenda putem.

(1) Iam hoc tam est manifestum, ut ne egeat quidem oratione. Ac de sexu quidem consule Clementem romanum *epist. ad corinth. p.* 12., *epist. romanor. pontif. tom.* I. *edit. Coustantii*, acta ss. mm. lugdunensium apud Euseb. *loc. cit.*, acta ss. Perpetuae, et Felicitatis apud Ruinartium *pag.* 77. *seq.* eiusdemque Ruinartii actorum collectionem reliquam. De dignitate sic habet Tertullianus ad Scapulam *cap.* IV. *p.* 71. *edit. an.* 1744. » Quid » ipsa Carthago passura est decimanda a te, cum contu» bernales suos illic unusquisque cognoverit, cum vide» rit illic fortasse et tui ordinis viros, et matronas, et » principales quasque personas, et amicorum tuorum » vel propinquos vel amicos ». De aetate, ut caetera praetermittam, vide acta s. Cyrilli pueri apud Ruinartium *pag.* 213. *edit. veron.*, et Euseb. *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* VI. *seq.*

(2) Tertullianus *lib. eod. ad Scapulam cap.* II. *p.* 69. » Nos, *inquit*, quos sacrilegos existimatis, nec in furto » umquam deprehendistis, ne dum in sacrilegio. Om» nes autem, qui templa despoliant, et per deos iurant, » et eosdem colunt, et christiani non sunt, et sacrilegi » tamen deprehenduntur ». Et *cap.* XLIV. *apolog. p.*135. *in append. eiusd. edit.* » De vestris semper aestuat carcer, » semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae sa» ginantur. De vestris semper munerarii noxiorum gre» ges pascunt. Nemo illic christianus, nisi hoc tantum; » aut si et aliud, iam non christianus. Nos ergo soli in» nocentes ». Et Minucius Felix in Octav. *p.* 333. *edit. an.* 1672. » Denique de vestro numero carcer exaestuat. » Christianus ibi nullus, nisi aut reus suae religionis, » aut profugus ».

(3) Consule epistolam, quae a Tiberiano praefect Palaestinae ad Traianum scripta dicitur *tom.* II. *apostolicorum pp. p.* 181. *edit. amstelod. an.* 1724., acta ss. mm. Perpet. et Felicit. apud Ruinartium n. 6. *pag.* 81. *edit. veron.*, acta s. Felicitatis apud eumdem *num.* 1. *pag.* 22., s. Polycarpi apud eumd. *pag.*29., ss. mm. *lugdun.* apud eumd. *p.* 50., ss. Epipodii, et Alexandri apud eumdem *p.* 64., ss. Pionii etc. *p.*128., s. Cyrilli pueri *ibid. p.*213., ss. Rogatiani, et Donatiani *p.* 246. *seq.*, ss. Victoris etc. *p.* 257., ss. Theodoti etc. *p.*299. Atque haec quidem satis sunto. Nam omnia persequi longum esset.

V.


De crucibus, ac stipitibus, quibus affigi, alligarique ab ethnicis Christi martyres consueverant.

Cum enim cruci servator Christus nostri caussa, hebraeorum rogatu, suffixus fuerit, inde nos initium capere oportet, ut liqueat, fuisse aliquando homines, qui magistrum non solum virtutis cultu, sed etiam cruciatus, mortisque similitudine imitarentur. Neminem autem esse arbitror, qui ignoret, fuisse apud romanos crucis supplicium in usu. Atque eius quidem diversa fuisse genera plane constat. Aliae namque ita erant comparatae, ut qui affixi eisdem essent (1), inversis manere capitibus cogerentur. Contra rectae aliae erant, eiusque omnino similes, cui milites iussu Pilati (2) Christum suffixerant. In his suppedanea quandoque erant, quibus insistere martyri licebat. Iam vero aliquae lignis transversis, quae se mutuo decussarent (3), componebantur. Quandoque ramosae arbores crucis loco adhibitae sunt, eis-

(1) Eusebius *lib.* II. *hist. cap.* XXV. *p.* 63. *edit. cant.* Παῦλος, inquit, ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι, καὶ Πέτρος ὡσαύτως ἀνασκολοπισθῆναι κατ' αὐτὸν ἱστοροῦνται. *Paulus in ipsa Roma capite truncatus, Petrus vero cruci suffixus fuisse feruntur.* Atque hoc loco, ut vides, Eusebius non meminit modi, quo actus Petrus in crucem fuit. Idem factum a Tertulliano est de praescript. *cap.* XXXVI. *pag.* 211. *edit. venet. an.* 1744., et Scorpiaces *cap.* XV. *p.* 500., Sulpitio Severo *lib.* II. *hist. p.* 138. *edit. an.*1635. aliisque. Immo vero ne Clemens quidem in priore epistola ad corinthios *p.* 12. *n.* 5. *tom.* I. *epistolar. rom. pontif. edit. Constant.*, sed Origenes in genesim, ex eoque idem ille Eusebius *lib.* III. *hist. eccl. cap.* I. *pag.* 88. sic habent: Ἐν Ῥώμῃ γενόμενος, ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως γὰρ αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. *Romam veniens, cruci affixus fuit capite deorsum verso; sic enim ipse petiit pati.* Praetermitto ceteros patres, historicosque, qui hoc idem memoriae tradiderunt. Eusebius ipse *lib.* VIII. *cap.* VII. *p.* 384., « In crucem fuisse actos (multos aetate « Diocletiani scribit) partim quidem eo modo quo ma« lefici vulgo suffigi solent; partim atrocius, capite deor« sum verso clavis confixos, et vivos eo usque servatos, « quoad in ipsis patibulis fame interiissent ». Confer Gallonium *de cruciatibus m. mart. p* 3. *edit. rom. an.*1594., et Gasparem Sagittarium *de supplic. martyr. p.* 78. *seqq. edit. an.* 1673.

(2) Eusebius caesariensis *hist. eccl. lib.* III. *c.* XXXII. *p.* 127. *edit. cantabrig.*, Simeonem hierosolymorum episcopum, ut traditum ab Hegesippo est, accusatum ab haereticis fuisse scribit, *variisque tormentorum generibus per dies plurimos excruciatum, eo quod christianus esset, et admirationi fuisse tum iudici, tum satellitibus, ac ministris, tandemque eodem supplicii genere, quod Dominus pertulit, nempe cruce, vitam clausisse.* Consule locum Eusebii ex *lib.* VIII. *cap.* VII. descriptum notatione superiore, Galloninm loco modo indicato, et Iustum Lipsium *lib.* I. *de cruce cap.* X. *p.* 652. *edit. opp. an.* 637. *tom.* III.

(3) Cruci decussatae fuisse s. Andream affixum ferunt, sed ea res Combefisio nostro, *in notat. ad Hippolyt. p.* 32. *tom.* I. *in fin. edit.* Fabricii, non probatur. Contra statuit Gaspar Sagittarius *cap.* VIII. *p.* 85. Confer Iacob. Gretser. *lib.* I. *de cruce cap.* II. *pag.* 3. *tom.* I. *opp. edit. novae*, et Iacobum Chiffletium de *Vesontionis civit. imper. liber. par.* I. *cap.* XLVIII. *pag.* 203. *seq. edit.* 1650. Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* XI. *p.* 432. crucis supplicio affectum fuisse Theodulum martyrem tradit, sed decussata ne, an recta ea crux fuerit, ne indicavit quidem. At cum plures fuisse cruci affixos constet, easque figura crucis in usu esset, nullum dubium est,


A
B
C
D
E

que modo (1) recti, modo inversis capitibus veritatis testes configebantur. Stipites praeterea nonnumquam cruces sunt (2) appellati. Stipitibus autem columnisve christianos nudos clavis ferreis affigebant (3), aut funibus alligabant (4), exquisitissimisque suppliciis torquebant, de quibus erit paullo post disserendum. Immo vero eosdem ipsos, quorum manus clavis stipiti suffixissent, costringi quoque restibus inbebant, ut cruciatus dolorem augerent (5).

quam aliqui martyres eo tormenti genere non recto, sed decussato decesserint.

(1) *Eusebius lib.* VIII. *cap.* IX. *hist. eccl. pag.* 386. « Alii, *inquit*, rursus ad arbores, et ramos alligati inte« riere ». Sed interdum tanta fuit hostium saevitia, et id agere non dubitarent, quod mox idem historicus adiungit: « Nam cum robustissimos ramos inflexos machi« namentis quibusdam in unum coire fecissent, marty« rum cruribus utrimque ad eos religatis, ramos in pro« prium, ac naturalem situm reverti sinebant, ut mem« bra eorum, adversus quos haec excogitaverant, uno si« mul impetu discerperentur ». Vide Gallonium *ibid.*

(2) *Eccles. lugd. et viennensis epist. ad eccles. Asiae, Phrygiaeque* apud Eusebium *lib.* V. *histor. eccles. cap.* I. *pag.* 206. *edit. cantabrig.* sic scripserunt: « Blandina ad « palum suspensa bestiis obiecta est. Quae cum in cru« cis speciem suspensa cerneretur, deoque contentissi« me supplicaret, maximam alacritatem addebat cer« tantibus; quippe qui in ipso certamine, sub sororis « persona corporeis oculis cernerent illum, qui pro « ipsorum salute crucifixus idcirco fuerat, ut credentibus « in ipsum persuaderet, quicumque pro Christi gloria « pateretur, hunc Dei viventis consortem futurum ».

(3) Confer acta Pionii martyris apud Ruinartium *act. ss. mm. sinc. p.*127., ubi haec habentur: « Imposi« tus itaque pyrae, quam gentilis extruxerat furor, ut « clavis trabalibus figeretur, membra sua composuit. « Quem populus cum vidisset infixum, sive misericor« dia, sive sollicitudine commotus, poenitent te, in« quit etc. ». Ac nudum quidem palo affixum fuisse ex iisdem actis colligitur. Adisis Eusebium *lib.* IV. *cap.* XV. *hist. eccl. p.* 175. *edit. cantabrig. Pirae* vocabulo palum hoc loco intelligi constat.

(4) Ecclesia smyrnensis in *epist. de martyrio Polycarpi p.* 169. sic habet: « Cumque eum clavis affigere « etiam vellent, sinite me, *inquit*, qui enim mihi vi« res dat ad ignis supplicium fortiter sustinendum, « idem dabit, ut immotus rogo insistam. Proinde omis« sis clavis, vinculis dumtaxat eum adstrinxerunt. Ille « igitur manus post tergum connectens, et ad palum « revinctus etc. ».

(5) Ita Gallonius p. 5. Quod quidem facile concedimus. At in actis, quae ad rem demonstrandam profert, nihil eiusmodi reperire nobis licuit. Verum christianos permultos causa religionis iam usque ab initio ecclesiae ad quartum saeculum *crucis*, stipitumque supplicio interiisse, constat cum ex iis testimoniis, quae produximus, tum ex Ignatii martyris *epist. ad romanos cap.* V. *pag.* 28. *tom.* II. *apostolicor. pp. edit. an.* 1724. Nam inter alia tormenta, quibus affici nostri solebant, τὸν σταυρὸν *crucem* numerat; ex Iustini martyris dialogo cum Tryphone *p.* 110. *n.* 114. *edit. venet. an.*1747. qui « cum obtruncemur, *inquit*, crucifigamur, obiicia« mur bestiis, ignibus, aliisque tormentis tradamur, « tamen a confessione non discedimus, sed quanto ma« gis in nos saevitur, tanto plus pietatem fidemque « per nomen Iesu profitemur ». Ex Tertulliani *lib. ad martyras cap.* IV. *p.* 138. *edit. an.* 1744. ubi: « Timebit « forsitan caro, *inquit*, gladium gravem, et crucem ex« celsam etc. ». Consule et *cap.* VI. *pag.* 139. et *lib. de pudicitia cap.* XXII. *p.* 575., *de patientia cap.* XIII. *p.*147., et *ad nationes* I. *cap.* XVIII. *p.* 52. ubi, « Reliquum, in« quit, obstinationis in illo capitulo collocatis, quod « neque gladios, neque cruces, neque bestias vestras, « non ignem, non tormenta, ob duritiam, ac contem« tum mortis, animo recensetis ». Et *cap.* III. *p.* 42., et *apolog. cap.* XII. *p.* 15. ubi: « Crucibus, et stipitibus « imponitis christianos ». Et *cap.* XXX. *p.* 27. « Sic ita « nos ad Deum expansos ungulae fodiant, cruces sus« pendant, ignes lambant ... paratus ad omne sup« plicium ipse habitus orantis christiani ». Vide et *cap.* XLIX. *pag.* 38. Ex s. Cypriani *lib. de bono patientiae p.* 215. *edit. oxon.* Vide Gasparem Sagittarium *de martyrum cruciatibus cap.* VI. *p.* 57. *seq. edit. ienen. an.* 1673. Sed ut oculis lectorum subiecti modi sint, quibus agi in crucem, affigique stipitibus christiani solerent, tabulam aere incisam, quam Gallonius *p.* 21. exhibuit, heic transferendam curavi. Atque moniton omnes volo, me patri Rolando collegio oratorianorum calliscellanorum praefecto, asteriisque presbyteris romani oratorii plurimum debere, qui mihi quidem ligneas formas, quas in suo tabulario servant, summa, qua sunt, comitate, atque humanitate, commodarunt. *A.* m. mm. cruci, elevatis in caelum capitibus, inversis brachiis, affixos, *B.* appensos, quandoque brachiis post tergum ligatis, ponderibus ad pedes revinctis pressos, *C.* actos in crucem capitibus deorsum versis, *D.* decussatae cruci suffixos, *E.* mulieres capillis suspensas exhibet.

Neque vero eos crucibus semper, stipitibus, arboribus, columnisve suffigi, aut alligari, sed etiam quandoque appendi imperabant (1). Igitur vel alterutro interdum pede nostros suspendebant (2), suppositisque lignis, quibus stercora animalium, resque foetidae alius generis immixtae essent, inlatoque igne, fumo, qui male oleret, opprimebant (3). Vinculo praeterea ferreo genu iniecto, et ingenti pondere ferri inflexo pedi alligato, altero pede fortissimi viri ita pendebant, ut misere (4) discerperentur. Aderant nonnumquam lictores, qui virgis pendentes caederent. Alii utroque pede suspendebantur, ac modo fumo suffocati, modo admotis facibus miserandum in modum adusti, modo ingentium saxorum pondere, quae collis eorum alligata essent, pressi (5) interibant. Atque ut pedibus illi, ita quidem alii brachiis constrictis arboribus, crucibus, stipitibusque appendebantur. Horum pedibus ethnici magni ponderis lapides alligabant, membrisque corporum distractis, eos ut e vita excederent (6) cogebant. Ii lapides interdum nigri coloris, rotundi, oblongive erant, annoloque ferreo sustinebantur, quos aestimandorum ponderum caussa fuisse inventos verisimile est, quamquam esse scriptores quosdam intel-

(1) Consule Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* IX. *p.* 366. *edit. cantabrig.*

(2) Euseb. *ibid.* Confer Gallonium *ibid. p.* 7. Sunt autem Eusebii verba huiusmodi: Diocletiano imperatore « mulieres altero pede religatae sublimem, capite « deorsum vergente, machinis quibusdam in altum « sublatae, nudisque, ac prorsus intectis corporibus, foe« dissimum simul, atque inhumanissimum spectaculum « cunctis intuentibus praebuerunt ». Confer eumdem *lib. cap.* XII. *pag.* 391. ubi, « Nonnulli, *inquit*, capite » deorsum verso, pedibus suspensi, leni ac remisso igne « subtus accenso, flagrantis materiae fumo suffocati « sunt, ut in Mesopotamia factum est ». Praeterea de crucibus, stipitibusque, ut alios praeteream, sic habet Lucius Caecilius auctor gravis in primis et aequalis temporum Diocletiani in eo libro, qui inscribitur *de mortibus persecutorum cap.* XXI. *p.* 212. *seq. tom.* II. *opp. Lactantii edit. an.* 1748: « Si morte digni viderentur, cru« ces stabant; sin minus compedes parati ..... Digni« tatem non habentibus poena ignis fuit, et haec ille » primo adversus christianos permiserat, datis legibus, » ut post tormenta lentis ignibus urerentur. Qui cum « deligati fuissent, subdebatur primo pedibus lenis flam« ma tamdiu, donec callum solorum contractum igni » ab ossibus revelleretur ». Et *cap.* XVIII. *p.* 214. « Fi» lii adversus parentes suspendebantur ». In actis quoque s. Bonifacii martyris apud Ruinartium *pag.* 251. *edit. veron.* haec leguntur: « Cum igitur iret ad sta» dium, ubi sancti martyres erant certantes, vidit eos « inter tormenta positos, et quemdam eorum suspen» sum capite deorsum, et ignem subtus eum stratum ». Vide quae sequuntur.


(3) Vide Gallonium *ibid.* De laqueo suspensis, strangulatisque adeundus Eusebius *lib.* VIII. *cap.* VI. *pag.* 382. Tabulam 24. exhibendam putavi, quam refert Gallonius pag. 23. Proponit ea quidem oculis intuentium littera *A.* martyrem pedibus suspensum, igneque supposito suffocandum, *B* alterum laqueo suspensum, *C. D.* martyras crucibus rectis affixos.

(4) Gallon. *ibid.*


(5) Gallon. *ibid. seq.*

(6) Sagittarius *ibid. p.* 182. §. XXII. *tab.* 3. a Gallonio relata pag. 29. est huiusmodi. *A.* m. mm. melle interdum illitos, et sublime elevatos, muscarum, apumque aculeis expositos, ut mox dicemus; *B.* utroque pede suspensos alligatis eorum collo ingentibus saxis; *C.* pendentes, fumoque supposito necatos; *D.* apicibus pollicum suspensos, additis utrique pedi magnis ponderibus, ut paullo post ostendam; *E.* altero pede in genu deflexo, et ferreo vinculo genu iniecto, altero pede gravi ferreo presso pendentes, exhibet.

T. III. TAB. XXIV. pag. 132.




A
D
E
C
B


A
B
C
D

ligo, qui negent; propterea quod nullae iisdem cernantur impressae notae numerorum. Non enim erat necesse, ut omnia pondera eiusmodi notas exhiberent. Iam vero ambobus brachiis nonnulli quandoque distortis ad tergum brachiis, ut penderent, sublime ligabantur, ac repente dimisso reste, non sine magno dolore ad terram usque praecipites agebantur. Fuerunt item viri tauta fortitudine, tamque (1) magno auimo, ut quamvis pollicibus vincti (2), suspensique maximis, sed inaequalibus ponderibus, quae ethnici pedibus eorum addidissent, divelli nexus suorum corporum sentiebaut; tamen perfereuda omuia putabant, modo ne quidquam aut dicerent, aut agerent, quod esse Christo iniurium videretur. Ac si fides est scriptori actorum sancti Severiani martyris adhibenda, negari profecto non poterit, quiu aliqui sublime elati, ligatique ingeutia pondera pedibus, colloque devincta (3) ferre cogerentur. Est autem ab armeniis traditum, Tyridatis iussu, lignum ori Gregorii, quem illuminatorem vocant, immissum, ut quam maximo posset spatio pars oris inferior a superiore disiungerctur, glebasque salis eius humeris impositas fuisse, ipsumque ouustum, fuuibusque sublime constrictum, vitam ad septem dies (4) produxisse. Nam ethnici haud perraro christianorum, quos in sententia manere viderent, corpora melle delibuta, et cruci, stipitive appensa, vel alligata, vel vinctis funiculo post terga mauibus, humi prostrata, cum solis aestus maxime ferveret, aculeis morsibusque muscarum, apum, atque vesparum expouebaut, ut hoc tam molesto cruciatus genere eos a suscepto consilio (5) deterrere possent. Quid? si unco aliquos suspendebaut, permultosque laqueo necabant? Estque auctor Eusebius in (6) historia, consuesse quandoque ab hostibus no-

(1) Gallonius *ibid. p.* 10.

(2) Act. ss. Iacobi, et Marciani, qui an. circiter 259. obierunt, apud Ruinartium *act. ss. sum. sinc. pag.* 196. *edit. veron.* sic habent: « Nexus autem, qui pendentem » (Marianum) gerebat, non manus, sed summo apices » pollicum vinxeret, scilicet, ut digitorum tenuis exi- » litas plus in ferendis membris ceteris laboraret. Ad- » dita etiam pedibus iniusta pondera, et discordanti- » bus poenis utrimque distracta, et viscerum convul- » sione resoluta, de nervis suis totius corporis compa- » go penderet ».

(3) Gallon. *ibid. p.* 11.

(4) Gallon. *ibid. p. ead. seq.*

(5) Confer Gregorium nazienzenum *invect.* I. *in Iulian. tom.* I. *opp. p.* 88. *edit. colon.* an. 1690., Theodoritum *lib.* III. *cap.* VII. *hist. eccl. p.* 128. *edit. cantabrig.*, Sozomenum *hist. eccl. lib.* V. *cap.* X. *p.* 194. *edit. cantab.*, qui de Marco Arethusio agunt, qui similem cruciatum tulit. Consule etiam Gallonium *ibid. p.* 12. *seq.*

(6) *Lib.* VIII. *cap.* X. *hist. eccl. p.* 389. *edit. cantabr.* Libet hanc tabulam transferre, quam proponit Gallonius p. 25., in qua *A.* exhibet martyrem funibus appensum, humeris glebis salis onustis, in cuius martyris os lignum esset immissum, *B.* martyrem unco suspensum, nam *id quoque supplicii genus ab ethnicis adhibebatur*, *C.* virum utroque pede pendentem, cuius caput malleis, vel lapi-

minis christiani nostrum aliquos vultu alterius in alterum converso ligari, et columnis pedibus non ad terram demissis appendi ita, ut cum funes vi acriore retractae essent, corporis gravitate (1), ac pondere acerbius cruciarentur. Neque vero manibus, pedibusve solum, sed etiam capillis nonnumquam christianae mulieres suspendebantur (2).

VI.

De rotis, trochleis, et torculari.

Rotae supplicio graeci potissimum utebantur. Non enim servos, maleficosque, tantum ut verberarent, aut veritatem a quopiam extorquerent, eidem machinae alligabant, sed eos etiam, quorum membra divellere, ac dissipare statuerant. Cuius rei insigne extat apud Iosephum in historia machabaeorum exemplum (3). Rotarum autem varia deinceps genera apud graecos, romanosque reperiebantur. Quaedam enim latae, ac magnae, aliae arctae, angustaeque erant. Ad primum genus quod attinet, sunt, qui eo consilio inventum ab ethnicis fuisse putent, ut eiusmodi machinae ad montem aliquem asportari, devinctoque ad convexam earum partem martyre, devolvi in praeceps (4) possent. Quin etiam infixi his rotis interdum clavi, gladiique erant. Igitur qui iisdem alligati fuissent, misere dilacerabantur. Arctiorum quoque convexae perinde parti inseri ethnici acutos clavos, sicque iam fortissimorum martyrum corpora iisdem aptari curabant, ut ea dilaniarent. Praeterea huiusmodi rotis alligari quandoque nostros, contorquerique in orbem, et virgis crudelissime caedi praesides (5)

dibus contenderetur, *quod item genus cruciatus interdum in usu erat:* (Vide Ruinartium *act. sinc. ss. mm. pag.* 306. *in act. s. Theodoti mart.*) *D.* martyrem pendentem, cuim collo, et pedibus alligata essent gravissima pondera.

(1) „ Christianis (inquit Gallonius p. 27.) quandoque suspensis lentus ignis supponebatur, ut fumo ex illo provenienta faucibus premerentur. Hi „ quidem erant, qui cum s. propheta Davide canere „ poterant: Igne nos examinasti, et non est inventa „ in nobis iniquitas „. Vide Eusebium loco modo indicato, ubi „ Nonnulli, *inquit*, leni ac remisso igne „ subtus accenso flagrantis materiae fumo suffocati „ sunt „. Huiusmodi supplicium exhibet tab. 27. quam Gallonius *ibid.* dedit.

(2) Acta s. Symphorosae apud Ruinartium, *act. sincer. ss. mm. p.* 21. *n.* 2. sic habent: „ Tunc Hadrianus „ imperator iussit, eam duci ad fanum Herculis, et „ ibi primo alapis caedi, et post haec capillis suspendi „. Alia quoque exempla affert Gallonius p. 19., quae vereor, ne genuina esse nequeant.

(3) *Tom.* II. *edit. Havercampi pag.* 503. *num.* 5., et *pag.* 512. *num.* 11. Confer Gallonium *pag.* 33. *seqq.*, et Sagittarium *p.* 204. *seq.*

(4) Gallonius *ibid. p.* 36.

(5) Gallonius *ibid. p.* 37.


A
B


E
D
A
B
C

imperabant. Immo vero hisce machinis tabulae interdum, quibus spicula indita essent, subiiciebantur, ut cum verberarentur, discindi (1) corpora optimorum hominum, dilacerarique possent. Quod si actis Christinae virginis, et Calliopii martyris adiungenda est fides, et auctoritas, longe acerbius quandoque supplicium rotarum christianis fuit. Nam praefectum sic fuisse satellites alloquutum ferunt: Rotam afferte, et magnum ignem succendite, ut alligatus machinae adolescens, actusque impetu rotae in orbem, non modo perruptorum ossium dolore, sed ardore etiam ignis excrucietur (2). Atque radiis quoque rotarum brachia quorumdam, tibiaeque intexebantur, ut ne moveri quidem (3) valerent.

Trochlearum meminit Eusebius in (4) historia. Est autem trochlea machinae genus continens rotulam, et axiculum per eam traiectum, circa quem eadem rotula versatur, et praeterea ductarium funem concavae desuper rotulae parti iniectum. Atque hoc quidem supplicio homicidae, malefici, quique haberi impii solebant, torquebantur. In his postremis christianos ethnici numerabant. Ergo cum aliis, tum praecipue his modis vexabant. Defigebant initio humi tot stipites, quot erant eo genere cruciatus plectendi; inde quos ipsi putabant reos, manibus, pedibusve, hinc funibus trochlearum, hinc stipitibus alligabant (5). His rebus gestis miserorum corpora crudeliter distendebant (6), ut ea saepe dividere in partes velle viderentur. Quo autem temporis intervallo extensa detinebant, nunc fustibus caedi, nunc admotis facibus aduri, nunc ferventi sulphure, resina, pice, oleo perfundi, interdum etiam sublime revinctis post terga brachiis tolli,

(1) Gallon. *ibid. seq.*

(2) Gallon. *ibid. p.* 56.

(3) Gallon. *ibid. p.* 39. Sed de rotarum supplicio consule Hadrianum Iunium *lib.* III. *animadversorum cap.* III. *p.* 197. *seq. edit. an.* 1708. Cuius autem generis essent rotae, quas s. Theodoto ostendit Iudex Theotechnus, apud Ruinartium *act. ss. mm. sinc. p.* 304., assequi nullo modo possum. Nam acta sic habent: „ Erat „ ibi accensus focus, et lebetes ferventes, rotaeque, et „ alia plura cruciatuum instrumenta exposita, ad quo„ rum omnium conspectum adeo nihil exhorrescebat „ martyr, ut animi constantiam etiam vultus hilaritas „ demonstraret „. Atque visenda heic est tab. 28., quam pag. 44. refert Gallonius, et in qua *A.* martyrem rotae mucronibus undique armatae ligatum, et super cuspides ferreos circum actum, *B.* super cuspides item ferreos, *C.* vel super ardentes prunas in orbem actum, *D.* vel rotae convexae parti alligatum, et edito loco in praeceps actum, *E.* vel rotae radiis intextum exhibet.

(4) Nam quod sublimes tolli consuevisse martyres scribit *lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 362. *edit. cantabrig.*, quo modo facilius, quam trochlei fieri posset, non equidem intelligo.

(5) Act. s. Symphorosae mart. apud Ruinartium *p.* 21. *edit. veron.* sic habent: „ Iussit (Hadrianus) circa Herculis templum septem stipites figi, et ibi eos „ (filios Symphorosae) ad trochleas extendi etc. „. Adisis Gallonium *ibid. p.* 40. *seq.*

(6) Confer eadem acta *ibid.*

demittique celeriter in suppositos silices, ut contunderentur, curabant (1).

Torcularibus praeterea inimici christianorum, quasi uvas, olivasque, sanguinem expressuri sanctorum martyrum corpora premebant (2).

VII.

De cyphone, de scaphismo, de martyribus humi positis, qui manus post terga ligatas haberent, aestuque solis adurerentur, deque iis, qui corio bovis inclusi radiis solis obiiciebantur.


Cyphon genus tormenti, quod apud graecos potissimum obtinebat, ligneum, vel ferreum vinculum erat, eius omnino simile, quod itali *berlina* vocant. Itaque ut quam poenam improbi mererentur, veteres demonstrarent, *cyphones* eos interdum appellabant. Cyphon autem ἀπὸ τοῦ κύπτειν dicitur, hoc est a capitis proclinatione, propterea quod cyphoni applicati incurvari cogerentur. Quamobrem *incurvatis* adhaescrat cyphaleorum vocabulum. Ergo cum cautum esset, ut quisquis audacter leges risisset, diebus viginti in archivo iunctus cyphoni nudus perseveraret, ac melle, et lacte delibutus apibus, muscisque pabulum esset, mirabile videri non debet, si eo supplicii genere christiani quandoque afficerentur, quos reos legum vocare ethnici consueverant. Erat autem archivum locus, ut animadversum a Coelio Rhodigino est, in quem damnati ad mortem ducebantur (3).

Neque discrepans admodum erat supplicium, quod *scaphismus* est a veteribus appellatum. Erat id apud persas praecipue in usu. Itaque Mitridatem ab Artaxerxe scaphis necatum ferunt. Atque describitur illud quidem tormenti genus ab Gallonio in eo, qui est de martyrum cruciatibus libro. Scaphis enim dua-

(1) Hoc tormentr genus in candalica potissimum persecutione quinto saeculo adhibitum ab hostibus catholicae religionis est. Victor vitensis *lib. v. persec. vandal. p.* 39. *edit. venet. an.* 1732. n. 2. de Servo tuburbitano viro nobili agens, „ Post caedes innumerabilium „ fustium, *inquit*, trochleis frequentibus elevatus, dum „ tota prae urbe penderet, hunc in sublime tollentes. „ ictu celeri dimissa iterum funibus cannabinis, super „ silices platearum pondere corporis veniens, ut lapis „ super lapides corruebat etc „.

(2) Confer Gallonium *ibid. p.*42., heic vero tab.29., quam *p.*45. profert idem Gallonius, littera *A.* martyrem torculari pressum, *B.* trochleis extensum, *C.* elevatum proponit oculis intuentium.

(3) Vide Gallonium *ibid. p.* 12.


A
B
C
A


B
A
C
D

bus, quae congruerent, factis, in altera hominem supinum locabant persae, alteram ita primae imponebant, ut caput, manus, pedesque excluderent, reliquum corpus inclusum retinerent. Offerebant interea carnifices misero cibum, stimulisque oculos pungentes, iis ut reficeretur, cogebant. Vescenti (1) lac melli admixtum in os immittebant, eodemque faciem liniebant, solisque radiis obiiciebant, ut aculcis vesparum, apum, muscarumque torti gravissimum cruciatum ferrent. Cumque ex putrescentibus excrementis corporis vermes orirentur, ii in vestes invadebant, corporeque corroso, misero interitum afferebant. Iam vero permultos apud persas martyres acerbissimis suppliciis excruciatos mortem obiisse, auctor est Sozomenus. Est igitur veri per quam simillimum aliquos saltem scaphismi cruciatu decessisse (2).

Est vero ab Hieronymo in vita Pauli memoriae traditum, martyres aliquot manibus post terga ligatis radiis solis obiectos supremum obiisse diem (3).

Atque in actis Chrysanthi martyris, quorum tamen neque magna, neque ulli criticorum probabilis est auctoritas, scriptum reperimus, detractum corium vitulo fuisse, eoque corio vestitum martyrem, radiisque solis expositum fuisse, ut aestu periret. At de similibus tormentis longum est dicere (4).

VIII.

De equuleo, deque multis generibus vinculorum.

Equulei meminit Cicero in iis orationibus, quas pro Deiotaro (5), et Milone (6) scripsit. Neque vero is solum, sed etiam Valerius Maximus (7), Quintilianus (8), Ammianus Marcellinus (9), aliique innumeri, quos nunc recensere (10) non vocat. Dici au-

(1) Gallonius *ibid.*

(2) Sozomenus *lib. II. hist. eccl. cap.* X. *seq. p.* 58. *seq. edit. cantabrig.*

(3) Hieronymus in vita s. Pauli *tom. IV. opp. edit. Martianaei p.* 69.

(4) Gallonius *ibid. p.* 14. *seq. pag.* 31. refert huiusmodi tabulam 30., in qua *A.* cyphonis supplicium, *B.* martyrem corio bovis inclusum, *C.* scaphismum, *D.* martyrem homi positum, et radiis solis adustum exhibet.

(5) *Cap.* I. *p.* 321. *edit Oliveti genev. tom.* VI.

(6) *Cap.* XXI. *p.* 256. *edit. eiusd. tom.* VI.

(7) *Lib.* III. *cap.* III. *num.* 3. *pag.* 152. *edit. roterod. an.* 1671.

(8) *Declamat. ult. p.* 224. *edit. an.* 1538. Sed vereor, ne supposita Quintiliano haec sit declamatio.

(9) *Lib.* XXVI. *cap.* X. *p.* 472. *edit. Valesii an.* 1681.

(10) Adeundus Gallonius *cap.* III. *p.* 46. *seq*

tem vix posset, quot martyres illud genus tormenti subierint. Atque ut eorum acta, utque sanctorum veterum, qui primis ecclesiae saeculis floruerunt, et vel contra ethnicos (qui veram religionem aversarentur, inque nostros omnes cruciatus edendos putarent) vel ad martyres, ut fortiter agerent, scripserunt, libros mittam; satis erit unum caesareensem episcopum Eusebium nominare, qui in eo libro, qui de martyribus palaestinis inscribitur, id supplicii genus (1) memorat. *Equuleus* vero, quem *eculeum* quidam vocant, aut stipes, cui velut equo impenerentur (2), atrocissimisque suppliciis cruciarentur, aut ligneum, quod quidem magis credo, tormentum fuit, in quo suspendi (3), aut fidiculis distendi rei, torquerique acriter solerent. Atque Gallonius (4) vir eruditissimus in eo, quem de cruciatibus martyrum scripsit, libro, parare primum omnium ethnicos stipitem (5) rectum, qui longus, latusque ita, ut ipsi praestituerant, esset, stipitisque extremis partibus, quas consulto aliquanto excavarant, bene striatas rotulas (6) indere duas consuesse, putat, quae circum axiculos verti possent. Inde ut reus elevaretur, ligna paullo arctiora, atque minora quatuor sumere, eaque stipiti clavis ferreis coniugere, et machinam construere, quae quatuor veluti pedibus per sese consistere valeret. His paratis rebus, reum, qui erat torquendus, in machinam cruribus distentis coniicere, et funiculis illius pe-

(1) *Hist. eccl. lib.* VIII. *append. de martyribus palaestinis cap.* VIII. *p.* 421. *edit. cantabrig.* Confer Cyprianum *epist. ad Donatum de gratia Dei, edit. oxon. opp. p.* 7., et *lib. de lapsis p.*127., s. Augustinum *epist.* CXXXIII, *al.* CLIX. ad Marcellinum *p.* 396. *tom.* II. *opp. edit. paris. monach. s. Maur.* Consule etiam acta ss. Epipodii, et Alexandri apud Ruinartium *p.* 66. *edit. veron.*, ss. Claudii, et Asterii apud eumdem *pag.* 234. *seq.*, ss. Victoris etc. mm. apud eumdem *p.* 260., s. Theodoti *p.* 306. *seq.* Sed omnes numerare non vacat. Vide interea Gallonium *de ss. mm. cruciatibus cap.* III. *pag.* 47. *seq.*, Casparem Sagittarium *de cruciat. martyr. cap.* XVII. *p.* 191. *seq.*, Hieronymi Magii *de equuleo libellum auctum Godefridi Iungermanni notationibus edit. amstelod. an.* 1664., Octavium Ferrarium *lib.* I. *elector. cap.* V. *p.* 14. *edit. an.* 1679., Carolum Sigonium *de iudiciis lib.* III. *cap.* XVII. *p.* 851. *edit. an. an.* 1736. *etc. tom.* V. *opp.*

(2) Sic enim vocare videtur Prudentius περὶ στεφάνων, seu *de coronis, hymn.* X., *qui est de Romano martyre v.* 109. *seq. p.* 116. ubi inquit:

„ Eviscerandum corpus eculeo eminens
„ Pendere, et uncis, vinculisque crescere.
„ Apparitores sed furenti suggerunt
„ Illum vetusta nobilem prosapia,
„ Maritisque multis esse primum civium:
„ IVBET AMOVERI NOXIALEM STIPITEM etc.

(3) Cicero tuscul. quaest. *lib.* V. *cap.* IV. *pag* 455. *tom.* II. *edit. oliveti Genevae*: Haec etiam in equuleum coniiciuntur. Confer Gallonium *lib. de ss. mm. cruciatibus cap.* III. *p.* 43. *seq.*

(4) Gallon. *ibid. p.* 60.

(5) Ligneum fuisse equuleum colligitur ex eodem Prudentii loco. Nam is stipitem equuleum appellat. Vide Sagittarium *loc. cit. p.* 192. Idque non negat Valesius *in not.* ad Marcellini locum supra indicatum. *Axin* vocat Tertullianus *Scorpiace cap.* X. *p.* 25. *edit. ven. an.* 1744.

(6) Nonius Marcellus *p.* 105. *edit. an.* 1614. „ Ubi „ insilivi in cochleatum equuleum, ibi tollunt in tortor etc. „ Vide Gallonium *ibid. p.* 54. *seq.*

des, manusque post (1) tergum reiectas ligare: quibus extremis funiculis in rotulas immissis, et ad terete lignum (duabus, pluribusve vectibus traiectum, et equulei pedibus adiectum) retortis, efficere solitos fuisse, ut suculae circuitione, non iidem tractorii funiculi modo, sed rei quoque (dorso super equuleum, et facie ad (2) caelum versa) alligati membra extenderentur, et miserandum in modum (3) distraherentur. Laxare post funiculos, ac sinere corpus, ut non sine magno calamitosissimi hominis dolore suapte gravitate latum, pendulum equuleum caderet. Cumque (sic enim addit) iam satis eum dedisse poenarum, paratumque esse aut confiteri, quae ex ipso quaerebantur, aut imperata facere iudices putarent (4), ecquid diceret, agereve deinceps vellet, percuntabantur. Si nihil extorsissent eorum, quae peterent; ignitas laminas, lampadas, ardentesque taedas parari, atque ungulas, uncos, aliaque generis eiusdem tormenta afferri, hisque reum excruciari, dilacerarique iubebant. Hoc igitur supplicii genere christiani affici saepe consuescebant, cum in ius ab hostibus religionis vocati, rogatique, ut Christo maledicerent, dicto iudicum audientes esse recusarent. Ex qua re facile quisque intelligit, quam esset insignis eorum in adversis rebus aequo animo perferendis constantia, quamque essent a superstitione deorum alieni, ut modo ne quid ipsis cultus tribuerent, quidquid grave,

(1) Vide s. Hieronymum *epist.* XVII. *ad Innoc. p.* 24. *edit. Martianaei tom.* IV., et Gallonium *ibid. p.* 52.

(2) Euseb. *lib.* VIII. *hist. append. cap.* VIII. *p.* 421. *edit. cantabrig.*, et s. Hieron. *ibid.*

(3) Prudentius *hymn. de s. Vincentio, qui est* V. *περὶ στεφάνων p.* 95.

„ Vinctum retortis brachiis,
„ Sursum, ac deorsum extendite,
„ Compago donec ossium
„ Divolsa membratim crepet.

Et hymno I. p. 224.

„ Miserum putatis, quod retortis pendeo
„ Extensus ulnis, quod revellantur pedes
„ Compago nervis, quod sonat crepantibus.

Vide esta man. supra indicata.

(4) Sigonius *lib.* II. *de iudiciis cap.* XIV. *pag.* 771. *tom.* V. *opp. edit. mediol.* „ Quaestiones, *inquit*, sunt te„ stimonia servorum vi tormentorum expressa. Ita„ que propria accusatoris fuerunt, et reum ex di„ ctis servorum convincerent. Itaque accusator, ubi „ primum quaesitor cum iudicibus assedit, servos rei „ in quaestionem postulare consuevit, et ab eo datos „ in tormentis habere „. Et *lib.* III. *cap.* XVII. *p.* 851. „ Extorquendae autem de servis veritatis causa, equu„ leum adhibitum fuisse et supra significavimus, cum „ de quaestionibus diximus, ut docet Cicero pro Deio„ taro loc. cit. cum ait: *Cum more maiorum de servo* „ *in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat, in qua* „ *quaestione dolor veram vocem elicere possit, etiam ab in„ vito, exortus est servus, qui quem in equuleo appellare non* „ *posset, eum accuset solutus.* Pro Milone loc. cit. *Sed* „ *quaestiones urgent Milonem; quibusnam de servis?* Item „ *facti quaestio in eculeo, iuris in iudicio.* Translatus est „ inde eculeus ad cruciandos homines, et acerbiore „ supplicio afficiendos, quod in christianis martyribus „ patuit „. Neque vero christiani solum, sed etiam eorum servi ethnici hisce tormentis afficiebantur, ut quid eorum domini facere solerent, confiterentur. Vide Eusebium *lib.* V. *hist. eccl. cap.* I. *p.* 156. *edit. paris. Valesii.*

quidquid acerbum, quidquid intolerabile esse ethnici crederent, id nostri leve, suave, tolerandum pro Christo arbitrarentur (1).

Sed qui equuleo torquebantur, iidem cruciari *fidiculis* solebant. De *fidiculis* autem variae sunt, interque se dissidentes scriptorum sententiae. Nam Sigonius vincula nervea (2) fuisse censet, quibus equuleo rei adstringerentur. Contra Baronius (3) magnus videlicet vir, ac sapiens, eumque sequutus Gallonius ungulas easdem atque *fidiculas* esse existimant. Laurentius Valla *fidiculas* nescio quam machinam indicare defendit, quae compacta duobus obliquatis (4) lignis esset. Mihi sane eorum opinio videtur esse ad veritatem propensior, qui *fidiculis nervos*, *funiculosve*, quibus rei deligabantur, atque distendebantur, significari (5) pu-

(1) Confer acta mm. quae supra indicavi. Tabula relata a Gallonio pag. 65. *A.* indicat martyrem in equuleo, *B.* martyrem pendentem in equuleo, *C.* lampadas accensas, *D.* scorpionem. Hieronymus Magius *de equuleo cap.* VII. *pag.* 1249. tom. II. *thesauri antiquit. Sallengrii edit. an.* 1718. picturam brixianam veterem describit, quae equuleum non ita, ut hoc nostrum schema, exhiberat. Sic enim scribit: „ Brixiae, urbe Italiae flo„ rentissima, ut Bernardinus Pelicianus ... retulit, vi„ situr hodie pictura superiorum saeculorum, quae an„ tique dici potest, expressum, quo pacto nescio quis „ sanctus martyr tortus olim fuit equuleo. In ea pi„ ctor martyrem equo ligneo eo more insidere facit, „ quo solet, qui equis vehunt. Pedibus tamen marty„ ris funes alligantur, qui per trochleas ducti, ac tym„ panis versatilibus tensi, tibias pedesque deorsum tra„ hunt, ac producunt, ut praeter coxendices, tibias, „ et pedes, reliquum corpus nihil patiatur „. At inde liquet pictorem ignarum omnino fuisse, atque imperitum rerum antiquarum. Vide tab. 31.

(2) Loc. cit. *cap.* XVII. *p.* 854.

(3) Baron. ad d. 11. kal. febr., et Gallonium p. 57.

(4) Apud Gallonium *ibid. p.* 57.

(5) Valerius Maximus *lib.* III. *cap.* III. *p.* 153. *edit. laudatae*, *Fidiculas*, inquit, *laxavit*, *solvit equuleum*. Et Suetonius in Tiber. *cap.* LXII. *p.* 492. *edit. an.* 1744. „ Ex„ cogitaverat, *inquit*, inter genera cruciatus etiam, ut „ longa meri potione per fallaciam oneratos, repente ve„ retris deligatis, fidicularum simul, urinaeque tormen„ to distenderet „. Scio Gallonium contra sentire. Verum errat longe mea quidem sententia. Nam quod scribit, Isidorum *lib.* V. *etymolog.* sive *originum cap. ult. p.* 30. *edit. an.* 1587. *fidiculas* appellare *ungulas ferreas*, leve est. Longe est enim is scriptor recentior, quam ut Suetonio, Maximoque opponi possit. Itaque inanes sunt coniecturae, quibus conficere studet *fidiculas* a *fodicando*, quasi *fodiculas*, vel a *findendo*, quasi *findiculas* vocari. Neque Prudentius hymno X. περὶ στεφάνων, qui hymnus de s. Romano martyre inscribitur *pag.* 125. *edit. an.* 1625. quas *fidiculas*, easdem *ungulas* appellavit, ut Gallonius arbitratur. Est enim ita comparatus Prudentii locus, ut cadere etiam in vincula, quibus constringerentur, et distenderentur rei, possit. Nam sic habet:

. . . . . . Vertat ictum carnifex
In ora loquentis, inque maxillas manum,
Sulcosque ductos, et fidiculas transferat
Verbositatis, ut rumpatur locus.

Cur enim his vinculis constringi maxillae, indeque ungulis laniari non poterant? Confer Octavium Ferrarium *lib.* I. *electorum cap.* VI. *pag.* 22. *seq. edit. an.* 1679., Pitiscum in *lexico antiquit. rom. etc. ad v. fidiculae edit. an.* 1713. *tom.* I. *p.* 762., Gasparem Sagittarium *de cruciat. ss. mm. cap.* XIII. *pag.* 199. *edit. an.* 1673., et Cangium *glossar. med. et infim. latinit. ad v. fidicula p.* 483. *tom.* III. *edit. paris. an.* 1733. Quamobrem non assentior Iohanni Bottario viro doctissimo, qui *tom.* II. *Romae subterr. in praef. p.* 12. scribit: „ Non voglio lasciare d'av„ vertire uno sbaglio dell'eruditissimo Lipsio (*not. in* „ *Senec. lib.* III. *de ira cap.* III.) che credè, che *fidicu*„ *lae* fossero le corde, con cui gli antichi tormenta„ vano i rei. Veramente da' luoghi tutti degli autori „ da noi addotti qui sopra si comprende, che *fidicu*„ *lae* non sono corde, ma una specie di tormento, che „ corrisponde a queste ungule „. At Valerii Maximi locus, quem profert, satis indicat fidiculas nervos, aut chordas tortorias fuisse, quae laxarentur. Atque ex testibus ceteris, quos adducit, nihil elicere valebit, quod conducere ad suam opinionem confirmandam posse videatur. Quid? si ungulas hoc nomine veteres appellabant, cur non *findiculas* potius, aut *fodiculas* dixissent, sed ex fidibus, quae chordas in primis citharae significant, derivassent, eaque in *diminutivum* conflassent fi-

T. III. TAB. XXXI. pag. 140.



tarunt. Sunt enim his non Valerius Maximus solum, sed etiam Suetonius gravis auctor in primis praesidio. Quod si fuerint, qui implicate scriberent, ita ut *fidiculis* ungulas describere velle viderentur, eorum tamen non tam sunt perspicua testimonia, ut contra atque antiquiorum auctoritas postulet, cogere nos possint ad mutandam sententiam.

IX.

De variis generibus vinculorum, ac primum quidem de compedibus, deinde de numellis, post de pedicis, et manicis, boiis, catenis, deque custode commentariensi.

Discrepans autum equuleus a nervo, vinculisque erat, etsi fuerint aliqui, qui contra esse statuendum dicerent. Id autem ex omnibus, quae hactenus disputavimus, plane constat. At varia erant genera vinculorum (1).

Ac de *compedibus* in primis disserendum est, quae sane neque materia, neque figura similes erant. Nam alias (2) ferreas, alias ligneas (3) fuisse constat. Atque aliae quidem maiores, aliae (4) minores conficiebantur. In ligneis, quae magnae essent, foramina aliquot fiebant, quae aequalibus intervallis (5) dista-

dicularum? Sed mitto fusius de fidiculis dicere, ne quis in re minus necessaria longiorem me fuisse, quam oporteat, queratur.

(1) Vincula vocabantur, quae parata ad vinciendum quemquam erant. Itaque *compedibus, pedicis, manicis, catenis, nervis, boiisque* hoc erat commune vocabulum. Plautus in Asinaria act. III. scen. II. v. 4.

„ Qui adversum stimulos, laminas, crucesque, *compedesque*
„ *Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias.*

Vide Carolum Sigonium *lib.* II. *de iudiciis cap.* III. *p.* 754. *tom.* V. *opp. edit. mediol. an.* 1736.

(2) Consule Octavium Ferrarium in analectis de re vestiaria *cap.* XXI. *pag.* 72. *edit. an.* 1670., a. Cyprianus *epist.* LXXVI. *p.* 231. *edit. oxon.* compedes ferreos indicat. „ Imposuerunt, *inquit*, compedes pedibus vestris, et „ membra felicia, ac Dei templa infamibus vinculis „ ligaverunt, quasi cum corpore ligetur et spiritus, aut „ aurum vestrum *ferri* contagione maculetur. Dicatis „ Deo hominibus, et fidem suam religiosa virtute te„ stantibus ornamenta sunt ista, non vincula, nec „ christianorum pedes ad infamiam copulant, sed cla„ rificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui „ non a fabro, sed a Christo solvuntur „.

(3) Plautus in Menaechmis *act.* III. *scen.* I. *v.* 9.

Tum compediti lanam lima praeterunt,
. . . . .
Aut lapide excutiunt clavum.

Sunt, qui haec de ligneis compedibus intelligi oportere censeant.

(4) Plautus in captivis *act.* III. *scen.* V. *v.* 64.

. . . . Ducite
Ubi ponderosas crassas capiat compedes.

Sed de re certa non est, cur multa esse dicenda putem.

(5) Iustinus martyr apud Eusebium *lib.* IV. *hist. eccles. cap.* XVI. *pag.* 136. *edit. paris. Valesii an.* 1659. Κἀγώ, inquit, *προσδοκῶ ὑπό τινος τῶν ὠνομασμένων ἐπιβουλευθῆναι, κἂν ξύλῳ ἐντιναγῆναι.*

rent. His pedes reorum includebantur. Iam vero genus hoc compedum graeci ξύλον, latini, ut Rufinus est auctor (1), *nervum* vocabant; quamquam ξύλον idem atque *lignum* significat. Fuisse autem quosdam intelligo, et eos sane in latino sermone diligenter versatos, qui *nervum* ferreum esse vinculum, quo pedes, cervicesve impedirentur (2), censerent. Quorum etsi vera esset opinio, nihil tamen obstaret, quin ligneum vinculum appellari etiam *nervus* posset. Neque enim est verisimile, Rufinum, qui eiusmodi instrumenta viderit, ut qui extremo quarto saeculo floreret, confudisse nomina, et quod ferreis inditum esset, idem transtulisse in lignea significanda vocabulum. Quin etiam fuerunt, qui ξύλον *cippum* (3) vertendum arbitrarentur. Sed *nervi*, seu *cippi*, hoc est τοῦ ξύλου haec fuisse forma videtur. Truncus erat li-

Ego expecto, ut ab aliquo neminatorum insidiis appetar, et in lignum compingar. Ecclesia lugdunensis *epist. ad eccles. Phrygiae, et Asiae* apud Euseb. *lib.* v. *cap.* I. *pag.* 159. *eiusd. edit.* scribit hoc modo: „ Cum universa tyranno-„ rum tormenta per martyrum constantiam a Christo „ essent hebetata, ac retusa, alias machinas diabolus „ excogitavit, ut scilicet in obscurissimum, ac mole-„ stissimum carceris locum conicerentur, atque pedes „ ἐν τῷ ξύλῳ *in ligno ad quintum* usque foramen disten-„ tos haberent „. Similia habet Eusebius *lib.* VIII. *c.* X. *pag.* 339., *et de martyrib. palaest. ibid. cap.* I. *pag.* 409., *et cap. pag.* 413., *et cap.* XV. *pag.* 415. *edit. cantabrig.* Ac ξύλον etiam appellatur id supplicii genus a Themistio *orat.* I. *de humanitate p.* 11. *edit paris. an.* 1684., quod *lignum* vertit interpres. Ei interpretationi suffragatur Prudentius περὶ στεφάνων hymno V., qui est de s. Vincentio martyre *p.* 98. *edit. an.* 1725.

„ In hoc barathrum conicit
„ Truculentus hostis martyrem,
„ Lignoque plantas inserit,
„ Divaricatis cruribus.

Praeterea Lucas in actibus apostolorum *cap.* XVI. *v.* 24. de Paulo, et Sila loquens, quos magistratus philippensium in carcerem contruserat, ἔβαλεν, inquit, αὐτοὺς εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν, καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. Vetus interpres sic versum eumdem in latinum sermonem transtulit. „ Misit „ eos in interiorem carcerem; et pedes eorum strinxit „ ligno „. Non discrepat Arator subdiaconus ecclesiae romanae sexti saeculi scriptor *lib.* II. *hist. apostol. p.* 135. *tom.* 8. *bibliothecae ss. pp. edit. lugd.*, ubi haec habet.

„ Conveniunt ubi carcer erat, quem sedibus imis
„ Includunt comitante Sila: vestigia quorum
„ Ligno mersa savo vinclis tenuere beatis.

Vide notationem Valesii in Eusebii *hist. eccl. lib.* IV. *c.* XVI. *p.* 76. *in calce edit. paris. an.* 1659.

(1) Itaque Rufinum sequutus τὸ ξύλον Valesius nervum vertit ll. cc. Sibi autem in ea re Petavium esse consentientem, affirmat. Confer *notat. in cap.* XVI. *lib.* IV. Euseb. *p.* 174. *edit. cantabrig.* Ac Rufinus quidem locum Eusebii *lib.* V. *hist. cap.* I., quem supra descripsimus, sic interpretatur: „ Septimo, ut dicunt, puncto in nervo „ pedes, contra quam credi fas est, distenti, in intimo „ poenarum loco deperirent „.

(2) Confer Gallonium *ibid. p.* 70, qui Festum laudat dicentem: „ Nervum etiam appellamus vinculum ferreum, quo pedes, vel etiam cervices impediuntur „. Ferreum ne, an ligneum voluerit Tertullianus *lib.* II. *de cultu feminarum cap.* XIII. *pag.* 160. *edit. venetae an.* 1744. ubi ait „ Nescio an manus spatalio circumdari solita, in „ duritiam catenae stupescere sustineat; nescio an crus „ de periscelio in NERVVM se patiatur arctari „, et *lib. ad martyras cap.* II. *p.* 137. „ Nihil, *inquit*, crus „ sentit in nervo, cum animus in caelo est „, mihi certe non constat. Cyprianus *epist.* XXXIX. nervum a *ferro* distinguere videtur *p.* 76. *edit. oxon.* „ Per decem, et no-„ vem dies, *inquit*, custodia carceris septus (Celerinus) in „ nervo, ac ferro fuit; sed posito in vinculis corpore, „ solutus ac liber spiritus mansit „. Consule Gasparem Sagittarium *loc. cit. p.* 15. *seq.*, et Pamelium *in notat. in epist. mox indicatam* Cypriani, quae ad eius numeros est XXXIV. *p.* 81. *edit. an.* 1593.

(3) Consule Valesium *in not. ad lib.* IV. *hist. eccl.*, Eusebii *cap.* XVI. *p.* 174. *edit. cantabrig.*

gneus quinis foraminibus, vel fortasse etiam pluribus (1) excavatus. Haec christiani aliquot scriptores foramina *puncta* dixerunt. In ea, ut in ocreas quasdam, pedes iniiciebantur noxiorum, et vinculis, seu nervis adstringebantur. Igitur cum ethnici nostris infesti essent, ad quintum usque foramen martyrum pedes distendebant, ut acerbitate supplicii aut periret, aut diis honorem adhibere cogerentur (2).

Numella autem machina erat lignea foramina habens rotunda (3), quae et collo, et pedibus eorum, qui leges violassent, iniiciebatur. Quamvis negari non possit, multa genera vinculorum fuisse indicata hoc nomine. Est enim auctor Festus, esse quoque *numellam* vinculi genus, quo quadrupedes alligabantur (4), eamque aut nervo, aut corio fieri.

Nam *pedicae*, ut traditum ab Isidoro est, laquei erant, quibus captivorum, noxiorumve (5) pedes vinciebantur. Atque hoc illis vocabulum inditum est, propterea quod pedes constringerent. Utque iam a *pedibus pedicae*, sic a *manibus manicae* nomen duxerunt (6).

Boiae quasi torques damnatorum ligneae, ferreaeve erant, quae ita collo imponebantur, ut iuga bobus. His Gallonius similia fuisse vincula quaedam putat, quae *collaria* dici consuerant (7).

Catenae vincula erant ferrea, quibus aut servi, aut rei, aut animalia, ne fugerent, detinebantur (8).

(1) Vide Valesium *ibid.*, Sagittarium *ibid.*, et Ferrarium *electorum lib.* I. *cap.* VI. *p.* 21. *edit. an.* 1679.

(2) Confer loca Eusebii supra descripta.

(3) Κύφων graece dicitur. Nonius Marcellus *p.* 144. *edit. an.* 1614. machinae genus esse numellam ait, quod ad discruciandos noxios parabatur, quo collum, et pedes immittebant aliqui. Numellae meminit Plautus in Asinaria, ut supra est animadversum. Vossius *etymolog. ad v. numella.*

(4) *Pag.* 293. *edit. an.* 1661., Varro *lib.* II. *de re rustica cap.* IX. *edit. an.* 1735. *p.* 237. de canibus agens, „ Consuefaciunt quoque, *inquit*, ut possint alligari primum levibus numellis, quas si abrodere conantur, ne „ id consuescant facere, verberibus eos deterrere solent „. Et Columella *lib.* VII. *cap.* VIII. *pag.* 624. *edit. an.* 1735. „ Nonnulli, *inquit*, antequam pecus numellis „ inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt „.

(5) Virgilius I. *georgic. v.* 307.

„ Tunc gruibus pedicas, et retia ponere cervis.

Confer Isidorum *lib.* VI. *etymologiar. seu originum cap. ult. p.* 30. *edit. an.* 1580.

(6) Consule Gallonium *ibid. p.* 71.

(7) Gallonius *ibid. pag.* 72. Huiusmodi fuit iugum, quod Felici presbytero nolano impositum refert Paulinus apud Ruinartium *acta ss. mm. sincer. pag.* 221. *edit. veron. v.* 250.

„ Et subito, ut molles manibus fluxere catenae,
„ Sponte iugo cervix ferrato exuta levatur.

(8) Tertullianus *ad martyras cap.* II. *p.* 137. „ Maiores tenebras habet mundus, quae hominum praecordia excaecant. Graviores catenas induit mundus, quae „ ipsas animas hominum constringunt ... quo vos benedicti martyres etc. „. S. Cyprianus *epist.* LXVI. *ad Pupianum p.* 166. *edit. oxon.* „ Quare in hunc scrupulum „ esse inciderent tot episcopi collegae mei, qui vel cum „ de medio recesserunt, proscripti sunt, vel apprehensi „ in carcere, et in catenis fuerunt „? Prudentius quoque hymno VI. περὶ στεφάνων *p.* 105. *edit. an.* 1625.

Sed quia de carcerum custodibus supra diximus, postulat omnino ratio, ut paucis, quodnam tandem illius esset munus ostendam, quem veteres appellabant (1) commentariensem. Huic igitur, ut est ab Sigonio, aliisque animadversum, impositum onus fuit describendorum nominum, aetatum, delictorum, quae quisque perpetrasset, eorum, qui coniecti in carcerem fuissent. Saevos autem, crudeles, truces hos, sociosque ipsorum interdum fuisse tam est manifestum, ut revocari in controversiam nequire videatur. Sed christiani, qui violatae religionis, legumque perruptarum rei agebantur, ut deduci ab sententia, pervertique possent, his, quae dixi, aliisque vinculorum generibus constringi ab ethnicis, excruciarique solebant. Quae res non modo illis nullum afferebant nocumentum, sed etiam ut maiorem in modum in religione confirmareutur, acrius adversus hostem generis humani certarent, spiritus addere consueverant. Gaudebant enim, quod Christi caussa contumelias, vincula, carcerem, supplicia paterentur, Deique virtute, atque praesidio freti sperabant fore, ut vincerent, brevique sempiterna felicitate, quam victoribus pollicitus Iesus esset, potirentur.

X.

De instrumentis, quibus martyres caedebantur.

Qui *equuleo*, *stipitibusque* alligati, suspensive erant, hi *loris*, *flagris*, *nervis*, *virgis*, *scorpionibus*, *plumbatis*, aliisque instrumentis caedebantur. *Lora* corrigiae erant, quibus noxii haud liberi

,, ... Ad carceream viros catenam
,, Pastim sanguine carnifex trahebat.

Et hymno I., qui est de s. Heremito, et Chelidonio pag. 67. seq.

,, Nil suis bonus negavit Christus umquam
,, Testibus, quos nec catenae, dira nec mors terruit.

Et hymno XIII., qui est de s. Cypriano pag. 147.

,, Clausus in his specubus s. Cyprianus, et catena.
,, Nexus utramque manum . . . . .

Confer acta ss. mm. Petri, Andreae, et Pauli apud Ruinartium *p.* 135. *edit. veron.*, s. Hyppoliti apud eumdem *pag.* 146., et s. Felicis presbyter. nolani apud eumdem *p.* 220., et s. Theodoti *p.* 297.

(1) Vide Gallonium *ibid. p.* 75., Baronium in martyrologium romanum ad d. 27. martii, Ruinartium *pag.* 233. *edit. veron.*, acta ss. Asterii, Claudii etc. apud eumdem *pag. ead. seq.* Firmicus *lib.* III. *mathes. cap.* XI. ,, Erunt cornicularii, *inquit*, aut commentarienses, quibus damnatorum cura committitur, seu clavicularii, vel carcerum custodes, et quibus publicarum catenarum cura mandatur ,,. Confer Cangium ad v. *cornicularius*, et ad v. *clavicularius*, et Pitiscum ad v. *commentariensis*.

non vinciebantur modo, sed etiam (1) verberabantur. Itaque nostri, qui in maleficorum ab ethnicis numero habebantur, loris et caedebantur, quasi essent servi (2), et ad necem usque interdum operiebantur.

Qui autem militiae nomen dederant, hi si christianis partibus, cum in nos inimici religionis furerent, studebant, dimitti per ignominiam, stipendio legitimo privari, hordeo pasci, fustibus percuti, ac decimari solebant. Iam vero *decimati* appellabantur decimi quique, qui sorte ad supplicium lecti essent. Atque his poenis nostrorum hominum non milites solum, sed alii quoque, ut iudicibus in mentem veniebat, afficiebantur (3).

Flagra fustibus exiliora, sed virgis aliquanto crassiora erant (4). Ac *flagris* quidem, qui parentibus ex infima plebe orti essent, caedebantur. Sed christiani in plebeis aestimari (5), quam impii

(1) Confer Pitiscum in *lexic. antiq. romanor.* ad v. *lorum*. Non enim est necesse, ut omnes hoc loco numerem, qui de hoc tormenti genere disseruerunt.

(2) Servi enim loris adstringi, caedique consuerant. Igitur Terentius in Adelphis *act.* II. *scen.* I. v. 28.

„ Nam si molestus pergis esse, iam intro arripiere,
atque ibi
„ Usque ad necem operiere loris. *San.* Loris liber?
Aesch. Sic erit.

Christianos autem loris fuisse caesos constat. Prudentius περὶ στεφάνων hymno XI., qui est in s. Hippolytum martyrem *p.* 140. *edit. an.* 1625.

„ Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
„ Stridere, virgarum concrepitare fragor.

Et Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* XI. *p.* 425. *hist. eccl. edit. cantabrig.* Γυμνὴν ἀνὰ πᾶσας ἑλκομένην τὰς ἀγορὰς τύπτεσθαι περὶ πολλοῦ ποιεῖται. *Ennatham virginem* „ tractam per omnia urbis fora (Maximus tribunus) loris caedere pro magno „ habuit „. Consule Gallonium *ibid. p.* 97. *seq.*, et Ruinartium *in act. ss. mm. sincer. n.* 4. *p.* 235.

(3) Tertullianus *Scorpiace adversus gnosticos cap.* I. *p.* 490. *edit. venet. an.* 1744. „ Alii fustibus interim, et „ ungulis insuper degustata martyria in carcere esuriunt „. S. Cyprianus *epist.* LXXVII. *p.* 231. *edit. oxon.* „ Quod autem fustibus caesi prius graviter, et afflicti „ per eiusmodi poenas initiastis confessionis vestrae religiosa primordia, execranda nobis ista res non est. „ Neque enim ad fustem christianum corpus expavit, „ cuius est spes omnis in ligno „. Consule Eusebium *lib.* VIII. *cap.* VI. *hist. eccl. pag.* 382. *edit. cantabrig.*, et *cap.* X. *p.* 389., et acta s. Maximi apud Ruinartium *act. ss. mm. sinc. pag.* 133. n. 2., et acta s. Genesii martyris *ibid. p.* 251. n. 6. Adeundi Gallonius *ibid. pag.* 98. *seq.*, et Gaspar Sagittarius *p.* 48. *seq.*, et *p.* 148. *seq.* Decimationis quoque, ut acta ss. mm., quae Sagittarius memorat, *p.* 148. *seq.* praetermittam, meminit Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* V. *p.* 71. *seq. eiusd. edit.* „ Crudelitas vestra, *inquit*, gloria est nostra. Vide tantum, ne hoc „ ipso, quod talia sustinemus, in hoc solum videamur „ erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos haec non „ timere, sed ultro vocare ... Hoc si placuerit et his „ fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot „ viris, ac feminis omnis sexus, omnis aetatis, omnis „ dignitatis offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est, „ decimanda a te „? Sed de decimatione vide Gallonium *ibid. p.*100. *seq.*, Sagittarium *ibid. pag.* 148. *seqq.* eosque scriptores, quos memorat Pitiscus *lexic. antiquit. rom. etc.* ad v. *decimari*.

(4) Consulendi Gallonius *ibid. p.* 98. *seq.*, Sagittarius *ibid. p.* 52. *seq.* Ac Gallonius quidem *p.* 99. refert *leg.* 2. *lib. octavi tit.* V. *de cursu publico* §. *de animalibus etc.*, quae sic habet: „ Placet omnino, ut nullus in „ agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro etc. „. Confer in eamd. *legem comment. Iacobi Gothofredi tom.* II. *cod. theod. p.* 512. *edit. an.* 1665.

(5) Nam flagris caedebantur, qui ex infima erant plebe. Gallonius *ibid. pag.* 99., qui Plauti locum ex *Amphitruone act.* I. *scen.* I. in suam rem laudat. Consule Tertullianum *apolog. cap.* VI. *p.* 7.

esse (1), malebant. Sunt tamen, qui *flagrorum* nomine virgam loris instructam indicari putent (2). Iam flagellum diminutivum flagri est. Atque est Servius (3) auctor, flagella summas arborum partes significare. Non discrepat Columella, qui virgas esse affirmat, sive minorum sarmentorum capita, in quibus uvae nascuntur. His caedi servi, ac domino reddi (4) lege romanorum iubebantur. Itaque relata in nostros fuerunt, ac si religionis verae cultu redacti (5) fuissent in servitutem.

Nervis autem et adstringi, ut paullo ante demonstratum est, et percuti martyres consueverant (6).

Virgarum varia erant genera. Aliae ulmeae, vel ex betula erant, vel ex quercu, fraxino, salice, viteve (7) deligebantur. Nam plumbeas, quarum in aliquibus actis sanctorum martyrum, quibus non tanta auctoritas inest, quantam optarem, fit mentio, praetermitto (8).

Scorpionum variae erant figurae. Hoc enim vocabatur nomine militare illud instrumentum, quod parvis, subtilibusque spi-

(1) Flagris christianos fuisse caesos indicat Prudentius loco supra descripto. Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* VII. *p.* 384. « Quis [martyres] quisquis, qui cum videret, non admiratus sit innumerabiles ictus flagrorum etc.? ». Confer et *lib. de martyr. palaestin. cap.* V. *p.* 416., *et cap.* VIII. *p.* 421., *et cap.* IX. *p.* 424. Consule Gasparem Sagittarium *ibid. p.* 52., et Gallonium *ibid.*, et Theodoritum *lib.* III. *hist. eccl. cap.* VII. *p.* 129.

(2) Robertus Stephanus in *thesauro lat. linguae.* Atque huc sane spectare videntur *lorea flagra*, quae memorari a Prudentio paullo ante vidimus. Sunt autem ea qualia tab. 32. exhibentur, quam refert Gallonius p. 115., quaeque littera *A.* martyrem ad palum manibus post terga ligatis, et *loreis flagris* caesum, *B.* catomo itidem *flagris loreis* percussum indicat. Catomo autem caedi pueri solebant, cum humeris cuiuspiam impositi percutiebantur. Prudentius enim περὶ στεφάνων hymno x., qui est in s. Romanum martyrem *p.* 127. *edit. an.* 1625., sic Asclepiadem de Barula puero loquentem inducit:

« Vix haec praefatus, pusionem praecipit
« Sublime tollant, et manu pulsent nates,
« Mox et remota veste virgis verberent,
« Plus unde lactis, quam cruoris defluat.

Consule Gallonium *ibid. p.* 114., et Cangium ad *v. catomus glossar. med. et infim. latinit.*, et Sagittarium *ibid. pag.* 51.

(3) *Pag.* 109. *in Virg. georg. edit. an.* 1600. Vide Columellam *lib.* III. *pag.* 464. *edit. an.* 1735., et Varronem *lib.* I. *de re rustica cap.* XXXI. *p.* 194. *edit. an.* 1735.

(4) Io. Macer. *lib.* XLVIII. *digesto tit.* XIX *de poenis leg.*10. *in servorum p.* 1071. *edit. an.* 1735. « Ex quibus « caussis, *inquit*, liber fustibus caeditur, ex his servus « flagellis caedi, et domino reddi iubetur ». Prudentius quoque in enchiridio p. 260.

« Vinctus in his dominus stetit aedibus, atque columnae
« Annexus, tergum dedit ut SERVILE flagellis.

Consule scriptores, quos laudat Pitiscus ad *vv. flagellatio et flagellum.*

(5) S. Cyprianus *lib. de lapsis pag.* 127. *edit. oxon.* « Cum durissimi iudicis recrudescente saevitia iam fatigatum, iam laesum corpus nunc flagella scinderent, « nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, « nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret etc. ». Confer ceterorum loca, quae describit Sagittarius *ibid. pag.* 52.

(6) Consule Gallonium *ibid. pag.* 98., Sagittarium *ibid. p.* 53., Ruinartium *ibid. p.* 146. *in not.*

(7) Gallon. *ibid. p.* 105.

(8) Gallon. *p.* 107. Iam virgis caesos fuisse apostolos perspicuum est, *act. apost. cap.* XV. *v.* 22., *et epist.* II. *ad corinth. cap.* XI. *v.* 25., Tertullianus *lib. de poenitentia cap.* XII. *p.* 126. « Nos quod securium, virgarumque pu-

T. III. TAB. XXXII. pag. 146



culis mortem inferebat; cum arcus hinc atque inde chelarum, spiculum autem caudae scorpionis similitudinem (1) praeferret. Fuerunt praeterea, qui *scorpionem* appellarent virgam quasi vibum (2) aculeatam. Quid? si missile quoddam (3) telum *scorpio* diceretur? At *scorpionis* eo genere, quod secundo loco descripsimus, sanctos Christi martyres dilaceratos aliquando fuisse liquet (4).

In summis denique loris, funiculisve glandes plumbeae ligabantur, iisque christianae religionis cultores verberari crebris ictibus solebant, quamvis cautum legibus esset, ne liberi huiusmodi poena plecterentur (5).

XI.

Quibus modis ab ethnicis martyres caederentur, ostenditur.

Verberabantur autem fustibus, virgis, flagrisve martyres hoc modo. Primum omnium nudabantur. Inde a lictoribus aut venter eorum, aut scapulae, aut pars alia corporis quaepiam caedebatur (6). Sed eorum cruciandorum non una, neque eadem erat

» nitio sustinet, in periculo aeternitatis tolerare dubi» tamus ». Vide Prudentii locum de s. Hyppolito, quem supra descripsi. Mitto Eusebii testimonia, quae sane perspicua sunt. Acta ss. mm. Claudii, Asterii etc. apud Ruinartium p. 235. de s. Domnine m. sic habent. » Lysias dixit, seponite vestimenta eius, nudam » eam extendite, et omnia membra eius virgis con» cidite ».

(1) Vide Pitiscum *ad v. scorpio*.

(2) Isidorus *orig. lib.* XVIII. *p.* 1271. *edit. an.* 1602. « Virga si nodosa est, vel aculeata, scorpio rectissimo » nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus in» fligitur ». Vide Barthium *adversarior. lib.* XLVIII. *cap.* XVII. *p.* 1272. *edit. an.* 1624., Laurentium *de rebus publ. cap.* VII. *pag.* 3706. *edit. an.* 1699. *tom.* VI. *thes. graev. etc.*

(3) Caesar *lib.* VII. *de bello gallico cap.* XI. *pag.* 230. *edit. taurinensis Cellarii*: Scorpione, *inquit*, ab latere dextro traiectus concidit. Rursum Hirtius *de bello africano c.* XI. *pag.* 599. *edit. opp. Caesaris* mox laudatae. « Scorpione, » *inquit*, accuratius misso, atque eorum decurione per» cusso, et ad terram defixo ». Haec satis verisimile esse ostendunt, missile quoque telum aliquod fuisse scorpionem appellatum.

(4) Tertullianus *Scorpiaces cap.* IV. *pag.* 490. *edit. an.* 1744. » Nunc, *inquit*, de Dei voluntate compungimur, et ingeminat scorpius plagam ». Et *cap.* VI. *p.* 492. « Pugni quassant, calces arietant, caestus dila» niant, flagella dilacerant etc. ». Sed de hoc tormento, quod nos exhibuimus supra p. 140. litt. *D.*, consulendi Gallonius p. 105. seq., et Sagittarius p. 53. seq.

(5) Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* IV. *p.* 415. *de s. Appiano martyre agens*: « Tot plumbatarum » ictibus, *inquit*, in os, ac cervicem verberatus est, ut » contusa, ac tumefacta facie, ne ab illis quidem, qui » eum optime noverant, agnosceretur ». Prudentius περὶ στεφάνων hymno x. *p.* 116. *edit. an.* 1625.

» Tunduntur, inquit, terga crebris ictibus,
» Plumboque cervix verberata extuberat.

Qui plura volet, is consulat Gallonium *ibid. p.* 109. *seq.*, Sagittarium *ibid. p.* 54., Laurentium *ibid. pag.* 3704., et Pitiscum *ad v. plumbata*, qui scriptores commemorat, qui de hoc instrumenti genere disseruerant, et acta sanctorum Bonosi etc. apud Ruin. p. 520.

(6) De nudatis martyribus confer, quae supra de s. Domnine diximus, et Gallonium *ibid. p.* 111. Ad dorsum quod attinet in actis ss. Claudii, Asterii etc. apud Ruinartium pag. 235. de Neone sic statuit praefectus: *Nervis dorsum eius concidite*. Confer quae sequuntur, cognoscesque quas corporis partes caedi ab ethnicis solerent, et Gallonium p. 111. seq.

ratio. Modo enim erectis stipitibus (1), columnisque alligati, modo humi iacentes (2), modo vinctis manibus, pedibusque, atque prostrati, modo pendentes, modo humeris aliorum impositi, modo quatuor palis terrae insitis (3) adstricti crudelissime verberibus lacerabantur.

XII.

Alapis praeterea, lapidibusque martyres percuti solebant, eorumque aliqui saxis obruebantur.

Traditum autem memoriae a patribus est, permulos martyres alapis, colaphisque (4) caedi consuesse. Quin etiam eorum genae, ora, maxillaeque saxis interdum contundebantur, et (5)

(1) Vide Eusebium *lib.* VIII. *cap.* VI. *hist. eccl. p.*362. *edit. cantabrig.*

(2) Euseb. *ibid. cap.* X. *p.* 389.

(3) Acta ss. mm. Claudii, Asterii etc. pag. 235. apud Ruinartium de s. Theonille sic habent: » Lysias » dixit, novacula acuta radite caput eius, ut vel sic » erubescat, et cingite eam rubo campestri, et extendite per quatuor palos, et loro non solum dorsum, » sed et totum corpus eius concidite ». Acta s. Bonifacii m. apud eumdem p. 161. n. 9. » Cum igitur » iret ad stadium, ubi s. martyres erant certantes, vi» dit eos inter tormenta positos, et quemdam eorum » suspensum capite deorsum, et ignem subtus eum » stratum, alium extensum in quatuor ligna, et diu» tissime mactatum ... alium inclinatum ex adverso, » idest retro manus, et pedes habentem, et sic fusti» bus a ministris caesum ». Lucius Caecilius *lib. de mortibus persecutorum cap.* XXI. *p.* 212. *tom.* II. *opp. Lactantii edit. an.* 1746. » Si quis esset verberandus, defixi » in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus um» quam servus distendi solebat ». Qui plura de his modis, deque ministris caedentibus desiderat, is leget Gallonium *ibid. p.* 111. *seq.* Transferendandam autem huc censui tabulam, quam dedit Gallonius *ibid. pag.* 123., quae *A.* martyrem manibus pedibusque post tergum ligatis, tabulaeque, cui cuspides acutae infixae erant aptatum, ac in ventre verberatum, *B.* eodem modo vinctum, et in tergo caesum, *C.* quatuor palis alligatum, crudelissimeque verberibus cruciatum proponit.

(4) Act. s. Claudii, et Asterii etc. apud Ruinartium pag. 235. » Lysias dixit: Alapis tundite faciem » (Theonillae), et proiicite eam in terram ligantes pe» des eius, et torquete fortiter ». De Publica diaconissa Theodoritus *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXII. *p.* 139. *edit. cantabrig.* scribit hoc modo: » Imperatoris (Iuliani) » iussa parvipendens, chorum virginum maiore fiducia » implevit, et praetereunte illo, rursus canere iussit: » *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius.* Quo facto » graviter commotus, magistram chori ad se adduci » praecepit. Visaque anu venerabili, nec canos corpo» ris miseratus, nec virtutem honore prosequutus est; » sed cui e satellitibus suis imperavit, ut utramque ei » malam caederet, et manibus genas eius cruentaret. » Illa vero contumeliam hanc summi honoris loco du» cens, in cubiculum regressa est ». Vide acta s. Theodoriti presbyteri apud Ruinartium *p.* 516. *edit. veron.* Quare ss. martyres consimiles erant Christo, quem colaphis, alapisque caesum referunt Matthaeus *cap.* XXVI. v. 67., Marcus *cap.* XIV. v. 65., et Iohannes *cap.* XVIII. *evang.* v. 21. Consule Gallonium *ibid. p.* 116. *seq.*

(5) Acta s. Theodoti apud Ruinartium p. 306. n. 27. „ Haec loquentis maxillas iussit Theotecnus saxis pul„ sari, et dentes excuti „. Sozomenus *lib.* V. *hist. eccl. cap.* IX. *p.* 191. de martyrio sanctorum Eusebii, Nestabi, et Zenonis in civitate Gaza agens „ Crudelissimo „ mortis genere eos (gazenses ethnici) interfecerunt, „ *inquit*, nunc pronos, nunc supinos trahentes, et pa„ vimento allidentes: et pro arbitrio alii *lapidibus*, „ alii fustibus, et cuiusque modi telis, quae ad ma„ num essent, eos caedentes. Audivi etiam mulieres „ relicta tela ex domo progressas radiis illos pupugisse, „ et cocos, qui in foro erant, partim ollas aqua fer„ venti bullientes, focis abreptas, eis superfudisse, par„ tim verubus eos transfixisse. Postquam eos dilaceras„ sent, et *capita* eorum ita confregissent, ut cerebrum „ humi efflueret, eos extra civitatem traxerunt, ad lo„ cum, quo iumentorum cadavera proiici solebant „. Atque his saxis dentes s. Ianuarii fuisse excussos arbi-


B
A

T. III TAB. XXXIV. pag. 149.



confringebantur. Obruebantur praeterea nonnulli lapidibus, atque hoc supplicii genere (1) interibant. Fuerunt interim aliqui ita animis affecti, ut opprimi ingentium saxorum pondere, quam Christum eiurare, maluerint (2).

XIII.

De ungulis, forcipibus, uncis, ferreisque pectinibus.

Ungularum frequens est ab antiquis scriptoribus facta mentio (3). Sed variae sunt, interque se dissidentes novorum de hoc genere tormenti sententiae. Ego vero etsi instrumenta omnia, quae ungularum, quibus sunt ferae instructae, figuram ex-

tror. Nam ut est apud Ruinartium in actis ss. martyrum Fausti, Ianuarii etc. pag. 470. „ Eugenius iudex „ dixit, ... abscindantur ei nares, supercilia radantur, „ dentesque mandibulae superioris evellantur „.At erunt fortasse, qui aliis instrumentis evulsos putent, quibus equidem non repugno. Acta quoque s. Euphemiae virginis apud eumdem sic habent: „ Alter carnifex apprehendens caput, ac retro inflectens alteri, „ os virginis praebebat expeditum ad poenam, alter „ autem adstans dentes excutiebat „. p. 432. Confer praeterea acta ss. mm. Probi, Andronici, et Tarachi apud Ruinartium *p.* 380. *n.* 4. *seq. edit. veron.* Vide Gallonium *ibid. p.* 119.

(1) *Act. apost. cap.* VII. *v.* 57. Theophilus antiochenus secundi saeculi scriptor *lib.* III. *ad Autolycum n. ult. p.* 428. *opp. Iustini edit. venet. an.* 1747. „ Adhuc etiam „ et Dei cultores persecuti sunt (ethnici), et quotidie „ persequuntur. Quin etiam iis, qui canore voce conviciantur, et honores posuerunt. Qui autem properant ad virtutem, et sanctam vitam exercent: horum alios lapidibus obruerunt, alios interfecerunt, et „ eos hactenus crudelibus cruciatibus subiiciunt „. Confer Ruinartium p.136., ubi de ss. Petro, Andrea, et Paulo, et Gallonium *ibid. p.* 119. *seq.*

(2) Gallonius *ibid. p.* 120. *seq.* De hoc supplicii genere videre Alexandrum ab Alexandro *genial. dier. lib.* III. *cap.* V. *p.* 296. *edit. an.* 1586. Spectat huc tabula proposita ab Gallonio pag.127., in qua *A.* martyrem ingentibus saxis pressum, *B.* pugnis, alapis, colaphis, calcibus percussum, *C.* lapidibus obrutum exhibet.

(3) Mitto scriptores ethnicos, ne sim longus. Tertullianum Scorpiaces *cap.* I. *p.* 488. „ Alii ungulis ... degustata martyria in carcere esuriunt „. *Apologetici c.* XII. *p.* 97. *append. eiusd. edit. venetae an.* 1744. „ Ungulis erāditis latera christianorum „ et *cap.* XXX. *p.* 104. „ Sic „ itaque nos ad Deum expansos ungulae effodiant „. S. Cyprianus ad Donatum *p.* 7. *edit. oxon.* „ Hasta, et „ gladius et carnifex praesto est, ungula effodiens etc. „ et *lib. de lapsis pag.* 127. „ Nunc equuleus extenderet, „ nunc ungula effoderet „. Vide Eusebium *lib.* VIII. *cap.* III. *p.* 397., *et cap.* X. *p.* 388., qui locus confirmat, quae dicta hactenus sunt, sic enim habet: „ Alii fustibus, alii virgis, alii flagris eos verberabant, quidam loris, nonnulli etiam funibus caedebant, eratque huiusmodi cruciatuum spectaculum varium, et „ multiplex plerumque malitiae. Quidam enim illorum manibus post tergum revinctis ad stipitem suspendebantur, ac deinde universa corporis membra „ machinis quibusdam distendebantur. Post haec tortores iussu iudicis universo corpori, neque ut homicidis solet, lateribus dumtaxat, sed etiam ventri, „ cruribus, ac genis cruciatus ferreis ungulis adhibebant „. Et *cap.* XVIII. *p.* 394., *et cap.* XVI. *p.* 401., *et lib. de martyribus palaestinis cap.* I. *ibid. pag.* 403. *seq.*, *cap.* IV. *p.* 415., *et cap.* VII. *p.* 418., *et cap.* XI. *pag.*433., et Lucius Caecilius *lib. de mortibus persecutorum cap.* XVI. *p.* 203. *edit. paris. opp. Lactantii an.* 1748. ubi „ Nihil, „ *inquit*, adversus te verbera, nihil ungulae, nihil ignis, „ nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt „. Et Prudentius hymno XI. περὶ στεφάνων, qui est de s. Hippolyto p. 140. ubi

„ Ungula fixa cavis costarum cratibus altos
„ Pandere secessus, et lacerare iecur.

Confer Ruinartium in *act. ss. mm. sinc. pag.* 65., ubi de ss. Epipodio, et Alexandro pag. 234., ubi de ss. Claudio, et Asterio p. 261., ubi de s. Bonifacio p. 305. seq., ubi de s. Theodoto agit. E novis adeundi Gallonius p. 129. *seq.*, La Cerda in *notat. in opera Tertulliani p.*168. *tom.* I. *edit. an.* 1641., Aringhus *lib.* II. *cap.* IV. *p.* 220. *tom.* I., *et lib. ult. cap.* I. *pag.* 684. *seq. tom.* II., Bottarius in

hiberent, sive illa tribus lamellis, aduncis constarent (1), cuiusmodi sunt ea, quae exhibet Aringhns in extremo Romae subterraneae libro, sive similia eorum essent, quae describit Gallonius, hoc vocabulo abbellata fuisse putem; tamen opinio illorum videtur esse ad veritatem propensior, qui *ungulas* proprie eas fuisse dictas defendunt, quas ille idem Gallonius sic perfici consuesse arbitratur. Coniungebant ethnici laminas ferreas oblongas duas, eo plane modo, quo ferreae forcipis fabrorum laminae copulari solent. Earum laminarum inferiores extremae partes rotundae, excavataeque subtus erant. Quod idcirco fiebat, ut iis hastulae insererentur, quo commode suspensi pendentesque lacerari a carnifice, dilaniarique possent. Partes laminarum superiores longitudinem fere palmi, duorumque digitorum latitudinem aequabant, tametsi aliquas longiores, brevioresve fuisse non negem. Subtiles autem, exilesque erant, ut facile carues, nervosque reorum reciderent. Atque his superioribus partibus ferrei infigebantur mucrones (2) sex, hoc modo, ut ex altera summa parte duo, qui hiulcam ungulam ferarum veluti formarent, ex altera unns esset, qui cum forceps clauderetur, inseri hiulcae ungulae posset, penetraret carnem, et findendo, tenendo, trahendoque laceraret. Rursum paullo inferius ex ca parte, cui unum fuisse infixum mucronem diximus, hiulci perinde mucrones duo, ex altera nnus ponebatur, quo duobus veluti uncis sulcando, acerbius tormentum esset. His vero suppliciis sancti martyres saepe, ac multum cruciabantur.

praef. tom. II. Rom. subterr. p. 12. *seq.*, Magius de equuleo *pag.* 176. *edit. an.* 1664., Ferrerius *lib.* I. *electorum cap.* XI. *p.* 23. *seq. edit. an.* 1679.

(1) Gaspar Sagittarius p. 198. „ Non unius generis, „ *inquit*, has fuisse credo ungulas. Quas Gallonius no- „ bis describit, suam ingenio scriptoris potius, quam „ antiquis monumentis formam debent „. Paulus Aringhus Romae subterraneae *tom.* II. *lib. ult. cap.* I. „ ectypum Francisci Barberini cardinalis asservari tradit „. Vide Aringhum *tom.* II. *p.* 687. Eam nos ungulam in tabula aerea 35. incidi, tibique lector proponi curavimus.


(2) Nisi enim sic formatae ungulae fuissent, quem ad modum intelligi haec Prudentii verba possent, περὶ στεφάνων hym. X. *p.* 115. *edit. an.* 1625. ?


„ Costas BISVLCIS exsecandas ungulis.


Et hymno I. p. 68.

„ Ille virgas, et secures, et BISVLCAS ungulas.

Errat igitur vehementer Sagittarius, qui iniurie Gallonium insectatur. Ac servatur quidem in basilica vaticana inter sanctorum reliquias eiusmodi ungula, quae tempore Pauli III. p. m. in fundamentis vaticanae basilicae reperta est. Vide Bottarium *ibid.* qui post adiungit: „ Vuole il Baronio (nelle note del martirolo- „ gio romano 26. giugno) essere la stessa cosa *i pali* „ *dentati* con l'ungule, e con quel πλεβρωτηρίω, „ che alcuni interpretano forbici dentate, di cui fa „ parola Giuseppe (*de Maccabei p.* 1401. *ediz. d'Oxford* „ *dell'an.* 1720.) Di un simile strumento fece dono il „ Bosio (*Rom. sotterr. lib.* I. *cap.* XI. *p.* 21.) al cardina- „ le Scipione Cobellnzio bibliotecario della santa chie- „ sa romana, avendolo trovato presso un corpo santo; „ poichè anticamente i martiri si sotterravano con por- „ re allato gli strumenti del loro martirio, come mo-






BICTORI NA IN
PACE ET IN


EXVPERANTIVS IN PACE


B
A

Forcipes autem quae vulgo dicebantur, aliae quidem contundendorum, aliae vero incidendorum membrorum, aliae denique tondendarum propter ignominiam mulierum caussa inventae sunt (1).

Uncis praeterea christiani aut suspendebantur, ut supra dictum est, aut trahebantur, aut laniabantur ab inimicis. Dilacerabantur autem eadem fere ratione, qua ungulis (2).

Neque uncis modo, sed etiam ferreis (3) *pectinibus* utebantur, qui similes eorum non essent, quibus pecti lanam videmus. Horum manubriis infigebantur hastulae, ut (4) carnifices pertingere ad suspensum reum torquendum, dilacerandumque possent. Quin etiam nostrorum hominum latera, venter, femur, tibiae a saevissimis ethnicis testaceis (5) fragmentis discerpebantur.

„ stra distesamente l'Aringhio *lib.* I. *cap.* XXIX. „. Ectypon eius ungulae tab. 35. tibi lector proponi curavi.

(1) Vide Gallonium *ibid. p.* 131. *seq.*, et Baronium in *not. in martirolog. rom. ad d.* 6. *cal. iul.*, quo loco testem appellat Synesium, qui *epist.* LVIII. *pag.* 201. *edit. an.* 1640. sic habet (utor autem interpretatione Petavii): „ Horrenda ad carnificinam instrumentorum genera, „ ac forum primum in provinciam inferens, *Andronicus*, „ utinam dicere liceat, et his solum utens, digitale, „ pedum distortorium, praelum, et nasipressorium, et „ auribus, ac labris distrahendis forcipes etc. „.

(2) Prudentius περὶ στεφάνων hymno V. *pag.* 96.

„ Lanianistor uncis denuo.

Et hymno XI. p. 140.

Inde furens quaesitor ait: Iam tortor ab unco
Desine, si vana est quaestio, morte agito.

Arnobius Prudentio aliquanto vetustior *lib.* II. *adversus gentes p.* 45. *edit. an.* 1651. „ Itane illud non divinum, „ *inquit*, et sacrum est, aut sine Deo, eorum tantas „ animorum fieri conversiones, aut cum carnificis unci, aliique innumeri cruciatus impendeant credituris „? Nescio huiusmodi ne fuerit uncus in coemeterio s. Agnetis repertus, qui martyris capiti infixus erat, quem sibi a Felice Rondenino ostensum, exhibet Aringhus *lib. ult. Rom. subterr. cap.* L. *p.* 688., quemque nos in tabula 35. aere incidi in hocce vol. curavimus. Sed de unco vide Gallonium *p.* 133. *seq.* At uncus interdum ungulam significabat, ut constat ex Prudent. hymn. V.

(3) Horum similes lapidibus insculptos ediderunt Aringhus *ibid. p.* 684., Gallonius *p.* 137. aliique. Praestat hoc loco de ferreo pectine agere in coemeterio Calepodii reperto, de sic habet Boldettus p. 319. „ È „ di metallo massiccio tutto intero, di lunghezza mag„ giore di un palmo, molto ben conservato, e fu estrat„ to, come asseriscono, dal sepolcro di un martire „ nel cimiterio di Calepodio nella via aurelia dal mon„ signor sagrista di papa Clemente X., che per l'iden„ tità, e verità del medesimo, contrasegnollo col suo „ proprio sigillo, improntato in cera di spagna ... si „ conserva ora fra le altre reliquie del monastero di „ s. Maria Maddalena dell'ordine domenicano sul mon„ te Quirinale „. Hoc instrumenti genus aeri incisum est tab. 36. Non assentior Gallonio asseti, similes eorum pectines fuisse, quibus depectitur lana.

(4) Tabulam ab Gallonio datam p. 137. heic vides n. 37. *A.* ungulam, *B.* uncum, *C.* ferreum pectinem exprimit.

(5) Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* IX. *p.* 385. *edit. cantabrig.* „ Verum omnem dicendi copiam superant „ cruciatus illi, ac dolores, quos apud Thebaidem mar„ tyres pertularunt, acutis testis vice ungularum adhi„ bitis toto corpore, ad mortem usque lacerati „. Iisdem fragmentis pavimentum carceris ethnici implebant, ut quiescere martyres non possent. Prudentius περὶ στεφάνων hymno de s. Vincentio mart. *p.* 39. *edit. an.* 1625.

„ Fragmenta testarum iubet,
„ Hirta impolitis angulis,
„ Acuminata, informia,
„ Tergo iacentis sternerent.
„ Totum cubile spiculis
„ Armant dolore anxii,
„ Insomne qui subter latus
„ Mucrone pulsent obvio.

Et post pauca

XIV.

De laminis ignitis, de facibus, de lampadibus.

Sed tot, tantisque suppliciis, quibus innocentes christianos lacerare ethnici consueverant, expleri eorum crudelitas, saevitiaque non poterat. Itaque candentes etiam ferreas laminas parari interdum, fortissimorumque hominum latera, ventrem, aliasque corporis partes aduri, nisi diis supplicassent (1), iubebant. Qui cruciatus tam erat acerbus, ut cum immanem quemquam, saevum, trucem fuisse demonstrare romani vellent, imperasse illum, affirmarent, ut ardentes laminae iis, qui rei scelerum non essent (2), admoverentur.

Faces duorum generum erant. Aliae namque interioribus earum arborum partibus constabant, quae picem, vel resinam (3) ferunt, cuiusmodi sunt *pinus*, *larix etc.*, aliae contra e contortis

„ Cernit deinde fragmina
„ Iam testularum mollibus
„ Vestire semet floribus.

Et ad calcem hymni:

„ Per fragmen illud testeum
„ Quo parta crevit gloria,
„ Et quem trementes posteri
„ Exosculamur lectulum.

Et s. Paulinus nat. ix. s. *Felicis p.* 220. *edit. veron.*

„ . . . sternuntur fragmina testae
„ Arceat ut somnum poenalis acumine lectus.

Vide Gallonium p. 135., et Sagittarium p. 17. *seq.*

(1) Καυτήρια, quorum meminit Eusebius *lib.* v. *hist. cap.* i. *p.* 211., quo loco egit de martyribus lugdunensibus, atque viennensibus eadem fuisse, atque haec ignitas laminas puto. Adeundus Sagittarius *loc. cit. p.* 123., S. Hieronymus in vita Pauli eremitae *tom.* iv. *opp. p.* 69. *edit. Martian.*: „ Perseverantem, *inquit*, in fide martyrem, et inter equuleos, laminasque victorem, iussit „ melle perungi, et sub ardentissimo sole, ligatis manibus post tergum, resupinari, scilicet, ut muscarum „ aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset „. Prudentius περὶ στεφάνων hymno v., qui est de s. Vincentio *p.* 95. *edit. an.* 1625.

„ Tormenta, carcer, ungulae
„ Stridensque flammis lamina etc.

Et pag. 97.

„ Tum deinde cunctatus diu
„ Decernit extrema omnium
„ Igni, grabato, et laminis
„ Exerceatur quaestio.

Et hymno x., qui est de s. Romano p. 124.

„ Nec sic inusta laminis ardet cutis,
„ Ut febris atro felle venas excoquit,
„ Vel summam pellis ignis obductus coquit,
„ Populosque fervor aestuosus excitat,
„ Credas cremari stridulis cauteribus.

Vide Sagittarium *ibid.*, Gallonium *ibid. pag.* 139. *seqq.*, Ruinartium *act. ss. mm. sinc. pag.* 146. *edit. veron. in not.*

(2) Cicero *lib.* v. *in Verrem cap.* LVIII. *edit. Olivet. Genev. p.* 573. *tom.* iv. „ Quid? *inquit*, cum ignes, ardentesque laminae ceterique cruciatus admovebantur „? Vide *Ruinart. p.* 382.

(3) Facum, ut alios mittam, facta est saepius a Cicerone commemoratio. Vide loc. cit. De variis generibus confer Gallonium *ibid. p.* 141.

funiculis cera, piceve illitis fiebant. Atque eas quidem taedas, has funalia veteres appellabant. Utraeque faces ardentes Christi sectatorum corporibus admovebantur, intolerabilique dolore eos lacerabant (1).

Tertium facum genus huiusmodi fuisse ferunt. Lata vascula, quae aut palmi magnitudinem aequarent, aut aliquanto longiora essent, sensimque restringerentur, ita ut pyramidis formam exhiberent, quaeque vel ferrea, vel figlino opere facta essent, adhibebantur, iisque circum hastulae aliquot ponebantur, quae colligatae conum efficerent, qui ad palmorum quinque, aut sex longitudinem (2) extenderetur. Inde vascula materia quapiam replebantur, quae facile inflammari posset. Has latini faces *lampadas* appellabant. Ergo cum in historia veteris ecclesiae legamus, martyres permultos fuisse accensis lampadibus excruciatos, fateamur necesse est, hasce inflammatas faces carnibus christianorum inferre ethnicos, eosque immaniter torquere consuesse (3).

(1) Hoc adludit Tertullianus *lib. adversus Praxeam cap.* XIII. *p.* 507. Cetera, quorum tamen permultorum minus probabilem esse video auctoritatem, vide apud Gallonium *p.* 141. *seq.*, et Sagittarium p. 122. qui etiam ex Prudentii libro περὶ στεφάνων hymno III., qui est de s. *Eulalia martyre p.* 86. *edit. an.* 1625., haec affert :

« Aut facibus data fumificis,
« Flebiliterque ululando tuis
« In cineres resoluta flues.

De facibus vide Bonarrotium *sopra alcuni frammenti di vetri ec. p.* 186. *seq.*, et Montfauconum *palaeogr. graecae pag.* 435.

(2) Confer Gallonium *ibid. pag.* 142. *seq.* At faces etiam lampades dici interdum solebant, ut constat ex modo indicato Prudentii, et seqq. vers.

(3) Prudentius hymno eodem pag. ead.

« Ultima carnificina dehinc
« Non laceratio vulnifica
« Crate tenus, nec arata cutis,
« Flamma sed undique LAMPADIBVS
« In latera, stomachumque furit.

In actis ss. Tryphonis, et Respicii n. 5. pag. 139. sic est scriptum : « Iussit eos manibus post tergum ligatis « nudos caedi ... ungulas, ac lampadas eorum lateri- « bus applicari. Igitur applicantibus eis lampades etc. ». In actis quoque s. Genesii martyris, qui Diocletiano imperatore passus est, *p.* 237. *n.* 3. apud Ruinartium *edit. veron.* sic habetur : « In equuleo suspensus, et un- « gularum diutissime laceratione vexatus, lampadibus « etiam inflammatus, cum in fide persisteret ... mar- « tyrii coronam capitis obtruncatione meruit ». Et in actis s. Theodoriti presbyteri apud Ruinartium *num.* 3. *p.* 517. *edit. veron.* « Iulianus dixit : Interim ego igni « te tradam, postea vero quid fuerit ? Sic iussit duas « lampadas ardentes eius apponi lateribus. Appositis « lampadibus, elevans oculos suos ad caelum dixit : « Domine Deus omnipotens etc. ... Et subito ceciderunt carnifices in facies suas cum lampadibus. Tur- « batus est vero Iulianus cum adstantibus militibus, et « iussit carnifices elevari, dixitque ad eos : Applicate « iterum lampadas eius lateribus. At illi responderunt : « Aliis hoc iubeat nobilitas tua, nos vero hoc facere « non possumus ». In facum numerum, lampadumve referri candelae possunt, quarum fit in actis ss. mm. Claudii, et Asterii etc. mentio apud Ruinartium *p.* 234. *edit. veron.* « Lysias praeses dixit : Accipientes testam « asperrimam, lateribus (Claudii) incumbite, et can- « delas ardentes eidem applicate. Cumque factum fuis- « set, Claudius dixit : *Mihi ignis, et tormenta tua salvam « facient animam ; quoniam quae patior propter Deum lu- « crum habeo magnum, et pro Christo mori divitias multas.* « Lysias autem iratus de equuleo eum deponi, et in « custodiam dari praecepit ». Quid ? si transferri huc possit Cypriani ex libro *de lapsis pag.* 127. *edit. oxon.* locus ? « Sed cum durissimi iudicis recrudescente senten- « tia iam fatigatum, iam laesum corpus nunc flagella « scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus « extenderet, nunc FLAMMA torreret ... Deprecabun-

XV.

Quibus modis de equuleo depositi martyres torqueri ab inimicis religionis christianae solerent.

Atque his quidem suppliciis, cum coniecti in equuleum essent (1), christiani afficiebantur. Iam vero inde exturbati, aut in lignum, divaricatis cruribus, ita ut supra demonstratum (2) est, compingi, aut nudi in acutis, ignitisve fragmentis testarum volutari (3), aut ferventi oleo (4) perfundi ab ethnicis solebant.

XVI.

De tauro aeneo, de olla, de lebete, de sartagine, de craticula, et lecto ferreo, de sella, galea, deque tunica ferrea.

Vetus ab ethnicis *tauri aenei* (5) tormentum fuit. Tauri vero illud figuram praeseferebat. Qui autem damnatus erat, ut eo supplicii genere periret, in illud immittebatur, clausoque ostio, quod unum e latere tauri eiusdem patebat, igneque a carnificibus circum accenso, cum torreretur, sic ululabat, ut mugitus misere edere videretur. Fuerunt vero e nostris, qui summa con-

» tur illi ..... et pro lacrimis cruor SEMIVSTVLATIS » visceribus defluebat ». Nam flamma, quae *torrebat*, et *semiustulata* relinqueret corpora aut facum, aut lampadum, aut candelarum flamma fuerit oportet. Vide tab. 38., quam refert Gallonius p. 147. in qua *A.* martyrem suspensum, nam aliquando trochleis suspendebantur ad stipitem, *B.* taedis, *C.* funalibus, hoc est facibus e funiculis contortis factis, *D.* aut ardentibus lampadibus excruciatum demonstrat.

(1) Constat id quidem cum ex aliis plerisque monumentis, tum ex eo loco actorum ss. Asterii, et Claudii, quem modo descripsimus

(2) *Pag.* 144. *seq. huius vol.*

(3) Confer acta s. Vincentii apud Ruinartium *p.* 127. *edit. veron.*, Prudentium περὶ στεφάνων hymno de s. Vincentio v. 65. apud Ruinartium pag. 332. In actis praeterea s. Theodoti martyris n. 30. *p.* 307. haec leguntur. « Videns ergo praeses se frustra laborare, et fatigatos tortores deficere, depositum de ligno, iussit se» per ignitas testulas collocari, quibus etiam interiora » corporis penetrantibus, gravissimum dolorem sentiens » Theodotus, oravit etc. ». Confer Sagittarium *p.*17.*seq.*


(4) Vide martyrologia ad d. 8. idus maiide s. Victore martyre, qui sub Maximiano passus est. Rursum ad d. 4. non. iunii in iisdem martyrologiis legimus: « Sub Diocletiano Augusto primum plumbatis caesus, » deinde fustibus graviter mactatus, post resina, sulphure, plumbo, pice, cera, oleoque perfusus, illaesus apparuit ». Sed de hoc cruciatus genere postilla post agam copiosius. Interea proponam tab. 39., quam exhibet Gallonius pag. 149., quae littera *A.* exprimit martyrem de equuleo depositum, qui divaricatis cruribus, vi ad quartum, aut quintum foramen distenderetur, *B.* aut viva calce, oleoque etc. ebullienti perfusum, *C.* nudum, inque testaceis fragmentis volutatum, ac pressum.

(5) Adeundus Gallonius *p.* 151. *seq.*

T III. TAB. XXXVIII. pag. 154.



T. III. TAB. XXXIX. pag. 154.



stantia, quod inanibus simulacris cultum adhibere recusassent, hoc tam immani cruciatu martyres (1) decesserint.

Olla vas satis amplum ex aere confectum erat. In illud vel aqua, vel oleo, vel pice plenum christiani quandoque aut capite deorsum verso, aut praelo ita pressi, atque contenti, ut caput ad genua pelleretur, iniiciebantur, ignominiae caussa, ut elixati interirent (2).

Ac *lebes*, ut recte animadversum ab Gallonio (3) est, genus erat aenei vasis, in quod oleo, pice, plumbo, ceraque ferventibus christiani, ut elixari perinde possent, immittebantur (4).

Nam *sartago* ingens erat patella aerea, quam hostes nominis christiani resina, pice, oleoque impleri, ignique imponi curabant, tum, ut haec omnia ebullire, atque effervescere videbant, immitti in vas nostros imperabant, ut furcis compressi, frigi, efflareque animam cogerentur (5).

(1) Gallon. *ibid. p.* 153. *seq.*

(2) Vide martyrologium romanum ad d. 16. kal. martias, Sagittarium *ibid. pag.* 119. *seq.*, et Gallonium *p.* 154. *seq.*, et acta s. Bonifacii mart. *cap.* II. *pag.* 253. *edit. Ruinart. veron.*

(3) *Ibid. p.* 156.

(4) Ruinartius ex Palladii *hist. ad Lausum cap.* III. *eot. ss. mm. sinc. p.* 103. *edit. veron.* « Iubet (inde) magnum lebetem pice repletum vehementissimo igne accendi. Cum bulliret ergo pix, et valde arderet, conversus ad illam beatam saevus praeses dixit: Abi, pare voluntati domini tui: alioqui, ut intelligas, iubeo te devolvi in lebetem ... Ille ergo furore percitus, iubet eam exui, et in lebetem iniici ... Quae sic paullatim demissa, spatio trium horarum emisit spiritum, cum pix pervenisset ad eius collum ». Et in actis s. Theodoti martyris *p.* 304. *edit. eiusd.* n. 22. « Erat ibi accensus focus, et lebetes ferventes, rotaeque, et alia plura cruciatuum instrumenta exposita, ad quorum omnium conspectum adeo nihil exhorrescebat martyr, ut animi constantiam etiam vultus hilaritas demonstraret ». Lebetem exhibet figura, quam dedi supra tab. 36. ex Boldetto *osserv. sopra i cimiterii p.* 318. ubi « Io, *inquit*, osservata una lapida sulla tomba di una santa per nome Vittorina nel cimiterio di Ciriaca, ove (oltre al contrassegno del vaso di sangue affisso alla tomba) era pure delineata una caldaia accesa, come si scorge nella tavola. Un'altra pentola parimente, o caldaia ardente osservai in un'altra lapida di marmo coll'iscrizione, e nome di Esuperanzio, trovata ad un sepolcro di martire nel cimiterio di Callisto (vide tab. eamd. n. 3.). La figura di questa caldaia corrisponde egualmente a quella dell'iscrizione di s. Alessandro addotta dall'Aringhi. (*Rom. subter. lib.* II. *cap.* XXII. *p.* 495. *tom.* I.). E si argomenta, che in una simile pentola o caldaia consumasse il suo glorioso martirio. Siccome noi pure possiamo congetturare de' nostri santi Vittorina, ed Esuperanzio: *martyrium consummatum forte denotantes*, come dice il Fabretti (*inscript. domest. cap.* VIII. *p.* 566.) di tali caldaie, o pile, o altri simili strumenti scolpiti sulle lapidi sepolcrali de' cimiterii ». Petrus Zornius hamburgensis vir e lutheranorum quidem secta opusculo inscripto - dissertatio historica theologica de catacumbis, seu cryptis sepulcralibus ss. mm., in qua Burnetti, Missonii, et aliorum sententia defenditur, contra Mabillonium, Ciampinum, Bosium, et alios romanenses etc., *edit. lips. an.* 1703, *cap.* II. §. VI. *p.*16., negat *vascula*, quae sanguine plena fuisse dicimus, indicium conditi in eo sepulcro martyris esse, quod communis consuetudo veterum monachorum fuerit sanctis instrumenta martyrii appingere. Ridiculum ! Quasi vero ante monachis in eos coemeteriorum cuniculos penetrare fas esset, quos terra essent repleti, quosque nunc effodere nostri solent, et in quibus vascula continenter reperiuntur. Nam eos cuniculos, cum fureret in nostros Diocletianus, terra fuisse appletos ostensum supra est observationibus Bonarrotii. Sed extremo huiusce operis libro totam illam Zornii *dissertationem*, ut par est, confutabimus ; est enim, ut constabit, plena inanium, secumque pugnantium rationum.

(5) Vide Prudentium περὶ στεφάνων hymno s. *p.* 150. *edit. an.*1625., ubi de machabaeis agens inquit :

« Videbat ipsos apparatus funerum
« Praesens suorum, nec movebatur parens.

Crates ferreae non tribus modo, sed etiam pluribus costis (1) componebantur. His ignem supponebant ethnici, christianosque imponi, ac, ne adusti moveri possent, furcis (2) detineri, et coqui faciebant. Quam autem atrox id supplicium, quo Laurentius (3), aliique affecti sunt, quamque immane esset, comprehendi vix animo, oratione autem explicari ne vix quidem potest. At fortissimi viri, mulieresque non solum non ferre moleste, modo Christo rem gratam facerent, sed etiam laeti, alacresque ad illud venire, atque ubi suas carnes uri, maleque olere sentiebant, convertere se ad iudices, eosque ridere, hortarique, ut quod coctum esset comederent (4), consueverant.

Similis cratis *lectus ferreus* erat, quamquam paulisper e terra elevatus esset, latioribusque laminis ferreis oblique tabularum loco ductis (5) constitueretur. Huic item ethnici ligna, carbonesve accensos supponi, impositosque christianos torqueri imperabant (6).

» Lactata quoties aut olivo stridula
» Sartago frixum torruisset puberem etc.

Confer Gallonium *ibid. pag.* 157., et Sagittarium *ibid. pag.* 119.

(1) Gallonius *ibid. p.* 159., et schema cratis expressae in sepulcro quodam reperto in coemeteriis urbis, relatoque ab Aringho, et a nobis descripta *tom.* I. *p.* 446.

(2) At non non furcis modo iis, quas exhibuimus supra tab. 39., sed etiam iis fortasse, quae tridentum instar essent, cuiusmodi est ea, quam refert Aringhus *p.* 684. *col.* 2. *tom.* II. *Romae subterr.* detinebantur.

(3) Prudentius hymno II. περὶ στεφάνων v. 17. apud Ruinartium *p.* 146. *edit. veron.*

» Ungula fixa cavis costarum, *cratibus* altos
» Pandere secessus, et lacerare iecur.

Et hymno II., qui est de s. Laurentio, v. 86. *seq.* apud eumdem pag. 167. Eusebius *hist. eccl. lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 382., *et cap.* XII. *p.* 391. « Alii, *inquit*, craticulis impositi, non ad mortem usque, sed ad diuturnitatem supplicii torrebantur ». Sed multos nominare non est necesse. Confer Gallonium *p.* 159. *seq.*, et Sagittarium *ibid. p.* 113. *seq.*

(4) Prudentius hymno de s. Laurentio v. 97. *seq. p.* 168., *act. ss. mart.* apud Ruinar.

„ Quin ipsa odoris qualitas,
„ Adusta quam reddit cutis,
„ Diversa utrosque permovet;
„ His nidor, illis nectar est.

Et v. 400.

„ Postquam vapor diutinus
„ Decoxit exustum latus,
„ Ultro e catasta iudicem
„ Compellat affatu brevi:
„ Converte partem corporis
„ Satis crematam iugiter,
„ Et fac periclum quid tuus
„ Vulcanus ardens egerit.
„ Praefectus inverti iubet.
„ Tunc ille: Coctum est, devora,
„ Et experimentum cape,
„ Sit crudum, an assum suavius.

Consule Eusebium *lib.* VIII. *cap.* VI. *hist. eccl. pag.* 3?2. *edit. cantabrig.*

(5) Gallonius *ibid. p.* 162.

(6) Prudentius hymno de s. Vincentio, qui est v. περὶ στεφάνων *p.* 97. *edit. an.* 1625.

„ Decernit extrema omnium,
„ Igni grabato, et laminis
„ Exerceatur quaestio.
. . . . .
„ Serrata lectum regula
„ Dente in frequenti exasperat,
„ Cui multa carbonum strues
„ Vivum vaporat halitum.

Rursum in actis eiusdem s. martyris apud Ruinartium n. 7. *p.* 326. „ Iam enim truculentus minister profer-


D
F
E
C
B
A
G

Sedibus item *ferreis* nostros ut insiderent (1) cogebant, aut eorum capitibus *galeas* (2) imponebant, aut maxillis aereos (3), ferreosque *globos* admovebant, aut *tunica* eos ferrea (4) induebant, aut *clavis* tempora transfigebant, aut ferreis *obeliscis* latera (5) torrebant, aut *crepidis* aeneis induebant, vel eiusmodi crepidis, quibus infixi clavi essent (6), calceatos, sanctis martyribus, ut incederent, imperabant. Atque huiusmodi instrumenta tunc adhibebant, cum maxime ignita essent.

XVII.

Nudis pedibus super candentes carbones incedere christiani cogebantur. Eorumdem capitibus, aliisque membris corporis prunas ethnici imponebant, in eorum ora, atque aures immittebant, et ferventi oleo, liquatoque plumbo ventres, aut alias partes eorum perfundebant.

Nova interim cruciatuum genera excogitabantur. Nam hostis generis humani, qui moleste patiebatur christianos in tantam multitudinem crevisse, ut omnem fere orbem terrarum occupasse viderentur, ethnicos incedenbat, ut quibus possent modis, in deorum contemptores saevirent. Itaque iis suppliciis, de quibus

„ ri lectum cum ferreis inserat costis, et addita subter carbonum congerie assurendum Dei martyrem „ applicere „. Neque solum lectis sanctos martyres imponebant, ut torrerentur suppositis ignitis carbonibus, sed etiam salis particulas in ignem suppositum coniiciebant, quae crepitantes, in corporis partes penetrarent, laminasque ardentes adhibebant, quibus sanctos martyres acerbius torquere possent. Prudentius *ibid. p.* 56.

„ Hunc sponte conscendit rogum
„ Vir sanctus ore interrito,
„ Ceu iam coronae conscius
„ Celsum tribunal scanderet.
„ Subter crepante abstergine
„ Scintillet excussus salis,
„ Punctisque fervens stridulis
„ Sparsum per artus figitur.
„ Acuina post hinc igneam
„ Impressa cauterem luit,
„ Vis unda roris fumidi
„ In membra sensim liquitur.

Vide Sagittarium p. 116.

(1) *Eccles. lugd.* apud Eusebium *lib.* v. *cap.* 1. *hist. eccl. p.* 206. „ Ipsam, *inquit*, postremo ferream cathe„ dram, cui superposita martyrum membra cum tor„ rerentur, illorum nares molestissimus nidor imple„ bat etc. „

(2) Vide quae de Iusto martyre romano scribit Gallonius p. 163. Hiccine vero ille sit Iustus, an alius quispiam, quem in vitris coemeterialibus depictum vidimus supra *tab.* 15. *num.* 2. *seq. huius vol.*, definire satis certo non possum.

(3) Gallon. *ibid.* sed vereor, ne huiusmodi acta Iusti minus sincera esse videantur.

(4) Gallonius *ibid. p.* 163., et Sagittarius *ibid. p.* 109.

(5) Gallonius *ibid.*, et Sagittarius *p.* 122.

(6) Gallon. *ibid.*, et Sagittar. *p.* 124. Heic proposui tab. 40., quam refert idem Gall. p. 165. in qua, *A.* martyrem in crate ferrea, *B.* in lecto ferreo, *C.* in ignita sartagine, *D.* in olla, *E.* in tauro aeneo, *F.* in lebete positum, *G.* ferrum, quo uti ethnici in huiusmodi sanctorum cruciatibus solebant, indicat.

supra demonstratum est, illud etiam addi curavit, quo nostri super carbones ardentes incedere (1) cogebantur.

Praeterea prunas in ora, anresque martyrum (2) immitti, et capitibus, ceterisque corporis membris imponi fecit. Liquari quoque plumbum interdum, aut oleum, picemque ferventem parari, et eorum ventribus, tergis (3), capitibus infundi curavit. Quid? si ita transversos inimicos nominis christiani egit, ut nostros nudari, atque in acutissimis testarum (4) fragmentis, ardentibusque carbonibus volutari, aut incensum manu ante aras, carbonesque tenere, quo diis ture (5) supplicasse existimarentur, compellerent?

(1) Acta sanctorum martyrum Claudii, et Asterii apud Ruinartium p. 234. ,, Lysias dixit, apprehendite ,, ferreos morsus, et colligate pedes eius, et fortiter ,, torquete eum, ut sentiat et corpore, et animae cruciatum ... Lysias dixit: Carbones ignis substernite pedibus eius etc. ,,. Vide Sagittarium p. 124.

(2) Consule Gallonium *ibid.* Quod vero carbones ethnici variis corporum ss. mm. partibus imponere solerent, ex actis ss. Claudii, Asterii etc. apud Ruinartium n. 3. *p.* 335. constat. ,, Lysias dixit, pedibus eum ex,, tendite, et carbones mittite super (Neonem): ,, et n. 4. ,, Carbones etiam ventri eius superimittite, et sic ,, moriatur ,,. Quid? si carbones, tusque et manibus martyrum imponere auderent ethnici, ut si forte excussissent prunas, ture adolevisse diis viderentur? S. Basilius homilia xvii. n. 2. *p.* 140. *tom.* ii. *opp. edit. monachor. s. Mauri.* ,, Dexteram habuit, *inquit,* Barlaamus ,, igne firmiorem, quod postremum tormentum ei ab ,, inimicis admotum est. Etenim libamen daemonibus ,, facturi, ignem arae cum imposuissent, adductum ,, martyrem ante eam sistunt, atque dexteram supinam ,, super altare protendere iubentes, manu velut aerea ,, ore abusi sunt, ardente ture in ea maligne imposi,, to. Sperabant enim fore, ut si ignis devicta manu ,, tus in aram necessario, ac velociter excuteret etc. ,,. Adeundus Sagittarius p. 126.

(3) Acta s. Bonifacii martyris apud Ruinartium *p.* 252. *edit. veron.* n. 9. ,, Videns autem impiissimus ,, iudex quod minime sentiret tormenta, iussit aperiri ,, os eius, et plumbum bulliens infundi ,,. Eusebius *lib.* viii. *hist. eccl. cap.* xii. *pag.* 392. *edit. cantabrig.* ,, Alii plumbo, ignis vi liquefacto, bulliente, ac fervente ,, metallo terga adurebantur, et corporis partes maxi,, me necessariae torrebantur ,,. Confer eumdem *lib.* vi. *cap.* v. *p.* 265., ubi de s. Potamiaena agens ,, Haec cum ,, dixisset, *inquit,* ferventi pice per varia corporis mem,, bra ab imis pedibus, ad ipsum usque capitis verti,, cem lente, ac paulatim circumfusa, mortem constanti ,, animo pertulisse memoratur ,,. Vide Sagittarium p. 121. Nescio autem an instrumentum illud, quo infundere membris sanctorum martyrum plumbum, picemque ethnici consueverant, quodque exhibet Gallonius p. 151. litt. *B.* (vide tab. 41.) simile sit huius, quod sepulcrali lapidi Aselli insculptum cernitur, refertque a Bosio *Rom. sotterr. p.* 563.



(4) Vide quae dixi supra p. 154.

(5) Confer quae modo descripsi ex homilia s. Basilii de s. Barlaamo. Sed dolos, fraudesque, quibus hostes nominis christiani utebantur, ut nostros ad suam sententiam aut pertraherent, aut pertraxisse viderentur, describit Eusebius *lib.* viii. *cap.* iii. *p.* 387. *seq. edit. cantabr.*


C
B
A

XVIII.

Quemadmodum sancti martyres ignibus traderentur.

Flammis item permultos nostrorum hominum religionis caussa traditos (1) fuisse, martyrasque decessisse constat. Sed eorum incendendorum non una semper, neque eadem ratio fuit. Saepe enim igne circum (2) accenso, stipitibus erectis affixi, aut alligati, interdum sarmentis ferreo (3) lecto suppositis, cui lecto illi essent adstricti, nonnumquam in ardentes (4) fornaces, (5) ro-

At iuverit heic ponere tab. 41., quam proponit Gallonius pag. 161. *A.* exhibet martyrem ardentibus prunis impositum, *B.* in lectulo ferreo ligatum, et ardenti liquatoque plumbo etc. cruciatum, *C.* ferris ignitis semiustulatum, *D.* nudis pedibus super carbones ardentes incedere coactum.

(1) Vide acta s. Polycarpi apud Ruinartium n. 14. *p.* 36., s. Iustinum martyrem loco supra indic. *p.* 131. *huius vol.*, et Tertulliani testimonia *pag. ead. huius vol.*, Cyprianus *lib. de bono patientiae pag.* 215. ubi ,, Gladios, ,, *inquit*, bestias, ignes, cruces, omnia denique tormentorum, ac poenarum genere fide, et virtute patientiae ,, perferenda ,,. Et *epist.* LX., *alias* LXXV. *de Numidico agens p.* 78. *edit. oxon.* ,, Hortatu suo, *inquit*, copiosum martyrum numerum lapidibus, et flammis necatum ante ,, se misit ,,. Minucium Felicem, qui in Octav. *p.* 103. *edit. an.* 1672. sic inducit Caecilium ethnicum nostros alloquentem: ,, Ecce vobis minae, supplicia, tormenta, ,, etiam non adorandae, sed subeundae cruces; ignes ,, etiam, quos et praedicitis, et timetis ,,. Sed longum est omnes recensere.

(2) Consule locum modo indicatum *epist. smyrnensis ecclesiae de s. Polycarpi martyrio pag. ead.*, acta s. Pionii p. 127. apud Ruinartium *edit. veron.*, ubi sic habetur: ,, Post haec Pionium, et Metrodorum presbyterum cum ,, his, in quibus fixi erant, stipitibus erexerunt, eve- ,, nitque, ut Pionius ad dexteram, Metrodorus staret ,, ad laevam, ad orientem oculis animoque conversis. ,, Sed cum allatis lignis, ac subditis nutrimentis vires ,, ignis acciperet, et per ardentem pyram fortiter po- ,, pulatrix flamma crepitaret, clausis Pionius oculis, ta- ,, cite, ut bene quiesceret, Deum suum oratione po- ,, scebat. Nec multo post nimium vultu laeto ignem ,, respexit, et amen dicens, animam, quasi eructaret, ,, evomuit ,,. Consule praeterea acta ss. Luciani, et Marciani apud Ruinartium n. 7. *p.* 153. *edit. veron.*, et acta ss. Fructuosi, et Augurii n. 7. *ibid. p.* 192., et s. Cyrilli pueri *ibid. p.* 214., et ss. Agapes, Chioniae etc. num. 4. *p.* 349., *et n.* 6. *p.* 351., et ss. Pollionis etc. n. 3. *p.* 360., et s. Philippi episcopi Heracleae num. 13. *pag.* 372., et s. Theodori n. 6. *p.* 426., et Eusebium *lib.* VIII. *cap.* VIII. *hist. eccl. p.* 385., *et cap.* IX. *p.* 346., *et cap.* XIII. *p.* 394., *et lib. de martyribus palaestinis cap.* II. *p.* 410., *cap.* IV. *p.* 413., *et cap.* VIII. *p.* 421., *et cap.* X. *p.* 426., *et cap.* XI. *pag.* 431. *et p.* 433. *hist. eccl. edit. cantabrig.* Hinc christianos *sarmentitios, et semaxios* fuisse appellatos ostendimus *lib. huiusce operis* I. *cap.* IX. *p.* 91. *tom.* I.

(3) De sarmentis confer quae dixi *tom.* I. *pag.* 91. Adi etiam Prudentium περὶ στεφάνων hymno V., qui est de s. Vincentio levita p. 97., et de s. Romano mart. pag. 132., ubi inquit.

,, At parte campi ex altera immanem pyram
,, Texebat ustor fumidus pino arida,
,, Sarmenta cointim subdita, et foeni struem
,, Spargens, liquato rore ferventis picis,
,, Quo flamma pasta cresceret ferocius.

Ex quibus quidem versibus plane constat, sarmenta pice conspergi interdum consuevisse, ut longe facilius flammam conciperent.

(4) Confer Gallonium p. 173., Sagittarium *p.* 108., *act. ss. mm. Bonosi etc.* apud Ruinart. p. 522. ,, Iterum ,, mittam vos in fornacem ignis ardentis, et tunc com- ,, plebitis iussionem sacram ,,. In foveam quoque calcis iniectos nostrum aliquos fuisse, testata res est. Igitur Prudentius περὶ στεφάνων hymno XIII., qui est de s. Cypriano *p.* 147. *edit. eiusd. an.* 1625., canit hoc modo:

,, Fama refert, foveam campi in medio patere immanem
,, Calce vaporifera prope marginem refertam.
,, Saxa recocta vomunt igneos, niveusque pulvis ardet,
,, Urere tacta potens, et mortifer ex calore flatus
,, Appositam memorant aram foveae stetisse summae,
,, Lege sub hac, salis aut micam, iecur, aut suis litarent
,, Christicolae, aut medias sponte irruerent in imo fossae.
,, Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
,, Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit etc.

(5) Iulianum, et Eunum accenso rogo fuisse flammis

gos, fossasve prunis candentibus plenas (1) iniecti interibant. Quandoque una cum cubiculis (2), aedibus (3) sacris, balneis (4), urbibus (5) ipsis, in quibus habitabant, circumiecto igne absumebantur. Quin etiam fuerunt aliqui, quos ethnici aut funibus oleo, sulphure, ac resina illitis, postque incensis (6) vinctos, aut lineis in oleum (7) iniectis, indeque accensis, eorum pedibus ad-

consumtos, tradit Eusebius *lib.* VI. *cap.* XLI. *p.* 306., idem scribit de s. Apollonia *ibid. p.* 305. *edit. cantabrig.* Prudentius hymno VI. περὶ στεφάνων, qui est de ss. Fructuoso etc. p. 106.

,, Hic flammante pyra niger minister,
,, Ardens supplicium parare iussus,
,, Construxit facibus rogum supremum.
,, Qui dum corpore concremanda solvit,
,, Ferventes animas amore lucis
,, Fracto carceris expedivit antro.

Confer Sagittarium pag. 104. Rursum Prudentius hymno XI., qui est de s. Hippolyto, ait p. 140.

,, Hos rape praecipites, et victos conlice in ignem,
,, Sit pyra, quae multos devoret una reos.

Quin etiam idem Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* III. *pag.* 414. de Timotheo Gazae episcopo agens, ,, Innumera, *inquit*, perpessus tormenta, tandem tenui, ,, ac lento igne consumtus etc. ,,. Vide acta s. Pionii martyris apud Ruinart. *p.* 126. *edit. veron.* Sed quoniam *pyrae* facta est mentio, quid ea significet indicandum est. Aliquando enim stipitem indicabat, cui homines exurendi elligabantur, atque tum ex circumposito rogo stipes pyrae nomen sortiebatur, aliquando vero rogum, seu lignorum struem, ut recte est animadversum a Ruinartio *ibid. pag.* 147. *not.* 13. Sed haec strues lignorum diversis modis formari solebat. Iam vero interdum, cum corpore cremarentur, eo modo fieri consueverat, quem exhibent nummi aliquot Caesarum, et monumenta quaedam christiana apud Bosium, Aringhum, et Boldettum, in primisque sepulcrum FIRMIAE VICTORIAE QVAE VIXIT ANN. LXV. apud Boldettum p. 372., quam nos exhibuimus supra *tab.* 17. *p.* 63. *fig.* 2. *Catasta* aliquando significabat editiorem locum, in quo proponebantur servi venales. Vide acta ss. Perpetuae, et Felicit. apud Ruinartium p. 82., et Ruinart. *not.* 33. *ibid.* Ibi quoque martyres torqueri solebant, aut interrogari. Cyprianus *epist.* XXXVIII. *p.* 75. *edit. oxon.* Lectorem, qui Christum ibid. confessus fuerat, e *catasta ad pulpitum*, nempe ex eo loco in ecclesiam venisse scribit. Hinc catasta pro editiore loco, qui etiam in foro non esset, sumta aliquando est. Quare martyr Romanus apud Prudentium hymno XI. p. 124.

,, Audite cuncti, clamo longe, ac praedico,
,, Emitto vocem de catasta celsior.

Quamobrem equuleus etiam dictus interdum catasta est, ut est in vetere glossario. Vide Lucam Holstenium in not. *ad acta ss. Perpetuae, et Felicit. pag.* 93. apud Ruinart. *act. ss. mm. sincer. Catastarum* item ignearum meminit Prudentius hymno I. p. 68., quod in editiore loco consisterent, ibique exurerentur martyres.

,, Verberum post vim crepantum, post catastas igneas.

Pro lecto ferreo intelligit *Iso magister in glossis ad Prudentium.* Immo vero, et crati ferreae attributum id nomen est a Prudentio hymno de s. Laurentio, qui est II. περὶ στεφάνων p. 97.

,, Postquam vapor diutinus
,, Decoxit exustum latus,
,, Ultro e catasta iudicem
,, Compellat affatu brevi.

Adi Sagittarium *p.* 148. *seq.*, et Cangium *in glossar. med. et infim. latinit. p.* 418. *tom.* II. *ad v. catasta.*

(1) Adeundus Gallonius *p.* 172.

(2) Gallonius *ibid.*

(3) Lactantius *lib.* V. *diviner. institut. cap.* XI. *p.* 390. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1748. ,, Aliqui ad occidendum ,, praecipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui ,, universum populum cum ipso pariter conventiculo ,, concremavit ,,. Nam aedes sacras suas christiani conventicula appellabant, ut alio loco dicam.

(4) Gallonius *p.* 174. *seq.*, Sagittarius p. 140.

(5) Eusebius *lib.* VIII. *cap.* XI. *hist. eccl. p.* 390. *edit. cantabrig.* ,, Certe urbem quamdam christianorum in ,, Phrygia milites armati obsidione cinxerunt, iniectoque igne, totam una cum viris, et mulieribus, ac ,, parvulis Christum omnium Deum confitentibus concremarunt etc. ,,.

(6) Gallonius p. 175.

(7) Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* IV. *p.* 415. ,, Compulsus deinde (Appianus) a iudice diis ,, sacrificare, invictam adversus aerumnas, et quantumvis dolores horrendos constantiam animi declaravit; lateribus non semel, sed iterum, ac saepius ad ,, ipsa usque ossa, et viscera sulcatis; totque plumba-

motis, aut in navim (1) pice, stupaque refertam immissos, admoto igne, in medio mari perire cogerent. Estque iam ab Gallonio traditum, calore balnei (2) aliquos christianorum vivere desiisse. Tunica quoque, quam veteres molestam dicere consueverant, quae rebus iis, quae ignem concipere facile possent, contexta erat, quod religionem servarent, involvebantur; qua inflammata, miserandum in modum cruciabantur, tandemque animam (3) efflabant. Ac multos eorum, qui Christum colerent, cum Nero imperium obtineret, tunica molesta indutos, inflammatosque fuisse, ut lampadum instar noctu collucerent, auctor est Tacitus in (4) historia. Scribit autem Caecilius in eo libro, qui est de *mortibus persecutorum*, iis, qui dignitatem nullam haberent, poenam ignem fuisse. Datas namque leges fuisse, ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Consuesse igitur ab ethnicis nostrorum pedibus, cum deligati fuissent, subdi lenem flammam tamdiu, donec callum solorum contractum igne ab ossibus revelleretur. Deinde incendi faces, tum extingui, ac protinus admoveri singulis membris, ita ut (5) locus nullus in corpore intactus relinqueretur. Praeterea faciem aqua frigida perfundi, et os humore ablui, ne ariditate faucium interirent. Curari postremo, ut cute omni decocta, vis ignis ad intima viscera penetraret. Hinc rogo facto corpora iam adusta cremari (6).

„ terum ictibus in os, ac cervicem verberatus, ut contusa, ac tumefacta facie, ne ab illis quidem, qui „ eum optime norant, agnosceretur. Verum cum ille „ tantis doloribus nullatenus cederet, tortores iussu „ praesidis linum oleo madefactum pedibus eius cir- „ cumponentes, ignem postea subiecerunt. Quo facto, „ quantos beatissimus martyr dolores persenserit, nul- „ lo, ut arbitror, oratione explicari potest. Ignis siqui- „ dem consumtis eius carnibus ad ossa usque pene- „ trabat, adeo ut universus humor corporis carae in- „ star liquefactus stillatim difflueret „.

(1) Gallonius p. 137.

(2) Gallonius pag. 174. de hoc cruciatus genere paullo copiosius disserit. Quamobrem eum consulere lector poterit.

(3) Tertullianus *ad martyras cap.* v. *pag.* 139. *edit. venet. an.* 1744. « Iam et ad ignes quidam se auctora- « verunt, ut certum spatium in tunica ardente confi- « cerent ». Eamdem *lib.* i. *ad nationes cap.* xviii. *tunicam incendialem* vocat. Neque vero intexta solum huiusmodi rebus ea tunica erat, quae incendi facile posset; sed etiam illita. Nam Seneca *epist.* xiv. *p.* 235. *seq. edit. amstelod. an.* 1633. « Cogita, *inquit*, hoc loco carcerem, « et cruces, et eculeos, et uncum, et adactum per me- « dium hominem, qui per os emergat, stipitem, et « distracta in diversum actis curribus membra, et il- « lam tunicam alimentis ignium et illitam, et inte- « xtam, quidquid aliud praeter haec commenta sae- « vitia est ».

(4) Vide *tom.* i. *huius op. p.* 416. *seq.*

(5) *Cap.* xxi. *pag.* 212. *seq. edit. an.* 1748., *tom.* ii. *opp. Lactantii.*

(6) Varia ignis tormenta describuntur in actis ss. mm. Tarachi, Probi, et Andronici apud Ruinartium *pag.* 380. *seq. edit. veron.* Num. enim 4. sic habetur: « Maximus dixit: Afferte ignem, et expandite manus « eius, et unite ... ligate eum a pedibus, et in altum « eum suspendite, et acrem fumum supponite ad fa- « ciem eius (Tarachi) ... Afferte acetum acre cum sale, « et in nares eius infundite ... Immiscete sinape cum « aceto, et perfundite nares eius. Maximus dixit ... « Nunc ignite ferrum, et mittite Probo. Probus dixit: « Ignis tuus tepidus est, et me non contingit. Maxi- « mus dixit: Ignite arctius ferrum, et stante eo iuxi-

XIX.

De graphiis, de stimulis, de serris, lanceis, gladiisque, quibus ss. martyres ab ethnicis caussa religionis cruciabantur.

Graphiis martyres aliquot confessi fuerunt (1). Erant autem *graphia* aenea instrumenta, quibus in albo, hoc est in ceratis tabulis, veteres scribebant (2).

Iam vero *stimulos* fustes, seu arundines acutis cuspidibus

. .

« cite illi ... Radite ei caput, et igneas prunas suppo- « nite ei ». Num. 7. p. 386. « Maximus dixit ... Tol- « lite obeliscos, et incendite nimis, et sub alas eius « (Tarachi) ponite ». Num. 8. « Maximus dixit : Igni- « te obeliscos, et lateribus eius apponite. Nimis igni- « te obeliscos, et in dorso Probi ponite. Ignite obeli- « scos, et auris eius imponite ». Num. 9. « Maximus « dixit : Date papyrum et manipulos inde facite, et « apponite ignem ventri Andronici ... Incendite obe- « liscos, et ardentes ponite inter digitos eius ... Den- « tes autem eius, et blasphemam linguam tollite, et « comburite, et cinerem facite, et ubique spargite, ut « nemo de consortibus eius impiis, aut de mulIercu- « lis aliquis colligat ». Sed operae pretium esse censui heic tab. 42. ponere, quam refert Gallonius p. 179. in qua, *A.* martyrem in fossam ignitis carbonibus plenam coniectum, *B.* ad iv. stipitem alligatum, *C.* in cupam positum. Cupa autem dolii erat genus. Confer Caesarem *lib.* VIII. *de bello gallico cap.* XI. *pag.* 308., *et lib.* II. *de bello civili cap.* XI. *pag.* 395. *edit. taurin.*, ubi *cupas,* inquit, *taeda, ac pice refertas incendunt etc.* Vide Gallonium p. 173. De Iohanne in dolium ferventis olei immisso vide *tom.* I. *huius op. p.* 394. *n.* 5., *et* 431. *n.* 1. *D.* in rogum coniectum, *E.* stipitibus erectis ligatos martyres funibus pice etc. illitis, *F.* in propriis aedibus et in carcere exustos, *G.* in fornacem immissos, *H.* in navim ascendere coactos incensosque exhibet.

(1) Prudentius hymno IX., qui est de s. Cassiano *p.* 111. *edit. an.* 1625.

« Erexi ad caelum faciem, stetit obviam contra
« Fucis colorum picta imago martyris,
« Plagas mille gerens, totos lacerata per artus
« Ruptam minutis praeferens punctis cutem.
« Innumeri circum pueri, miserabile visu,
« Confossa parvis membra figebant stylis.
« Unde pugillares soliti percurrere ceram,
« Scholare murmur adnotantes scripserant.
« Aedituus consultus ait : Quod prospicis hospes,
« Non est inanis, aut anilis fabula.
« Historiam pictura refert, quae tradita libris,
« Veram vetusti temporis monstrat fidem.
« Praefuerat studiis puerilibus, et grege multo
« Septus, magister puerorum sederat.
. . . .
« Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
« Adest acutis agmen armatum stylis,
« Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
« Effudit ardens felle tandem libero etc.

Gregorius nazianzenus *orat.* III. *p.* 89. *tom.* I. *opp. edit. colon.* « Marcus Arethusius e pueris ad pueros pendu- « lus remittebatur, cultris pennariis generosum illud « corpus excipientes, atque hanc tragoediam instar lu- « di habentes ». Vide Theodoritum *lib.* III. *hist. eccl. cap.* VII. *p.* 129. *edit. cantabrig.* Confer etiam Gallonium pag. 167.

(2) Cuiusmodi hi styli, seu pennarii cultri essent, indicat tab. 43. quam heic ponendam curavi. Exhibet enim ea paedagogum laeva manu volumen tenentem, dextram autem elevantem, puerum volumen utraque manu gestantem, atque legentem, et puerum alterum *stylo* in tabula scribentem. Marmorea tabula, in qua anaglypho opere expressa haec erant, effossa ante annos aliquot fuit prope s. Mariae aedem in monte Caelio. Adisis Boldettum *lib.* II. *cap.* II. *p.* 333. *seq.* Idem ipse Boldettus de stylis eiusmodi *ibid. p.* 332. *seq.* disserit de inscriptione sepulcrali, quae sic habebat : MARTINVS IN PACE, reperta in coemeterio Gordiani, quae n. 2. exhibet stylum, n. 3. pugillarem. Refert praeterea n. 5. 6. et 7. instrumenta cum stylo, quae ad commode scribendum conferrent, n. 8. gemmam, in qua scalpta manus est stylum tenens, modumque indicans, quo scribere veteres consueverant. Confer Fabrettum *inscript. domest. cap.* III. *p.* 206.


H
G
F
E
D
A



fuisse Gallonius putat, quibus bibulci boves pungere solerent. Atque hoc item cruciatus genere martyres torquebantur (1).

Nam *serras* etiam adhibebant interdum inimici christianae religionis, ut de nostris supplicium (2) sumerent. Quamobrem sectos fuisse aliquos legimus in antiquis monumentis ecclesiarum.

Ac *lanceis* nonnullos fuisse terebratos, atque (3) transfixos constat. Erant autem lanceae similes earum, quae etiamnum sunt in usu, appellanturque eodem nomine (4).

Gladio autem permultos fuisse necatos traditum memoriae a maioribus nostris est, qui aut historiam ecclesiae, aut acta ss. martyrum descripserunt (5).

(1) Vide Gallonium *p.* 158. *seq.*, Prudentius hymno XI. περὶ στεφάνων, qui est de s. Hippolyto *p.*141. *edit. an.* 1625.

» Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
» Ultima vox audita senis memorabilis haec est :
» Hi rapiant artus, tu rape Christe animam.

Clavis quoque martyres confodiebantur. Consule acta ss. mm. Tarachi, Probi, et Andronici apud Ruinartium pag. 688., Sagittarium p. 174., et Gallonium *ibid.* De terebris adeundi Gallonium *ibid.* *p.* 169., et Aringhus *Romae subterr. p.* 668. *tom.* II.

(2) Sozomenus *lib.* II. *hist. eccl. cap.* XII. *pag.* 60. *edit. cantabrig.* de Tarbula Simeonis episcopi sorore, et altera sorore, deque eius ancilla loquens, « Magi, *inquit*, » Tarbulam, et reliquas duas corripientes, capitali supplicio addicunt, serraque bifariam dissecta, patibulis suffixerunt ». Consulendi bollandiani *ad d.* 22. *aprilis tom.* III. *p.* 22. *edit. antuerpiensis*, et Ruinartius *act. ss. Pherbutae etc. p.* 504. *edit. veron.*, Gallonius *ibid. p.* 168., et Sagittarius *p.* 206.

(3) Vide Sagittarium p. 59., et Gallonium p. 189.

(4) Constat id quidem ex veteribus monumentis permultis, et ex arcu etiam Constantini, cui insculptae lanceae magno numero cernuntur. Aringhus *lib.* VI. *cap.* I., « Lancea ferrea, quam fere rubigo consumpsit, » in eodem b. Agnetis coemeterio intra sepulcrum in» venta, procul dubio nobilis pro Christo martyrii in» strumentum extitit ». Hanc nos exhibuimus supra tab. 40. huius vol. Boldettus *lib.* I. *cap.* LX. *pag.* 315. invenisse ait se in coemeterio Callisti lanceam ferream, cuius figuram *ibid.* proponit, qua verisimile esse putat, eumdem martyrem fuisse transfixum. Quin etiam exhibet eodem loco inscriptionem sepulcralem Agapiti, cui est lancea insculpta. Vide acta ss. mm. Rogatiani, et Donatiani apud Ruinart. p. 248. n. 6., qui circa annum 187. decesserunt.

(5) Consule acta s. Polycarpi n. 13. apud Ruinartium *p.* 31. n. 6., *et p.* 65. *edit. veron.*, ss. mm. scillitanorum n. 5. *p.* 73., ss. Perpetuae, et Felicitatis n. 21. *p.* 88., ss. Petri, Andreae, et Pauli n. 6. *p.* 136., ss. Tryphonis, et Respicii n. 6. *p.* 139., s. Hippolyti *pag.* 146. *v.* 65., s. Cypriani n. 18. *p.* 177., *et* 189. *seq.*, ss. Iacobi, et Mariani *p.*199. n. 12., ss. Montani, et Lucii n.13. *p.* 205., *et* n. 23. *p.* 207. *seq.*, s. Genesii n. 3. *pag.* 237., ss. Mauricii etc. n. 3. *p.* 243., ss. Donatiani, et Rogatiani n. 6. *p.* 248., s. Bonifacii n. 13. *pag.* 263., ss. Victoris etc. *p.* 262. n. 16., s. Maximiliani *num.* 3. *p.* 264., s. Marcelli centurionis n. 3. *p.* 266., s. Theodoti *p.* 307. n. 31., s. Procopii n. 2. *p.* 311., s. Felicis n. 3. *p.* 314., ss. Didymi, et Theodorae n. 6. *p.* 355., s. Irenaei episcopi sirmiensis *p.* 338. n. 6., s. Eupli n. 3. *pag.* 362., ss. Tarachi, Andronici, et Probi n. 11. *p.* 392., s. Crispinae n. 2. *p.* 396., s. Agnetis *p.* 404., s. Genesii arelatensis *p.* 474., s. Phocae *p.* 493. n. 3., ss. Simeonis et aliorum mm. persarum *p.* 498., ss. Sadoth etc. *p.* 506., ss. Bonosi etc. *pag.* 522. Confer Eusebium *hist. eccl. p.* 382. 385. 386. 400. 407. 409. 412. 422. 426. 432. 433. *edit. cantabrig.* Tertullianus *lib. ad martyras cap.* IV. *p.* 139. *edit. venetae an.* 1744. ait : « Igitur si tantum » terrenae gloriae licet de corporis, et animi vigore, » ut gladium, ignem etc. Medicae sunt istae passiones » ad consecutionem gloriae caelestis etc. ». Sed Iustini martyris, Tertulliani, Cypriani, aliorum patrum loca, acta martyrum, quae bollandiani, et Ruinartius, et Evodius Assemanus vir eruditissimus, aliique collegerunt, recensere longum est. Consulendi Sagittarius *p.*57. *seq.*, et Gallonius p. 159.

XX.

Ut secti ventres quorumdam martyrum, utque eorum plerique sagittis confixi, vel capite plexi sint.

Tanta vero immanitas quorumdam ethnicorum fuit, ut aut *ventres* sanctorum virorum secare, et iecur (1) comedere, aut fortissimas virgines rasas, gravissimisque tormentis excruciatas, deindeque dissectas, et hordeo, iisque rebus, quibus sues vescuntur, repletas, porcis vorandas exponere auderent (2).

Sagittis item transfixi haud pauci (3) fuerunt. Quod, cum ex aliis documentis permultis, tum ex actis quorumdam ss. martyrum plane liquet.

Capite autem hoc modo christiani ab hostibus plectebantur. Principio virgis caedebantur, tum ad locum supplici adducti Deo sese, suos, ecclesiam, principes, atque inimicos ipsos fusis precibus commendabant; inde sudariis, panniculisve quibusdam eis oculi ligabantur, post genua flectere viri optimi, atque sese paullulum incurvare cogebantur. Postremo ictu gladii obtruncabantur, et martyres praemium obtinebant, quod illis fuerat in caelo paratum (4).

(1) Theodoritus *lib.* III. *cap.* VI. *p.*128., *ubi de Cyrillo diacono, edit. cantabrig.*

(2) Vide Sozomeni *lib.* V. *cap.* X. *hist. eccl. p.* 194. *edit. cantabrig.*

(3) Vide Aringhum *lib.* IV. *Romae subterr. c.* XXXVII. *p.* 335. *tom.* II., Gallonium pag. 195., et Sagittarium *cap.* XVIII. *p.* 202.

(4) Confer Gallonium *p.* 197. *seq.*, et Sagittarium *cap.* VIII. *p.* 61. *seq.* Acta sancti Cypriani apud Ruinartium p. 189., ubi haec habentur: « In agrum Sexti » productus est, et ibi se lacerna byrro expoliavit, et » genu in terra flexit, in orationem se Domino pro» stravit. Et cum se dalmatica expoliasset, et diaconi» bus tradidisset, in linea stetit, et coepit spiculatorem » sustinere. Cum venisset autem spiculator, iussit suis, ut » eidem spiculatori viginti quinque aureos darent... Po» stea vero b. Cyprianus manu sua oculos sibi texit, qui » cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Iulia» nus presbyter, et Iulianus subdiaconus ei ligaverunt. » Ita b. Cyprianus passus est etc. ». Acta ss. martyrum Montani etc. apud Ruinartium *p.* 305. *edit. veron.* n. 15. « Cum carnifex immineret, et gladius super cervices » eius libratus penderet, expansis ille ad caelum ma» nibus, voce clara, ita ut non tantum ad aures ple» bis, sed et gentiles quoque ipsos sonus vocis feriret, » oravit rogans et deprecans, ut Flavianus, qui per » suffragium populi de comitato eorum remanserat, » sequeretur die tertia. Et quo precis suae finem fa» ceret, manualem, quo oculos fuerat ligatus, in partes » duas discidit, et iussit alteram reservari, qua Flavia» nu oculi post crastinum ligarentur. Sed et in me» dio eorum in area solum servari iussit, ut nec se» pulturae consortio privaretur etc. ».

XXI.

De inscriptione vultus, de iis, quibus aut evulsi dentes, aut lingua recisa, aut truncati pedes, aut confracta crura, aut abscissae aliae corporis partes fuerunt, deque ss. martyribus verubus transfixis.

Neque cum ethnici solum, sed cum etiam haeretici (1) homines imperium obtinerent, atris notis christianorum orthodoxorum frontibus nescio qui versus interdum inscribebantur (2).

Evellebantur praeterea malleis dentes martyrum, quos erectis stipitibus nefarii homines alligaverant. Huius quidem supplicii facta ab Dionysio alexandrino mentio est, ut memoriae Eusebius tradidit in historia (3).

Eodemque modo stipiti adstrictorum cultris (4) linguae abscindebantur. Ac non solum viris, mulieribusque linguae, sed virginibus etiam mamillae recidi ab inimicis religionis tanta crudelitate solebant, ut earum vel hostes ipsi misererentur (5).

(1) Consule Gallonium *p.* 199. *seq.*

(2) Callon. *p.* 199. *seq.*

(3) Eusebius *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XLI. *p.* 305. *edit. cantabrig.* de s. Apollonia scribens, „ Maxillas quidem „ eius, *inquit*, verberantes, cunctos ei dentes excusse„ runt „. In actis ss. martyrum Tarachi, Probi, et Andronici apud Ruinartium *p.* 391. *edit. veron.* sic lego: „ Maximus dixit: Mittite ferrum in os (Andronici), et „ excutite ei dentes, et malam etc. „. Consule Boldettum *lib.* I. *cap.* LX. *p.* 316., et Gallonium p. 202., et Sagittarium p. 174. Mitto cetera monumenta, ne sim longior, quam oportet.

(4) Acta ss. Probi, et Tarachi, et Andronici *num.* 9. *p.* 391. apud Ruinart *edit. veron.* „ Maximus dixit ..... „ Malam, et blasphemam linguam (Andronici) exci„ dite, ut discat non blasphemare in principes .... „ Blasphemam linguam tollite, et comburite, et cine„ rem facite etc. „. Eusebius caesariensis *lib.* II. *de resurrectione* apud Ruinartium *in s. mart. romanum num.* 3. *p.* 316. „ Praecepto, *inquit*, iudicis insistente, ut lin„ gua incideretur sancti, et quia inventus est (medi„ cus, qui lapsus fuerat) parata habens ad istam ne„ cessitatem ferramenta, urgebatur incidere, quam no„ lebat, linguam. Et incidit quidem „. Vide *lib. de mart. palaest. cap.* II. *p.* 140. Igitur Prudentius hymno X. περὶ στεφάνων, qui est de s. Romano p. 114., canit:

„ Plectrum palati, et faucium saevus tibi
„ Tortor revulsit, nec tamen silentium
„ Indixit ori, quo fateberis Deum etc.

Sed cultrorum eiusmodi, quibus sancti Christi martyres aut iugulabantur, aut lingua, aliisque corporis partibus diminuebantur, duo reperta in coemeteriis sunt, alterum quidem in Pontiani, alterum in Callisti, atque illud in sepulcro Hyperecies martyris, hoc vero in loculo s. martyris Alexandri. Utriusque schema dedit Boldettus *lib.* I. *cap.* LX. *p.* 323. quem lector consulat.

(5) Prudentius περὶ στεφάνων hymno IV., qui est de 18. martyribus caesaraugustanis, *pag.* 90. *edit. an.* 1650. de s. Encratide loquens, sic scribit:

„ Barbarus tortor latus omne carpsit,
„ Sanguis impensus lacerata membra.
„ Pectus abscissae patuit papillae
Corde sub ipso.

Confer Sagittarium *p.* 161. *seq.*, et Gallonium *pag.* 201. *seq.* Neque abscindi semper mammae, sed interdum lacerari ab ethnicis solebant. Quamobrem Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* VI. *pag.* 418. *edit. cantabrig. hist. eccl.* „ Latera, *inquit*, Theodosiae virginis (inde) „ ac papillas ad ipsa usque ossa ferreis ungulis exara„ vit etc. „.

Nam manus, pedesque sic nonnullis praecidebantur. Collocabatur, vi ab ethnicis allata, recidenda pars corporis in tabula sive lapidea, sive lignea, inde carnifex brachium elevabat, securique manibus, pedibusque martyrem diminuebat (1).

Crurifragium ita fieri consueverat. Ferreus vectis parabatur, tum tibiae christiani incudi imponebantur, quas carnifex vectis ictibus perfringebat (2).

Sudibus etiam ligneis, ferreisque (3) verubus, ferreis acubus, radiisque textrinarum (4) vel acutis ex arundine detractis partibus, iisque inter ungues, carnemque infixis diris modis excruciati (5) christiani aliqui sunt, quorum sunt martyria ab anti-

(1) Membris corporis permultos fuisse diminutos, quod Christum colerent, auctor est Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* XII. *p.* 391. „ Alii naso, *inquit*, auribus, „ ac manibus troncati, ceterisque corporis membris „ mutilati sunt, atque concisi, ut contigit Alexandriae „. Acta s. Arcadii martyris apud Ruinartium n. 4. *p.* 467. *edit. veron.* sic habent : „ Tunc lictores acceptis mandatis, accedunt ad Arcadium, et ducunt ad victimae „ locum ... Profert illico manus (martyr), et cum ar„ ticulatim secaretur, orabat ... Insanus furore iudex, „ primum amputandam linguam mandare nescieverat... „ Et ipse (Arcadius) summa parte truncatus, in dor„ sum supinari iubetur ... Pedes alacris porrigit, ut „ crura, et femora simili crudelitate secanda, et pro„ tinus pedes articulis, crura pedibus, femora coxen„ dicibus, venter quoque cusis mera carnificum arte „ videantur „. Vide praeterea acta ss. mm. Iannarii etc. apud Ruinartium n. 4. *pag.* 470. *edit. sicud.*, et Galloniam p. 204. Boldettus *lib.* I. *cap.* LX. *p.* 316. exhibet lapidem sepulcralem Alexandri, cui forcipem addit, quibus forcipibus eidem lapidi insculptis, ut indiciis utitur, quo demonstrat eis fuisse membra ss. mm. dilacerata. „ L'anno, *inquit*, 1714. fu estratto da mon„ signor *Olivieri* sagrista ... dal cemeterio di Calepo„ dio nella via aurelia il corpo di un martire per no„ Alessandro, contrassegnato col suo vaso di sangue, ed „ insieme col nome era scolpita sulla lapida di mar„ mo una tenaglia, o sia forbice, e presso la medesi„ ma si vede pure delineato un certo frammento ... „ Non sarebbe inverisimile, che avesse indicato alcu„ na particella di carne svelta colla stessa tenaglia, o „ forbice dal corpo del medesimo s. Alessandro. Con „ queste forbici fu coronato s. Pelagio giovanetto nel„ la Spagna da Abderamene re de' saraceni, il quale „ *forcipibus ferreis membratim praecisus* ... „. *Martyrol. rom. ad diem* 15. *iun.* Vide praeterea acta s. Bonifacii m. apud Ruinartium n. 6. *p.* 251.

(2) Eusebius *lib.* VIII. *cap.* XII. *hist. eccl. pag.* 391. „ Quid nunc opus est reliquam memorare, aut multi„ tudinem hominum recensere, aut varias tormento„ rum species orationis penicillo depingere? Quippe „ cum admirandi martyres partim securibus caesi sint, „ ut in Arabia contigit, partim suffractis cruribus in„ terierint, quemadmodum accidit in Cappadocia „. Sed de crurifragio confer Galloniam *p.* 204. *seq.*, Laurentium loco supra indic. p. 3692., et Pitiscum *ad v. crurifragium*, qui auctores nominat, qui de hoc argumenti genere disputarunt.

(3) Dionysius alexandrinus apud Eusebium *l.* VI. *h. e. cap.* XLII. *p.* 308. de s. Ischirione martyre sic scribit : „ Praegrandi suda correpta transfixum per media visce„ ra hominem interfecit „. Vide Galloniam *p.* 205. *seq.*, et Sagittar. p. 155. Lubet heic ponere tab. 44., quam refert Gallonius p. 255., quaque sub oculos constitui possunt, quos supra descripsi vel infra describam ss. martyrum aliquot cruciatus. *A.* significat martyrem, cui pellis detrahebatur, *B.* cui cor, et viscera extrahebantur, *Theodorit. lib.* III. *cap.* VI *p.* 126. *C.* securi contusum, *D.* gladio obtruncatum, *E.* telis confixum, *F.* praeacuta sude transverberatum, *G.* ad duorum arborum ramos ligatum et discerptum, *H.* acutis arundinibus inter carnem et ungues digitorum infixis tortum.

(4) De hac re vide Galloniam p. 207.

(5) Eusebius *lib.* VIII. *cap.* XII. *p.* 392. *edit. cantabr.* Acta s. Bonifacii martyris p. 352. apud Ruinartium n. 9. „ Tunc furore repletus iudex iussit, ut calami acuren„ tur, et eos affigi sub ungulis manuum eius „. Vide Galloniam *ibid.*, et Sagittarium p. 154. De verubus confer Sozomenum *lib.* V. *cap.* XI. *pag.* 191. *edit. cantabrig.* Quid? si acutis arundinibus vultus sanctorum martyrum oculosque pungere ethnici auderent? Euseb. *lib.* VI. *hist. cap.* XLI. *p.* 304. Similem cruciatum describit Theodoritus *lib.* V. *hist. cap.* XXXIX. *pag.* 241., ubi de Beniamino martyre in Persida agit, „ Exasperatus, *inquit*, rex viginti „ arundines praeacutas manuum, pedumque eius un„ guibus infixit. Sed cum animadverteret hunc crucia„ tum ab illo pro ludicro haberi, aliam rursus acutam „ arundinem genitali eius membro infixit, eamque sus-

T. III. TAB. XXXXIV pag. 166.



T. III. TAB. XXXXV pag. 167.



quis rerum nostrarum scriptoribus historiarum mandata monumentis (1).

XXII.

De martyribus ex altissimis locis in praeceps actis, in mare, vel in flumina immisericorditer proiectis, raptatis, ad bestias damnatis, muribus, ut eos abroderent, obiectis, prostratisque, ut ab equitibus proculcarentur.

Non defuerunt autem, qui Christi sectatores in altissima loca vi traherent, atque in praeceps agerent, quod fortes eos in sententia persistere viderent. Immo vero extiterunt ex ethnicis (2) homines moribus adeo efferatis, ut in navim impellere, ingenti-

„ dua extrahens, et inserens inexplicabiles ei dolores inferebat „.

(1) Innumerabilia tormentorum genera praetermitto. De sale et aceto, quibus vulnera ss. mm. perfundebantur, *Euseb. lib.* VIII. *cap.* VI. *pag.* 352., de testis, quibus perfricabantur eorum plagae, act. ss. mm. Tarachi, Probi, et Andronici n. 4. p. 380., deque aliis innumeris longum est dicere. Radi autem capita mulierum novacula solebant ignominiae caussa, ut ex acta ss. mm. Claudii, Asterii, et Domninae etc. plane constat, *num.* 5. *pag.* 235. *edit. Ruinartii veron.* De cutis direptione vide acta Basilii Ancyrani *ibid. p.* 514. n. 6., et Prudentium περὶ στεφάνων hymno X., qui est de s. Romano, *p.* 130. *edit. an.* 1625., ubi haec habet ;

„ Comam cutemque verticis revulserat
„ A fronte tortor, nuda testa ut tegmine
„ Cervicem ad usque dehonestaret caput.

Et quoniam de mulierum tormentis mentio incidit, observandum est, non decalvatas modo eas fuisse, sed etiam obscoenis dictis ab hostibus exagitatas, velamento capitis privatas, denudatas, et protrusas in lupanaria fuisse. De qua re adeundus Sagittarius *cap.* XV. *per tot. p.* 151. *seq.* Extremum est, ut de malleo, et cultro pauca dicam. Dominicus Georgius ὁ μακαρίτης in *lib. de monogrammate Christi pag.* 6. sic scribit : „ In lapide „ Laurentii cuiusdam martyris sepulcrali (quem *ibid.* „ exhibet) ad latus malleolum cum cultro videri, *inquit*, „ quae instrumenta ideo videantur impressa, ut significaretur, Laurentium veluti Christi victimam, Deo fuis„ se mactatum, et hoc pacto deriderentur gentiles, qui „ malleo, et cultro in mactandis victimis utebantur „. Quamquam erunt fortasse, qui artis, quam Laurentius profiteretur, instrumenta malleo, atque scalpro indicari putent. Fabrettus *inscript. domesticar. cap.* VIII. *p.* 587. refert inscriptionem, quae sic habet :

ΑΓΙΟϹ . ΘΕΟϹΕΒΕϹ
ΕΥΤΡΟΠΙΟϹ . ΕΝ ΙΡΗΝΗ
ΥΟϹ ΕΠΟΙΗϹΕΝ. Κ. Ι. Κ. ϹΕΠ.

Sanctus Dei cultor Eutropius in pace filius fecit. Obiit ad d. 10. *kal. sept.* Ad quam inscriptionem sic notat : „ Piissimus hic Eutropius inter martyres videtur ad„ scribendus, et vasculo illo, quod tamquam sangui„ ne pro Christo effuso repletum ostentat, laevaque „ manu sustinet, passis ambabus in modum orantis. „ Artificium ipsius, dum in humanis versabatur, fuis„ se sculptoribus, vel dignioris artis vocabulo statuarii „ ab eleganti illo sarcophago, cui terebrum admovet, „ modo suis temporibus insolito, ut pueri ope cor„ dula circumplexa, et hinc inde brachiis alternanti„ bus agitata volvatur, satis colligi videtur „. Consule Boldettum *lib.* I. *cap.* LX. *p.* 316. *seq.* Huc spectat tabula, quam refert Gallonius p. 254., et quam retuli ipse tab. 45. *A.* exhibet sanctam martyrem ignominiae caussa ad prostibulum vi perductam, B. rasam, et dedecore affici videratur.

(2) Vide acta ss. Leonis, et Paregorii apud Ruinartium n. 5. *p.* 481. *edit. veron.*, et Eusebium *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XLI. *p.* 305.

busque saxis eorum collis alligatis (1), in mare proiicere, auderent, ac si mare aberat, fluminibus immergendos arbitrarentur (2).

Quid? si collis, caudisve equorum persaepe eos alligabant, et per loca aspera, atque saxosa, ac spinis, carduisque consita raptabant, quoad vivere desiissent (3)?

Estque sapienter ab Gallonio scriptum, non uno, eodemque modo sanctos martyres feris obiici consuesse. Nam aliquando vestibus denudati in mediis (4) amphitheatris, aliisque locis, aut

(1) Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* VI. *pag.* 382. „ Imperiali iussu, quotquot Nicomediae erant Dei cultores acervatim cum suis familiis alii gladio, flammis alii consumti periere „. Alios quoque innumerabiles vinctos, et scaphis impositos, carnifices in profundum mare proiecere „. Confer *lib. de martyribus palaestinis cap.* IV. *p.* 414., *cap.* VII. *p.* 418. Quid? si culeo una cum cane et aspide insuti, in mare interdum s. martyres praecipitabantur? Vide Euseb. *ibid. cap.* V. *p.* 416., sed de culeo consule Gallonium *p.* 219. *seq.* In actis s. Iuliani apud Ruinartium *ibid. p.* 477. haec ex Iohanne Chrysostomo habentur: Allato sacco, et arena completo, cum in eum scorpiones, et viperas, et dracones iniecisset, cum illis et sanctum iniecit, et in mare demisit.

(2) Gallonium *ibid. p.* 219. *seq.*, Prudentius hymno VII. περὶ στεφάνων, qui est de s. Quirino, p. 108.


„ Summo pontis ab ardui
Sanctae plebis episcopus
In praeceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molae etc.


Vide Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* XII. *p.* 394. *seq.*, s. Aug. *lib.* I. *de C. D. cap.* XXVI. Adeundus Sagittarius *cap.* XI. *pag.* 128. *seq.* In puteos quoque ethnici, atque haeretici catholicos proiicere audebant. Confer Sagittarium *ibid. pag.* 131. Nonnulli sanctos martyres plumbeis loculis includebant, et in mare praecipites agebant. Consule Guilielmum Caveum *de relig. ant. christ. etc. tom.* II *cap.* VII. *pag.* 153. *edit. an.* 1711. Vide Gallon. p. 255., quo loco hanc tabulam 46. refert, in qua *A.* indicat martyris frontem stigmatibus notatam, *act. s. Cypr. mart. apud Ruinart. p.* 185. *edit. veron. vide Sagitt. p.* 166. *B.* eius crura confracta, *C.* eumdem ferarum pellibus indutum, *D.* vel alio modo canibus obiectum, *E.* in puteum praecipitem actum, *F.* culeo insutum, *G.* vel loculo plumbeo inclusum, et in mare proiectum.


(3) Acta s. Hippolyti martyris ex Prudentio apud Ruinartium *act. ss. mm. sincera edit. veron. p.* 147. Interdum etiam ab equitibus proculcabantur. Vide Gallonium *p.* 208. *seq.*, Sagittarium *p.* 138. *seq.*

(4) Tertullianus apologetici *cap.* XL. *pag.* 126. *edit. an.* 1744. „ Si Tyberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim christianos ad leonem „. Et *cap. ult.* „ Nam et proxime ad leonem clamando christianum confessi estis „. Et *ad nationes lib.* I. *cap.* III. *p.* 42. *edit. an.* 1744. „ Adeo si de criminum veritate constaret, ipsa criminum nomina damnatis accommodarent, ut ita pronunciaretur in eos: illum homicidam, vel incestum, vel quodcumque inclamur, duci, suffigi, ad bestias dari placet „. S. Cyprianus *epist.* LIX. *al.* LV. *pag.* 130. *edit. oxon.* queritur, *se toties ad leonem petitum in circo.* Item *se clamore popularium postulatum in circo.* „ Ceterum dico, dico enim provocatus, dico dolens, dico compulsus; quando episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi universi suffragio deligitur, quando Dei auxilio in persecutione protegitur collegis omnibus fideliter iunctus, plebi suae in episcopatu quadriennio iam probatus, inquietae serviens disciplinae, in tempestate proscriptus, applicato, et adiuncto episcopatus sui nomine, toties ad leonem petitus, in circo, in amphitheatro dominicae dignationis testimonio honoratus. His ipsis etiam diebus, quibus has ad te litteras feci, ob sacrificia, quae de edicto proposito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad leonem denuo postulatus in circo „. Quod autem nudi interdum bestiis obiicerentur, constat ex hist. eccl. Eusebii *lib.* VIII. *cap.* VII. *pag.* 384. „ Solos, *inquit ille,* sacrorum athletas γυμνοὺς, *nudos,* stantes, et commotis manibus (bestias in se) provocantes, id enim facere iubebantur, ne contigerunt quidem ferae „. Negari autem non potest, quin vestibus induti expositi morsibus bestiarum interdum fuerint. Confer Eusebium *lib.* V. *cap.* I. *p.* 306. In actis sanctarum Perpetuae, et Felicitatis num. 20. apud Ruinartium p. 87. haec habentur: „ Revocatae discinguntur. Inducitur prior Perpetua, iactata est, et concidit in lumbos, et ut conspexit tunicam a latere discissam, ad velamentum femorum adduxit, pudoris potius memor, quam doloris „. Sed de martyribus feris obiectis confer acta sancti Ignatii episcopi, qui Traiano imperatore decessit, apud Ruinartium *p.* 15. *edit. veron.*, et acta sancti Hippolyti ex Prudentio *ibid. p.* 47., et Sagittarium *cap.* IX. *per tot. p.* 69. *seq.*

T III. TAB. XXXXVI. pag 168.




D
B
A



stipitibus (1) adstrictis, aut soluti (2), aut ferarum pellibus (3) convestiti, aut pedibus perforatis (4) lapidibus liquefacto plumbo insertis, et candentibus subulis (5) in manuum digitis per longum defixis, canibus, leonibus, tauris, ursis, aliisque feris laniandi exponebantur.

Foveas (6) persae diligenter facere, iuungere deinde mem-

(1) Multa in hanc rem dici possent; sed ne sim longus hoc uno Eusebii testimonio ex epistola lugdunensis, et viennensis ecclesiarum ad ecclesias Asiae contentus ero. Nam *lib. v. hist. eccl. cap. i. p.* 206. *edit. cantab.* « Blandina, *inquit*, ad palum suspensa bestiis obiecta « est ». Atque huc spectat illud Tertulliani de *pudicitia cap. ult. p.* 575. *edit. venetae an.* 1744. *In stipite iam leone concesso.* Sed martyres cum ad huiusmodi supplicia, aut in forum ducebantur, trahi quandoque funibus ad collum ligatis solebant. Vide acta s. Pionii n. 15. apud Ruinartium p. 125., ss. Tryphonis, et Respicii num. 1. p. 138. Neque funibus modo trahebantur, sed etiam freno in os iniecto. Act. s. Cyrici, et Iulitae apud Ruinartium n. 4. p. 421. « Carnifices eius ore chamo obstructo, « ac alligato, in solitum carnificinae locum, quod iussi « erant, impleturi duxerunt etc. » Tabula quam exhibet Gallonius pag. 259., et quam nos huc transtulimus signatam n. 47., non solum ad rem, qua de agimus, sed ad earum etiam aliqua, quae dicta superius sunt, illustranda pertinet. *A.* martyrem vestibus exutum, et super murices ferreos pressum, *de qua re disserit Gallonius p.* 224; *B.* alligatum, atque ad supplicium, vel ad carcerem ductum, *C.* in calcis fornacem, *ut paullo post dicam*, aut in fornacem ignis ardentis coniectum, *ut acta s. Drosidis virginis apud Ruinartium p.* 474., *et acta ss. Bonosi etc. n.* 4. *p.* 622. *apud eumdem ostendunt*. *D.* ex altissimo loco praecipitem actum significat.

(2) Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* VII. *pag.* 384. « Vidisses tunc adolescentulum vixdum vicesimum aetatis annum ingressum absque vinculis stantem, et « manibus in crucis formam expansis, firmoque, et « impavido animo attentissime Deo supplicantem, nec « ab eo, in quo steterat, loco recedentem, aut ullatenus declinantem; cum interim ursi, et pardi fu« rerent, ac mortem anhelitu ipso spirantes, membra « illius pene iam morsibus invaderent ».

(3) Tacitus *lib.* XV. *annalium cap.* XLIV. *p.* 279. *edit. an.* 1668. « Auctor nominis eius (sectae) Christus, qui « Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pi« latum supplicio affectus erat ... Igitur primo corre« pti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo « ingens, haud perinde in crimine incendii, quam hu« mani generis odio convicti sunt. Et pereuntibus addi« ta ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum « interirent ».

(4) Gallon. *p.* 210. *seq.*

(5) Confer Sagittarium pag. 183., et Gallonium *p.* 210. *seq.* Reticulis praeterea includebantur martyres quandoque, dum feris obiicerentur. Eusebius *lib. v. cap. i. hist. eccl. p.* 209. „ Blandina, *inquit*, reticulo inclusa, tauro „ obiecta est. A quo diu in altum iactata, nihil iam eo„ rum, quae fiebant, sentiens, tum ob spem, et com„ prehensionem eorum, quae credebat bonorum, tum „ ob familiarem congressum, quem cum Christo in ora„ tione habebat, tandem et ipsa victimae instar iugula„ ta est „. In actis praeterea ss. Perpetuae, et Felicitatis n. 20. *apud Ruinartium edit. veron. p.* 87. haec habentur. «Itaque despoliatae, et reticulis inclusae producebantur». Quo autem modo ursis discerpendi exponerentur, cognosci ex iisdem ss. Perpetuae et Felicitatis actis *loc. cit. num.* 19. potest. « In commissione (sic enim lego) « spectaculi (Saturninus) et Revocatus leopardum ex« perti, etiam super pulpitum ab urso vexati sunt ... « Saturus solummodo tractus est, et cum ad ursum « substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire no« luit ». Gisbertus Cuperus in notationibus ad librum Lucii Caecilii de mortibus persecutorum, operum Lactantii *tom.* II. *edit. paris. an.* 1748. *pag.* 466., Commodam imperatorum amphitheatri arenam tab. 48. fig. 1. divisione animadvertit in partes aequales quatuor, ut tab. 48. fig. 2. exhibet, idque iam fecisse inter se iunctis, et in altum erectis tabulis. At haec tabulata adeo alta non erant, ut impedire spectatores possent, quo minus, quae in arena gerebantur, viderent. Sed cum hoc Commodi instituto pontes, qui in actis memorentur, nihil commune habere censet Cuperus. Nam pontes fuisse „ tabulata allevata in modum pontium, ita ut „ una pars terram tangeret, altera vero pedibus ligneis „ ex aliave materia factis allevaretur, in quibus damnati „ statuebantur, vel constringebantur, ut maiore impetu „ ferae in eos ferrentur, et dilaceratio ... ab omnibus „ posset conspici. Nullam tum fuisse amphitheatri divisio„ nem, sed ipsa arena patente ... pontes fuisse extru„ ctos, ad eum ferme modum, quem tab. 48. fig. 3. exprimit. Nam exhibet ea quidem martyrem reticulo inclusum, et ponti adstrictum. Ac *pontem* alii *pulpitum* appellant. Sed de saevitia Diocletiani, et tyrannorum reliquorum feris christianos, ut lacerarentur, obiicientium, vide etiam Caecilium *cap.* XXI. *libri de mortibus persecutorum p.* 242.

(6) Gallonius p. 219.

bra christianorum, inque lacum (1) eos immittere, post mures conquirere, atque una cum sanctis viris ibidem concludere solebant, ut fame eae animantes adactae ad martyres accederent, eosque roderent, ac vita denique privarent.

XXIII.

Terra obruti nonnumquam ss. martyres, aut in calcis fornacem iniecti fuerunt.

Fossas praeterea fieri ethnici curabant, in quibus aut ad renes usque christianos, aut toto corpore sepelirent, et terra, saxisque obruerent (2).

Neque vero his tot suppliciis contenti esse poterant, qui tanto furore in contemtores deorum ferebantur. Nam in calcis fornacem (3), cum maxime ferveret, permultos nostrorum hominum coniicere non dubitabant.

XXIV.

De martyribus ad opera publica damnatis.

Damnabantur autem a romanis rei ad opera aedificiorum, ad purgandas cloacas, ad munitiones viarum, ad metalla, posteaquam eos ignominia (4) affecissent. Christiani igitur, qui acti legum, maiestatisque rei erant, his tot incommodis premebantur.

(1) Theodoritus *lib. v. hist. eccl. cap.* XXXIX. *p.* 240. *edit. cantabr.* De persarum saevitia in christianos agens, « Foveas, *inquit*, fodientes, easque diligenter oblinentes, magnorum murium agminibus implebant, pietatisque athletas eis in pabulum praebebant, manus « illorum, ac pedes vincientes, ne bestias ab se abigere possent. Mures, urgente ipsos fame, carnes sanctorum paulatim depascebantur, diuturnum, et acerbum cruciatum eis inferentes ». Hoc supplicii genus exprimit tabula, quam refert Gallonius pag. 57. Vide huius vol. tab. 49.

(2) Gallonius p. 219.

(3) In actis ss. mm. Bonosi etc. n. 3. pag. 521. apud Ruinartium sic habetur: « Iulianus dixit: Afferta mihi calcinam vivam, et ibi eos includam, et « super eos extinguatur calcina ..... Et missis illis in « calcinam vivam, coeperunt desuper extinguere eam ». In tabula, quam refert Gallonius pag. 257. haec vero n. 49., *A.* martyres muribus obiectos, *B.* in angustioribus custodiis confertim inclusos, *Euseb. lib.* VIII. *cap.* VI. *hist. eccl. p.* 383. *edit. cantabrig.* *C.* obtritos ab equitibus exhibet.

(4) Ad metalla enim sancti Christi confessores servilem in modum damnabantur. Tertullianum *cap.* XXVII. *apolog. p.* 97. *append. edit. opp. an.* 1744. « Dum vice « repugnantium, et rebellantium ergastulorum, sive « carcerum, vel metallorum, vel hoc genus poenalis « servitutis erumpunt adversus nos etc. ». Et *cap.* XII. *p.* 48. « Cervices ponimus ... ad bestias impellimur ... « ignibus urimur ... in metalla damnamur ». Victorinus pictaviensis episcopus *commentar. in cap.* IX. *apocalyps. tom.* III. *bibliothecae pp. edit. lugdunensis*, s. Iohan-


B
C
A

T. III. TAB. I. pag.171.




A

Nonnulli qui orti e magnis familiis essent, propterea quod christianam religionem (1) profiterentur, et, quas ethnici dignitates pollicebantur, nihili penderent, in eum vitae statum venerunt, ut camelos, oves, suesque pascere cogerentur (2).

num evangelistam ei rei laisse addictum ab ethnicis scribit. S. Cyprianus *epist.* LXXVI. *p.* 234. *edit. oxon.* « Quid mirum si vasa aurea, et argentea in metallum ..... dati estis »? Et paullo ante p. 230. « In metallis, *inquit*, et vinculis demoratur ». Epistolae autem LXXIX. p. 237. haec est inscriptio « Cypriano carissimo, et dilectissimo Felix, Iader, Polianus, una cum presbyteris, et omnibus nobiscum commorantibus apud metallum signense, aeternam in Domino salutem ». Confer etiam Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* XII. *p.* 398., et *lib. de martyribus palaestinis cap.* V. *p.* 416., et *cap.* VI. *p.* 419. ubi « Pro vera, *inquit*, pietate singularem constantiam ostenderunt, et ad opus in metallis faciendum ... condemnati sunt, decretumque, ut pedum iuncturae candente ferro prius ipsis debilitarentur ». Et *cap.* VII. *p.* 420., et *cap.* XI. *p.* 433., et *cap.* XIII. *p.* 435. Damnatorum ad metalla, aut dimissorum, non modo debilitabantur crura, sed etiam oculi interdum affodiebantur. De qua re adeundi Lucius Caecilius *cap.* XXXVI. *lib. de mort. persec. pag.* 232. *tom.* II. *opp. Lact. edit. paris. an.* 1748., et Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* XII. *p.* 392. *seq. edit. cantabrig.*, et a novis Gisbertus Cuperus in notationibus ad mox indicatum Caecilii locum *p.* 484. *edit. eiusd.* Ad latomias quoque damnati nostri quandoque fuerunt. Vide Euseb. *lib. de martyribus palaestinis cap.* VIII. *p.* 420., et Sagittarium p. 45. Quin etiam coacti sunt, ut arenam nonnumquam affoderent. Sagittarius *ibid. p.* 46.

(1) Theodoritus *lib.* V. *hist. eccl. cap.* XXXIX. *p.* 240. *edit. cantabrig.* « Hormisda quidam erat valde nobilis apud persas ..., Hunc rex cum christianum esse didicisset, ad se adduci, et Deum servatorem suum negare iussit. Verum ille regem se imperare respondit, quae nec iusta essent, nec utilia ... Rex fortissimum athletam divitiis, et honoribus spoliavit, nudumque solo tectum subligaculo, camelos exercitus trahere praecepit. Multis post diebus elapsis, rex a camera prospiciens videt optimum illum virum solis radiis perustum, et pulvere oppletum. Tum paternae memor nobilitatis, eum ad se accersit ... Eius constantiam animadvertens rex, eum, ut erat, nudum ex imperii sui finibus eiecit ». Confer Gallonium p. 245., qui de Armogasto comite, et confessore a vandalis pastore vaccarum constituto, ex Victore Vitensi, disserit. Adeundus quoque Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* XII. *p.* 434., qui episcopos aliquot alendis camelis, equisque fuisse ab ethnicis destinatos scribit. Fuerunt item nonnulli adacti, ut segetes demeterent, quod est ab Gallonio animadversum p. 261. ubi refert tabulam, heic n. 50. signatam, quae litt. *A. B.* martyres ad metalla damnatos, *C.* animalium rationis expertium curae addictos, D. ad affodiendam arenam, *E.* aut ad segetes demetendas, *F.* aut ad camelos alendos, damnatos exprimit.

(2) Mitto de martyribus dicere in carcere fame consumtis (Sagitt. *pag.* 20. *seq.*) de iis, quorum barba pice illita atque incensa est (*id. p.* 181.), aut calcanei perfossi (*ibid. pag.* 189.), deque aliis, qui in paludes proiecti (ut est in actis s. Theodoti apud Ruinartium *p.* 301. *edit. veron.*), vel allisi in saxa (ut est apud eumdem in act. ss. mm. Quirici, et Iulittae p. 421.) interierunt. Nam qui contriti mola pistoria sunt, hi pauci fuerunt. Consule acta m. Victoris etc. apud Ruinartium *pag.* 282. *edit. veron.* Cogebantur etiam martyres carnem diis immolatam vi illata comedere. Atque, ut alia monumenta vetera, quae huc spectant, praetermittam, acta ss. Tarachi, Probi, et Andronici p. 387. sic habent: « Maximus dixit: Infundite illi vinum, et carnes de ara mittite illi in os. Probus dixit: Videat Dominus, et respiciat de altissimis sedibus suis vim, quam patior, et iudicet iudicium meum. Maximus dixit: Multa sustinuisti miser, ecce iam de sacrificio accepisti. Quid habes facere? Probus dixit: Nihil magnum fecisti, mittens mihi de inquinamentis vestris, et infudisti mihi vinum, vim faciens. Deus scit voluntatem meam. Maximus dixit: Manducasti, et bibisti inde. Sed profitere hoc te facturum, ut a vinculis istis libereris. Probus dixit: Numquam tibi bene sit, ut vincas propositum meum, et inquines confessionem meam. Hoc enim scire debes: quoniam et si omne inquinamentum ararum tuarum totum liques, et infundis mihi, nihil inde inquinabor. Scit enim Deus, et videt vim, quam patior ». Hactenus quidem acta ss. Probi, Tarachi, et Andronici, et sociorum martyrum, qui saeculo IV. saeculo decesserunt. Hoc indicat tab. 54., quamque retulit Gallonius pag. 250. Veneno quoque martyres aliquot decesserunt, ut constat ex tab. 49. huius vol. ex Aringhi *lib.* III. *cap.* XXII. *p.* 509., ubi haec leguntur.

NON VNDA LETHALIS EST
AVSA CONSTANTI FERRE
QVAM LICVIT FERRO CORONAM.

XXV.

De saevitia ethnicorum in ss. martyrum cadavera.

Cumque victos se esse a martyribus hostes christianae religionis viderent, in eorum cadavera saeviundum putabant (1). Quamobrem cavebant interdum, ne quis ea sepelire (2) auderet. Nam eorum, qui deos affecissent contumelia, digna esse corpora, aiebant, quae a canibus, vulturibusque (3) dilacerarentur. Atque eveniebat quandoque, ut statim atque fortissimi homines decesserant, eorum cadavera (4) comburerentur, cineresque dispergerentur, ne quis eos colligeret, curaretque, ut in potestatem venirent christianorum. His tot malis cum non vivi solum, sed mortui etiam exagitarentur, quis neget singularem fuisse primorum Christi sectatorum in religione tuenda (5) constantiam?

(1) Vide epistolam ecclesiae smyrnensis de martyrio s. Polycarpi apud Ruinartium *pag.* 31. *edit. veron.* an. 1731. n. 14., epistolam ecclesiarum lugdunensis, et viennensis ad ecclesias Asiae, ac Phrygiae n. 16. apud Ruinartium p. 59., ubi sic habetur. „Igitur martyrum „ corpora postquam omni genere contumeliae traducta, et sub dio per sex dies exposita iacuerant, tandem cremata, atque in cineres redacta, in praeterfluentem Rhodani alveum sparsa sunt ab impiis, ne „ ullae deinceps eorum reliquiae in terris superessent.„ Confer praeterea acta ss. mm. Epipodii, et Alexandri, qui anno circiter 178. obierunt, apud eumdem Ruinartium n. 12. p. 67., quo loco haec leguntur: „ Gentilium „ furor extremam denegans sepulturam, etiam in cor„ pora exanimata saeviebat „. Acta ss. mm. Claudii, et Asterii apud eumdem *pag.* 235. *seq.* n. 5., acta ss. Victoris etc. n. 17. apud eumd. pag. 262., ss. Theodoti etc. n. 15. p. 301., et n. 31. p. 307.

(2) Confer, quae nota superiore descripsi testimonia. In actis modo laudatis s. Theodoti n. 31. *pag.* 307. *seq.* haec leguntur: „ Theotecnus .... iubet .... decollati „ corpus igne comburi, ne illud nacti christiani sepe„ liant ... Sacrum corpus intra pyram illaesum mansit. „ Nunciantibus autem id Theotecno famulis suis, iussit „ eos istic manere, in loco ubi positum erat, caput, et „ cadaver custodire etc. „; act. s. Vincentii levitae *ibid.* num. 11. *seq.* pag. 328., et Prudentium hymno v. περὶ στεφάνων, v. 116. *seq.*, acta ss. Didymi, et Theodorae apud Ruinart. p. 353. n. 6., s. Philippi episc. heracl. n. 15. pag. 373., ss. mm. Probi, Tarachi, et Andronici n. 11. pag. 392., ss. Vitalis, et Agricolae n. 3. pag. 410. Adeundus Eusebius *lib.* v. *cap.* 1. *hist. eccl. pag.* 210., et *lib. de martyribus palaestinis cap.* ix. *p.* 425. *edit. sicut* Consule etiam Aringhum *lib.* 1. *Romae subterr. cap.* iv. *seqq. pag.* 20. *seqq. tom.* 1., et Assemanum acta ss. mm. orientalium *pag.* 79. *tom.* 1. *edit. rom. an.* 1748. Quod vero ethnici in flumine proiicere sanctos martyres solerent, eo fortasse consilio, ut eorum reliquiae in manus christianorum venire non possent, tum ex iis monumentis, quae supra addaxi, tum ex inscriptione insculpta arcae marmoreae, in qua condita primum corpora ss. mm. Simplicii, et Faustini fuerant, plane constat. Vide Aringh. *tom.* 1. *pag.* 365.

☧

MARTYRES SIMPLICIVS ET FAVSTINVS
QVI PASSI SVNT IN FLVMEN TIBERE ET
POSITI SVNT IN CIMITERIVM
GENEROSES
SVPER PHILIPPI

(3) Vide Eusebium *lib.* v. *hist. eccl. cap.* 1. *p.* 210.

(4) Confer Assemanum *tom.* 1. *operis de ss. mm. orientalibus p.* 33. *seq.* quod opus multa de suppliciis ss. mm. continet, deque contumeliis, quibus eorum cadavera sunt affecta.

(5) Consule epistolam, quam a Tiberiano Palaestinae praefecto scriptam ferunt *tom.* ii. *pp. apostolicorum p.* 181. *edit. an.* 1724., acta s. Felicitatis apud Ruinartium n. 1. pag. 22., s. Polycarpi apud eumd. pag. 28., ss. Perpetuae, Felicit. etc. pag. 82., s. Theodoti p. 29

§. X.

Cum tormentis quidquam extorquere sese a nostris posse ethnici diffiderent, blanditiis eos adoriebantur, sed frustra.

Sed quoniam experiundo ethnici compererant, christianos expugnari metu suppliciorum non posse, quod sibi nostri persuasissent, eum, qui acerbius tortus caussa religionis verae esset, gloriam sempiternam esse consequuturum; confugiendum interdum ad blanditias esse arbitrabantur, rati promissis, comitateque iudicum fore, ut quos obstinatos vocabant, pertinacia desisterent, eorumque postulatis assentirentur. At nostri, qui minis, suppliciisque flecti non poterant, ne blanditiis quidem, ut morem adversariis gererent, inducebantur. Quod eo mirabilius visum est, quo adolescentiores, imbecillioresque, quos hisce artibus circumveniri facile posse hostes putabant, neque honorum, divitiarumque specie, quibus ante caruissent, flexi, neque gratia, qua apud imperatores, propterea quod essent christiani, minime valuissent, permoti essent, ut ab sententia recedendum existimarent. Nam, ut est in actis sanctorum martyrum Epipodii, et Alexandri, cum iudex Epipodium admodum adolescentum cum fratre pari pietate, et virtute praedito constantem in cultu christianae religionis manere videret, sibique polliceretur, si solum adortus esset, dicto iuvenem audientem futurum, Alexandrum inde abduci iussit. Epipodium retinuit. Quaesivit ex solo, quamobrem ea aetate cum esset, propter studium rerum novarum perire, quam tot, tamque magnis commodis frui mallet? Atque deos, inquit, quibus imperatores cultum adhiberent, quisquis contemneret, ut hominem, quem cruci affixum fuisse constaret, veneraretur, hunc non imperite modo, sed etiam arroganter facere, cum aut de salute Caesarum desperare, aut eis praescribere videretur. Quid autem crucifixum moraretur virum asperum, saevum, ferocem, qui voluptatem damnaret, colendamque statueret

et 304., ss. Montani etc. p. 206., ss. Claudii, et Asterii p. 234., ss. Rogatiani, et Donatiani p. 246. seq., ss. Victoris etc. p. 257. De suppliciis ss. mm. tractatum singularem perscriptum fuisse ab illustrissimo praesule, eruditissimoque Blanchino intelligo: sed eum nusquam vidi.

castitatem? Igitur sibi caveret. Consideraret etiam, atque etiam quo id illi ethnici pollicerentur, quorum bonorum iacturam faceret, qui eidem cruciatus, quae supplicia parata essent, si christianam religionem profiteri pergeret. Quare caperet praesentem oblectationem, neque se duci spe inani futurae gloriae pateretnr. Ad haec Epipodius, Nihil, inquit, me movet simulata pietas erga me tna. Nam ex me numquam extorquebis, ut saevitiam, atque crudelitatem pietatis, quod sanctnm est, nomine appellem. Est enim sine dubio crudelis, qui specie capiundi commodi alterum perimere conetnr. Vobiscum autem vivere quid tandem nisi mors est, eaqne iam sempiterna? Atque hoc scito, tibique persuade, quae animis noceant, etsi delectationis corporibus afferant quantum voles, neque agi a quoquam, neque probari cuiquam oportere. Utimur namque servitio corporis, non imperio. Hoc enim proprium est animorum. Etenim quas mihi proponis voluptates non tanti aestimo, ut eas Christi promissis esse anteponendas putem. Ne Christum contumelia insectere iudex. Nam qui Christo iniurius est, idem summo hnius universitatis rerum conditori facit insignem iniuriam. Christus enim Deus est verus, qui naturam humanam sibi coniunxit, qui multa nostri caussa perpessus est, qui mortem obiit, excitatusque a mortuis in caelnm conscendit, adseruitque mortales, qui captivi a demone detinebantur, in libertatem. Sed haec percipi abs te dedito superstitioni deorum, libidineque furenti non possunt. Interim sic habeto: paratnm esse me pro Christo vitam, sanguinemque profundere. Qui enim hoc modo pugnat, cum excruciari, lugere, perire videatur, tum maxime gaudet, propterea quod certo sciat, brevi se gloria, quam suis Christus promiserit, potiturum. His verbis vehementer commotus iudex, de Epipodio gravissimum supplicium sumsit (1).

(1) Vide acta apud Ruinartium *p.* 64. *seq.*

§. XI.

Quod christiani orthodoxi a blasphemia, atque haeresi maxime abhorrerent, non solum communione nullum haereticorum, sed ne sermone quidem civili dignabantur.

His moribus cum viverent christiani, ut neque illecebra blanditiarum, neque supplicii comminatione a suscepta institutione deterreri, inducique possent, ut ipsi quidpiam mali ant facerent, aut cogitarent; mirum sane videri non debet, si ita quoque afficerentur, ut nou solum dictum nullum sacrilegum usurparent, sed etiam sibi, suisque caverent, ne quem eorum adirent, alloquerentur, salutarent, qui sectam aliquam hacreticorum (1) profiteretur. Nam haereticos, quoniam perverse de Deo, rebusque divinis sentirent, ac loquerentur, habendos esse statuebant in numero (2) blasphemorum. Neque haereticos modo, atque ethnicos, qui contumeliosissimis verbis orthodoxam religionem insectarentur, verum etiam eos, qui etsi recte de ecclesiae sententiis, decretisque statuerent, tamen veriti supplicia, quae sibi ab hostibus proponi cernerent, Christo servatori maledicere (3) audebant. Nihil enim esse peius putabant blasphemiae crimine. Igitur illud maiorem in modum aversabantur. Est enim blasphemia execratio, vituperatio, vel maledictum, vel sacrilega infamatio, vel obtrectatio nefaria, vcl convicium Deo, rebusque divinis dictum. Ergo lapsos (sic enim vocabant christianos, qui metu cruciatus convicium Christo fecerant), quamvis scelus detestarentur, ac veniam peterent, communione tamen prohibendos arbitrabantur, quoad prece, vigiliis, gemitu, aliisque (4) poenis, quibus af-

(1) Consule Clementem romanum epist. (quem secundam vocant, eique adscribunt permulti) ad corinthios n. 10. *p.* 43. *tom. e. collect. epistolar. rom. pontificum p.*35., s. Ignatium *epist. ad ephesios* n. 4. *seq. p.*13., et n. 9. *p.* 14., et *epist. ad smyrnenses* n. 7. *p.* 36., et Iustinum martyrem dialogo cum Triphone *p.* 138. n. 35. *edit. venetae an.* 1747. Mitto ceteros patres, ne sim longior, quam oportet. Atque eorum quidem aliquos paullo post, cum tempus monuerit, opportune recensebo.

(2) Confer s. Iohannem chrysost. *homilia dubia* II. *de fato, et providentia tom.* II. *edit. montfauconianae paris. an.* 1718. *pag.* 756., et s. Irenaeum Chrysostomo longe antiquiorem *praef. lib.* IV. *p.* 226. *edit. paris. an.* 1710.

(3) Vide Plinii *epist.* XCVII. *lib.* X. *pag.* 629. *edit. an.* 1714., et Eusebium *hist. eccl. lib.* IV. *cap.* XV. *p.*167. *seq. edit. cantabrig.*, et *lib.* VI. *cap.* XLI. *p.* 306., et Iustinum *apolog.* I. *n.* 31. *p.* 64. ubi „ Barcochebas, *inquit*, „ solos christianos ad gravia supplicia, nisi Iesum Christum negarent, et blasphemias appeterent, abripi iubebat „.

(4) De hac re agam in eo libro, qui inscribetur de poenitentia.

fici consueverant, ecclesiae satisfecissent. Cum haereticis autem nullum suorum versari patiebantur, quod periculum fore existimarent, ne consuetudine, sermoneque sacrilegorum, animi bonorum vitiarentur. Quamobrem etsi cautum ab apostolo (1) Paulo fuerat, ne quis episcopus in haereticos acerbe ageret, illud ipsum, quod habet acerbitatis obiurgatio, significaret, ipsius id caussa, atque bono, qui obiurgetur, susceptum esse; tamen si obstinatos, ac pervicaces in errore eos manere, aliisque esse perniciosos nostri intelligebant, insigniter ipsos, acriterque vituperabant, ut omnes, quam essent illi fugiendi, cognoscerent. Itaque Iohannem evangelistam ferunt, cum accepisset in balneo, in quod ipse, ut sese lavaret, accesserat, Cerinthum haeresiarcham esse, ad suos coversum dixisse: Abeundum hinc nobis est. Vereor namque ne aedes, in quibus inimicus veritatis Cerinthus agit (2), funditus corruant. Polycarpus auditor Iohannis, et episcopus smyrnaeorum, rogatus a Marcione ecquem ipsum esse putaret: Novi, inquit, primogenitum Satanae. Quibus verbis dictis (3), discessit, ne sermone, aspectuque haeretici foedaretur. Tanto nempe in odio error, atque blasphemia nostris erat, ut impiorum hominum ne conspectum quidem ferre possent (4).

(1) Epistola ad Timotheum secunda *cap.* II. *v.* 23. *seq.* „ Cum modestia corripientem eos, *inquit*, qui resi„ stunt veritati, ne quando Deus det illis poenitentiam „ ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli „ laqueo, a quo captivi tenentur ad ipsius volunta„ tem „.

(2) Consule Irenaei locum apud Eusebium *lib.* IV. *hist. eccl. cap.* XIV. *p.* 161.

(3) Eusebius *ibid.*

(4) Eusebius *ibid.* Τοσαύτην οἱ ἀπόστολοι, inquit, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαρασσόντων τὴν ἀλήθειαν, ὡς καὶ Παῦλος ἔφησεν. αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν, καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ. εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. „ Adeo religiose cavebant apostoli, eorumque discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur „ cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant. Quemadmodum et Paulus dixit: Haereticum hominem „ post unam, aut alteram admonitionem devita, sciens „ huiusmodi hominem perversum esse, et suo ipsius „ iudicio condemnatum peccare „. Vide *epist. ad Timoth.* II. *cap.* III. *v.* 10. Atque haec eadem Iohannes statuit in secunda epistola *v.* 9. *seqq.* „ Omnis, *inquit*, „ qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, „ Deum non habet ... si quis venit ad vos, et hanc „ doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, „ communicat operibus eius malignis „. S. Ignatius martyr *epist. ad ephesios n.* 7. *p.* 13. *tom.* II. *apostolic. pp. edit. an.* 1724. Εἰσὶν γάρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδῆκται, οὓς δεῖ φυλάσσεσθαι ὄντας δυσθεραπεύτους. „ Sunt enim (haeretici) canes rabidi, „ clam mordentes, quos a vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes „. Et *epist. ad smyrnaeos n.* 7. *p.* 36. πρέπον, inquit, ἐστὶν ἀπέχεσθαι τῶν τοιούτων, καὶ μήτε κατ᾽ ἰδίαν περὶ αὐτῶν λαλεῖν, μήτε κοινῇ „ Decet abstinere ab eiusmodi, et nec in privato, nec in communi colloquio „ de illis verba facere „. Adeundi Iustinus loc. cit., Irenaeus *lib.* III. *contra haereses cap.* III. *pag.* 177. *edit. paris. an.* 1710. *Massueti*, Tertullianus *de praescript. cap.* XVI. *seq. p.* 206. *seq. edit. venet. an.* 1744., Cyprianus *tract. de unitate ecclesiae pag.* 115. *edit. oxon.*, et *epist.* LXVII. *pag.* 175. Mitto ceteros, ne longa oratione lectorem obtundam. Hoc breve dico, longe in hac re fuisse maiorum mores a nostris moribus discrepantes.

Quin etiam fuerunt aliqui orthodoxorum ita instituti, ut satius esse ethnicis nescio quid neque grave, neque malum, ut ipsi quidem censebant, concedere putarent, quam pati, ut illi, qui se provocari suspicarentur, Christi nomen maledictis proscinderent. Quornm sane, cum minus recta esset, merito est ab Tertulliano in libro de idololatria explosa sententia. Nam is cavendum cuique nostrum esse contendit, ne quem ethnicorum aut iniuria, aut contumelia, aut re quapiam iniusta ad maledicendum Christo permoveat. Eum enim qui lacessat, tam esse in vitio, quam est is, qui Christo conviciis infert iniuriam. At enim cultu religionis, ac disciplinae nemini caussa peccandi christianum esse. Quapropter si ethnicus ob eam rem maledictis consectari audeat Christum, id non christiano disciplinae observatori, sed ethnico male animato crimini verti oportere. Atque hoc genus obtrectationum habere aliquam cum martyrio similitudinem. Si enim hoc nomine *blasphemer*, quod ita, ut est a Christo constitutum (1) vivam, cum laceror huiusmodi contumelia, tunc maxime confiteor me esse christianum.

§. XII.

Si quem suorum aut in idololatriam, aut in haeresim vel metu, vel errore, persuasioneque falsa incidisse intelligebant, magno dolore afficiebantur, dabantque operam, ut lapsi resipiscerent, atque ad ecclesiam reverterentur.

Etsi autem christianorum pars maxima sic erat affecta, atque instituta, ut rem adversam, quaecumque accideret, subire, quam

Non enim solum cum haereticis plerique libere versantur, sed etiam una de rebus religionis agunt, magno, ut experiundo cognoverunt, et sui, et reipublicae catholicae detrimento. Atque utinam haec et facile, et cito tolli posset abusio!

(1) Tertull. *ibid. cap.* xiv. *p.* 93. *edit. Rigalt.* « Sed « enim plerique iam induxerunt animo, ignoscendum « esse, si quando, quae ethnici faciunt, ne nomen blas« phemetur. Porro blasphemia, quae nobis omnino « devitanda est, haec opinor est; si quis nostrum ad « iustam blasphemiam ethnicum deducat, aut fraude, « aut iniuria, aut contumelia, aliave materia dignae « querelae, in qua nomen merito percutitur, ut me« rito irascatur et Dominus. Ceterum si de omni blas« phemia dictum est, vestri causa nomen meum blas« phematur; perimus universi; cum totus circus sce« lestis suffragiis nullo merito nomen lacessit. Desina« mus, et non blasphemabitur. Blasphemetur, dum « sumus in observatione, non in exorbitatione disci« plinae; dum probamur, non dum reprobamur. O « blasphemiam martyrii affinem, quae tunc me testa« tur christianum, cum propter eam detestatur! Be« nedicta est nominis maledictio custoditae disciplinae. « Si hominibus, inquit, vellem placere, servus Christi « non essem ».

Christo iniuriam facere (1) mallet; tamen existebant interdum aliqui aut ita scelesti, ut sponte se ethnicis (2) dederent, aut ita timidi, ut minis, suppliciorumque (3), vel perpessio-

(1) Plinius *epist. xcvii. lib. x. p. 629. edit. lips. Cellarii an.* 1711. « Propositus, *inquit*, est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarent se esse christianos, aut fuisse, quum praeeunte me deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo: *quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera christiani.* Ergo dimittendos putavi ». Iustinus martyr in *apolog. i. n.* 31. *pag.* 64. *edit. venetae an.* 1747. Βαρχωχέβας, inquit, ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης, χριστιανοὺς μόνους εἰς τιμωρίας δεινάς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο Ἰησοῦν τὸν Χριστόν, καὶ βλασφημοῖεν, ἐκέλευεν ἀπάγεσθαι. « Barchochebas dux iudaeorum defectionis solos christianos ad gravia supplicia, nisi Iesum Christum negarent, et blasphemiis appeterent, abripi iubebat ». Qui enim contra fecissent, hos voce quidem christianos, re autem vera ethnicos fuisse docet Iustinus *ibid. n.* 14. *p.* 52., *et n.* 16. *p.* 54. Atque Athenagoras philosophus christianus in legatione *n.* 2. *p.* 299. *edit. eiusd. opp. Iustini.* „ οὐδεὶς χριστιανός, inquit, πονηρός, εἰ μὴ ὑποκρίνεται τὸν λόγον. Nemo, inquit, christianus improbus, nisi simulet hanc appellationem„. Confer Tatianum *orationes contra graecos* n.27. *p.* 283. *edit. eiusd. opp. Iustini*, Athenagoram *ibid. n.* 3. *pag.* 300. Ac recte sane nihil ab iis, qui vere christiani sunt agi scribit Plinius, quod sit iniuriam Christo. Tertullianus *apolog. cap. i. p.* 7. *edit. venet. an* 1744. *in appendice*, « Christianus, *inquit*, quid simile? Neminem pudet, neminem poenitet (esse talem) nisi plane retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit; interrogatus, vel ultro confitetur; damnatus gratias agit ». Et *cap. xxi. pag.* 72. « Verum neque de Christo erubescimus, ut quos sub nomine eius deputari, et damnari iuvat, neque de Deo aliter praesumimus ». Et p. 78. « Dicimus, et palam dicimus, et vobis torquentibus, lacerati, et cruentati vociferamur, Deum colimus per Christum ». Et *cap. ult. p.* 164. « Hoc agite boni praesides, meliores multo apud populum, si illis christianos immolaveritis. Cruciate, torquete, atterite nos. Probatio est enim *innocentiae* nostrae iniquitas vestra. Ideo nos haec pati Deus patitur. Nam et proxime ad lenonem damnando christianam potius, quam ad leonem, confessi estis labem *pudicitiae* apud nos *atrociorem* omni poena, et omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra. Illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris, et mortis hortantur ... Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos *christiani factis docendo.* Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione eius concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus. Ut est aemulatio divinae rei, et humanae. Cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur ». Minucius Felix quoque in Octav. *p.* 333. *edit. an.* 1672. « Quam pulcrum, *inquit*, spectaculum Deo cum christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas, et supplicia, et tormenta componitur? Cum strepitum mortis, et horrorem carnificis irridens insultat, soli Deo, cuius est, cedit? Cum triumphator, et victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit, insultat? Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit ... At enim Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic christianus miser videri potest, non potest inveniri .... Et quot ex nostris non dexteram solam, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate?... Pueri, et mulierculae nostrae cruces, et tormenta, feras, et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt ». Consule Cyprianum *epist. lviii. ad plebem thybaritanam, al. lvi. pag.* 20. *edit. oxon.*, Lactantium *lib. v. divin. instit. cap. xiii. edit. paris. an.* 1748. *tom. i.* Mitto Eusebium, Arnobium, actorum ss. mm. compilatorem etc., quod nolim esse longior, quam necesse sit.

(2) Plinius *ibid.*, s. Cyprianus *lib. de lapsis p.* 124. *edit. oxon.* « Non expectaverunt, *inquit*, quidam, ut ascenderent apprehensi, aut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti ».

(3) Aspectu suppliciorum quosdam fuisse deterritos constat ex s. Cypriani *lib. de lapsis pag.* 127. *edit. oxon.* Ecclesia smyrnaensis *epist. de martyrio Cypriani pag.* 33. *n.* 4. apud Ruinartium *edit. veron. act. sincer. ss. martyrum*, scribit hoc modo „ Εἷς δὲ ὀνόματι Κόιντος, Φρύξ, προσφάτως ἐληλυθὼς ἀπὸ τῆς Φρυγίας, ἰδὼν τὰ θηρία, ἐδειλίασεν. οὗτος δὲ ἦν ὁ παραβιασάμενος ἑαυτόν τε καί τινας προσελθεῖν ἑκόντας. τοῦτον ὁ ἀνθύπατος πολλὰ ἐκλιπαρήσας, ἔπεισεν ὀμόσαι καὶ θῦσαι. Unus autem nomine Cointus, phryx, qui nuper ex Phrygia advenerat, cum vidisset bestias, timore perculsus est. Hic porro erat, qui seipsum, et alios

ne (1) vinci se sinerent, diisque, quos ante detestati essent, honores, ut mortem effugerent, adhibendos arbitrarentur. Fuerunt praeterea, qui sive ambitu (2) incitati, sive amicitia (3) cuiusquam, sive specie austerioris vitae (4), erroreve ducti ab ecclesia desciscerent, et schismaticorum, atque haereticorum, quibus adhaeserant, conventus sibi esse frequentandos putarent.

Quae res magnum nostris dolorem (5) afferebat. Itaque praefecti ecclesiis, iique omnes, qui doctrinae, singularisque pietatis laude florebant, omni ope, ac diligentia laborabant, atque euitebantur, ut lapsos prece, hortatu, comminatione denique sempi-

„ quosdam impulit, ut ultro accederent. Huic proconsul multis obsecrationibus persuasit iurare, ac sacrificare „.

(1) Vide Eusebium *lib. v. hist. cap. i. pag.* 200. ubi epistolam exscribit a lugdunensi, et viennensi ecclesiis secundo saeculo ad ecclesias Asiae, Phrygiaeque de martyribus, qui pro Christo obierant, missam; Tertullianum *lib. de pudicit. cap. xxii. p.* 575. *edit. opp. venetae an.* 1744., Cyprianum *loc. cit.*, *acta ss. Petri, Pauli, Andreae etc.* apud Ruinartium *p.* 135. *n.* 2. *seq.* (passi autem hi martyres tertio saeculo fuerunt imperatore Decio), et sic habent: « Proconsul iussit Nicomachum appensum torqueri. Cumque nimium vexaretur, et iam prope esset, ut redderet spiritum, exclamavit voce magna: *Numquam fui christianus, sed sacrifico diis.* Statim fecit eum proconsul deponi. Cum ergo sacrificasset, statim arreptus a daemone, et in terram allisus, dentibusque linguam suam comedens, emisit spiritum ». Ac de eadem persecutione agens Dionysius alexandrinus apud Eusebium *lib. vi. cap. xli.*, describensque breviter, quae in Aegypto contigerunt, pag. 306. sic narrat: « Nonnulli pallidi, ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potius victimarum loco idolis immolandi essent, accedebant; adeo ut a circumstante multitudine deriderentur ... Alii vero promtius ad aras accurrebant, audacter affirmantes, numquam se antea christianos fuisse... Nonnulli cum usque ad vincula, et custodiam progressi essent, quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent, prius tamen quam in iudicium inducerentur, fidem eiurarunt. Nonnulli vero cum aliquamdiu tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua, quae intentabantur supplicia animos desponderunt ». Haec ille, qui mox subdit, quot fortes in sententia perstiterint, martyresque decesserint. Confer eumdem Eusebium *lib. viii. cap. ii. p.* 379.

(2) Vide Eusebium *lib. v. hist. cap. xxviii. pag.* 253., ubi de Natali confessore disserit, qui ab Theodotianis circumventus, haereticorum coetui se praefici curavit. Hic enim et pecuniae cupiditate, et ambitu ductus in haeresim lapsus est. Nam sic habet Eusebius: „ Asclepiodotus, et Theodotus persuaserunt Natali, ut accepto salario haeresis illius episcopus crearetur, ea scilicet conditione, ut menstruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus, saepe a Domino corripiebatur in somnis ... sed cum nocturnas eiusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primae apud illos sedis, et turpis lucri cupiditate ... inescatus, tandem a sanctis angelis per totam noctem flagris caesus est, et gravissime verberatus. Adeo ut primo diluculo consurgens saccum induerit, et cinere conspersus confestim cum lacrimis ad pedes Zephyrini episcopi sese abiecerit etc. „ Mitto aliorum exempla, quod hoc esse satis perspiciam.

(3) Vide Eusebium *lib. vi. cap. xlvi. hist. eccl. p.* 309. *seq.*

(4) Tertullianus enim hac specie deceptus, incidit in haeresim cataphrygarum, ut ex eius libris plane colligitur.

(5) Ecclesiae lugdunensis, et viennensis, *epist. de martyribus ad ecclesias Asiae, Phrygiaeque scripta*, apud Eusebium *lib. v. hist. eccl. cap. i. p.* 200. „ Qui vero, *inquiunt*, imparati, et inexercitati accesserant, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis sustinendum, tunc manifeste patuerunt. Ex quibus decem circiter collapsi, οἵ δὲ μεγάλην λύπην, καὶ πένθος ἀμέτρητον ἐνεποίησαν ἡμῖν, καὶ τὴν προθυμίαν τῶν λοιπῶν τῶν μὴ συνειλημμένων ἐνέκοψαν. *Maximum nobis dolorem, et luctum immensurabilem attulerunt, et alacritatem ceterorum nondum comprehensorum fregerunt* „. Vide quoque, si placet, acta ss. mm. Petri, Pauli, et Andreae apud Ruinartium *p.*135. *n.* 3., et acta s. Nicephori apud eumdem *p.* 211. *n.* 7. *seq.* Hinc magnopere timebant, ne quis eorum, qui in tormentis esset, religionem eiuraret. Acta s. Theodoti martyris num. 15. apud eumdem Ruinartium *p.* 301. *edit. veron.*

terni supplicii erigerent, errantes docerent, reducerentque (1) in coetum orthodoxorum. Quod si pervicaces aliquos, obstinatosque in errore persistere videbant, ad Deum se convertebant, diuturnisque obsecrationibus, vigiliis, ieiuniis eorum salutem procurabant; neque desistendum plerumque statuebant, quoad eos redactos ad bonam frugem esse cognovissent (2). Atque hac sane tanta cura, diligentiaque eveniebat, ut clementia, instinctuque divini numinis admirabiles interdum fieri solerent animorum immutationes (3).

(1) S. Clemens romanus, *epist.* I. *ad corinthios* apud Coustantium n. 51. *p.* 34. *tom.* I. *collect. epist. romanor. pontif. edit. paris. an.*1721., hortatur eos corinthios, qui schisma conflarant, ut resipiscant, n. 53. laudat charitatem eius, qui alteri peccatum remitteret, eique saluti esse curaret, n. 54. *seq.* monet schismaticos, ut praefectis ecclesiarum obtemperent, eisque sese submittant. Secundo autem ecclesiae saeculo, cum Marco Aurelio Antonino Pio imperatore decem illi, quorum paullo ante facta est mentio, Lugduni lapsi fuissent, proditum ab ecclesia lugdunensi apud Eusebium *lib.* V. *cap.* I. *pag.* 207. est, cura martyrum, hortatu, ac prece resipuisse. „ Mortua „ iam ecclesiae membra viventium ope, atque auxilio „ ad vitam revocata sunt, et martyres gratificati sunt „ iis, qui fidem negaverant, ingentique gaudio mater „ eademque virgo ecclesia cumulata est, cum eos, quos „ tamquam extinctos aborto ejecerat, vivos iam, ac „ spirantes recuperaret etc. „. Et *cap.* II. *pag.* 211. „ Omnium defensionem ss. mm. suscipiebant, nemi„ nem accusabant. Cunctos absolvebant, neminem li„ gabant .... Neque enim fastu, et arrogantia intu„ muerunt adversus lapsos, sed ea, quibus abunda„ bant, dona, indigentibus liberaliter subministrabant, „ materna quaedam viscera gestantes, magnamque vim „ lacrimarum pro illorum salute coram Deo patre „ fundentes. Vitam petierunt, et largitus est eis Deus; „ quam etiam illi proximis suis communicarunt, obi„ que victores ad Deum profecti „. Similia legere quisque poterit *epist. Celerini ad Lucianum, quae est* XXI. *inter cyprianicas p.* 44. *seq. edit. oxon., Luciani ad Celerinum, quae est* XXII. *inter cyprianicas p.* 47. *seq., Cypriani ad presbyt. et diaconos rom. quae est* XXVIII. *p.* 53., *et lib. de lapsis pag.* 127. *seqq. edit. oxon.*, et apud Eusebium *lib.* V. *cap.* XXVIII. *p.* 253., *ubi de Natali, lib.* VI. *cap.* XXXIII. *p.* 297., *ubi de Berillo, et cap.* XLIII. *seq., ubi de Novatianis summa ecclesiarum cura aut iam inductis, aut invitatis, ut resipiscerent, et ad veritatem redirent.* Confer etiam monumenta quae ad hanc eamdem rem pertinent, diligenterque sunt ab Coustantio collecta *tom.* I. *epist. romanor. pontificum pag.* 124. *seq.* Sed satis haec sunto. Non enim vacat historicos omnes cum veteres, tum novos, qui de hisce rebus loquuti sunt, numerare.

(2) Vide quae notatione superiore ex *lib.* V. Euseb. *cap.* II. Celerinus epist. mox laudata ad Lucianum. „ Et „ peto, *inquit,* ut annum desiderio meo, et mecum „ doleas in morte sororis meae, quae cecidit in hac „ vastatione a Christo. Sacrificavit enim, et exacer„ bavit Dominum nostrum. Quod nobis manifestum „ videtur. Pro cuius factis, ego in laetitia paschae „ flens die, ac nocte in cilicio, et cinere lacrimabun„ dus exegi, et exigo usque in hodiernum diem, do„ nec auxilium Domini nostri Iesu Christi, et pietas „ per te, vel per eos dominos meos, qui coronati „ fuerint, a quibus postulaturus es, ut veniam ha„ beant nefanda naufragia; memor sum enim chari„ tatis tuae pristinae, quod cum omnibus doleas pro „ sororibus nostris, quas et tu bene nosti, idest Nu„ meriam, et Candidam, pro quarum peccatis, quia „ nos fratres habent, debemus excubare etc. „.

(3) Confer Eusebium *lib.* V. *hist. eccl. cap.* XXVIII. *p.* 253. *edit. cantabrig.*

§. XIII.

Neque solum eorum, qui lapsi essent, salutem procurabant, sed etiam timebant, ne sibi crimini verteretur, nisi in ethnicis, iudaeis, haereticis instituendis, convertendisque diligentem operam locassent.

Tanto vero studio tuendae, amplificandaeque religionis, quam unam veram esse cognoverant, tenebantur, ut non modo eos, qui vel fraude circumventi, vel territi acerbitate suppliciorum aut in haeresim, aut in idololatriam incidissent, sed etiam ethnicos ethnicis parentibus natos, iudaeosque ad christiana sacra ratione, atque oratione perducere (1) conarentur. Ac multi quidem orthodoxorum si segnes in ea re, negligentesque fuissent, verebantur, ne rei gravissimi sceleris agerentur. Namque illos omnes, qui quod in hoc genere poterant, praetermitterent, non minus esse reprehendendos putabant, quam si ipsi decretis Christi servatoris, ac legibus parere (2) recusassent. Itaque id laborabant, idque vehementer enitebantur, ut ne quid ab se neglectum videretur, quod ad instituendos, convertendosque hostes religionis christianae ad veritatem colendam pertineret.

(1) Iam id constat ex actis apostolorum, atque epistolis Pauli, Petri, Iohannis etc. Clemens romanus *epist.* I. *ad corinthios* n. 5. *pag.* 12. *edit. Constantii tom.* I. *collect. epistolar. romanor. pontific.* de Paulo agens „ Paulus, *inquit*, patientiae praemium obtinuit, cum catenas septies portasset, virgis caesus, ac lapidatus esset, „ praeco factus in oriente, et occidente, eximium fidei suae decus accepit „. Iustinus martyr *apolog.* I. n. 7. *p.* 68. *edit. venetae an.* 1747. „ Quando, *inquit*, „ spiritus propheticus ut futura vaticinans loquitur, „ sic ait: *Ex Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem etc.* Atque id ita evenisse, persuaderi vobis „ potest. Hierosolymis enim viri numero duodecim „ in mundum profecti sunt, lique imperiti, nec dicendi facultate praediti; sed Dei virtute communiti, denunciarunt omni hominum generi missos se „ esse e Christo, ut omnes verbum Dei docerent, et „ qui olim caedibus mutuis grassabamur non modo „ cum inimicis bellum non gerimus, sed etiam ne „ mentiamur, aut eos qui interrogant decipiamus, libenter Christum confitendo morimur „. De iis, qui post apostolos vixerunt, adeundus Eusebius *lib.* III. *hist. eccl. cap.* IV. *p.* 91., *et cap.* XXXVII. *p.* 133. *seq.* Sed omnia persequi, non est otium. Atque multa quidem eiusmodi complexi sumus vol. 2. huiusce operis.

(2) Iustinus martyr dialogo cum Tryphone num. 38. *p.* 141. *edit. venetae an.* 1747. „ Scio, *inquit*, absconditam vobis esse, ut ait divinus sermo, magnam illam creatoris omnium, et omnipotentis Dei sapientiam. Quare misericordia in vos commotus, contentione omni allaboro, ut haec nostra, quae praeter „ opinionem vestram dicuntur, intelligatis, vel saltem „ ἵνα κἂν αὐτὸς ἀθῷος ὦ ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, „ *ut ipse criminis vacem in die iudicii* „. Et *apol.* I. n. 3. *edit. citat.* „ Nostrum igitur munus est, ut vitae, et „ doctrinae nostrae inspiciendae copiam omnibus faciamus, ne pro iis, qui res nostras sibi videntur „ ignorare, poenam eorum, quae caecutientes peccaverint, ipsi debeamus „. Confer acta Pionii martyris apud Ruinartium n. 4. *p.* 118. *edit. veron.* Sed ne sim longus, e ceteris patribus, qui similia scripserunt, numerandis supersedebo. Hoc unum addam, quod est ab Theodorito de Beniamino apud persas diacono, et martyre *lib.* V. *hist. eccl. cap.* XXXIX. *pag.* 241. litterarum monu-

CAPUT II.

DE SPE, QUAM IN DEO CHRISTIANI VETERES COLLOCAVERANT.

Ac de religione quidem, et fide satis est disputatum capite superiore. Sequitur ut explicem, quam conspicua christianorum theologica altera, quae spes dicitur, virtus esset. Est autem *spes* expectatio futuri boni. Sed quae theologica spes est, expectatio est sempiternae felicitatis ope, auxilioque divini numinis post corporis interitum obtinendae.

§. I.

Multis indiciis, quam esset firma eorum spes, quam in Deo posuerant, christiani veteres demonstrabant.

Igitur maiores nostri, qui vi naturae consequi se beatitatem sempiternam nequire certo sciebant, spem suam omnem in unius Dei, quem optimum esse cognorant (1), misericordia, et potesta-

mentis mandatum. „ Rex iussit, ut Beniamin pollice„ retur, se nulli magorum christianam religionem „ praedicaturum. Beniaminus vero ... facere non pos„ sum, inquit, quin lucem, quam ipse accepi, aliis „ impertiar. Quanto enim supplicio dignus sit, qui „ talentum abscondit, sacra evangeliorum testatur hi„ storia etc. „. Confer quae sequuntur.

(1) Cum christiani veteres quae bona promitteret cuique nostrum Christus in memoriam revocarent, ea eoque se nomen esse consequutos recordarentur, summam inde capiebant oblectationem. Exemplo nobis esse Blandina potest, quae secundo saeculo, Marco Aurelio imperatore, in Galliis passa martyrium est. Nam ut est traditum ab Eusebio *hist. eccl. lib.* v. *cap.* 1. *pag.* 202. *edit. cantabrig.* ἦν αὐτῆς ἀνάληψις, καὶ ἀνάπαυσις, καὶ ἀναλγησία τῶν συμβαινόντων τὸ λέγειν, ὅτι χριστιανή εἰμι. *Erat ei refectio, et quies, et praesentium dolorum sensuum ademptio dicere, christiana sum.* Idem ipsum scribit Eusebius de sancto Martyre *ibid. p. ead.* Confer acta ss. mm. scillitanorum, qui obierunt anno Christi circiter 200. apud Ruinartium n. 1. *seq. p.* 74. *seq.*, Eusebium *lib.* viii. *pag.* 385. *seqq. edit. cantabrig.*, Gregorium nazianzenum *orat.* x., *quae est de Caesario fratre p.* 161. *seq. edit. colon. tom.* 1. Ceteros mitto, quos memorat Cortholtus *in notationibus ad lib.* 1. *Theophili antiocheni ad Autolycum pag.* 6. *seq. edit. Wolfii an.* 1724. Ac spem quidem omnem suam in Dei potestate per servatorem Christum collocasse christianos, manifesta res est. Vide Clementem romanum *epist.* 1. *ad corinth. n.* 11. *p.* 14. *edit. Coustantii,* acta martyrii Ignatii apud Ruinartium *pag.* 17. *seq.*, acta s. Symphorosae, quae Hadriano imperatore decessit *p.* 20. *seq. apud eumdem,* acta s. Felicitatis, quae martyr occubuit, Antonino imperatore, apud eumdem *p.* 22. *seq.*, s. Polycarpi smyrnaeorum episcopi sub M. Aur. Antonino *ibid. p.* 27. *seq.*, Iustinum martyrem *apolog.* 1. *n.* 8. *pag.* 48. „ Aeternae „ enim ac purae vitae cupidi ad domicilium cum Deo „ universorum patre, et opifice promissum contendi„ mus, ac properamus ad confitendum, cum persua„ sum habeamus, et credamus haec bona ab illis com„ parari posse, qui factis suis testati Deo fuerint, se il„ lum sectatos esse, ac illud apud eum domicilium „ adamasse „? Et *n.* 11. *p.* 49., et *apolog.* ii. *num.* 2. *p.* 93., Athenagoram *legat. pro christian. num.* 31. *seq. p.* 392. *edit. opp. Iust. an.* 1747., Tertullianum *apolog. cap.* 1. *pag.* 2. *edit. venet. an.* 1744. *append.* ubi: „ Scit

te defixerant. Sibi enim persuaserant fore, ut eius (1) ope, modo ipsi, quod ad se attinebat assensus, operaeque adiungerent, iis tandem bonis potirentur, quae suis Christus, cum nobiscum ageret, promisisset. Quare non precibus (2) desistebant, non vigiliis (3), non labori (4), neque rei cuiquam, quae ad veram salutem conferret, parcebant, non denique (5) supplicia metuebant, quod his citius sibi in caelum aditum divinitus dandum (6) confiderent. Idque iam tam penitus erat eorum animis insitum, ut omnibus notum, manifestumque esse desiderarent (7).

„ ecclesia, inquit, se peregrinam in terris agere ... Ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in caelis habere „. Et de resurrect. carnis *cap.* xxııı. *p.* 339. *edit. eiusd.*, Minucium Felicem in Octav. *p.* 336. *seq. edit. an.* 1672. Sed non est opus, ut de re certa copiosius esse agendum putem.

(1) S. Clemens romanus epistola *ad corinthios* ı. n. 32. *pag.* 24. *edit. Coustantii, epist. rom. pontif. tom.* ı. „ Hi omnem gloriam, et amplitudinem adepti sunt non „ per se ipsos, aut opera sua, aut iustas actionem, quas „ fecerunt, sed per voluntatem eius. Et nos igitur per „ voluntatem eius in Christo Iesu vocati non per nosmetipsos iusti efficimur, neque per nostram sapientiam, aut intelligentiam, aut pietatem, aut opera, „ quae in sanctitate cordis operati sumus; sed per fidem, per quam omnes, qui unquam extiterunt iustificavit Deus omnipotens ... Quid igitur faciemus, „ fratres? Cessabimus a bonis operibus, et charitatem „ derelinquemus? Nunquam hoc permittet Dominus „ a nobis fieri; sed cum diligentia, et alacritate festinemus omne opus bonum perficere „. Lugdunensis, et viannensis ecclesiarum epistola ad ecclesias Asiae, et Phrygiae apud Eusebium *lib.* v. *hist. eccl. cap.* ı. *p.* 211. ubi haec habentur: „ Martyris appellationem (confessorum) concedebant Christo, utpote ..... vitae caelestis „ principi, et auctori .... Simul vero profusis lacrimis „ obsecrabant fratres, ut continuas ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur etc. „. Minucius Felix in Octav. *p.* 349. *edit. an.* 1672. „ Non adnectimus, *inquit*, arescentem coronam, sed a *Deo* aeternis floribus vividam sustinemus, „ qui et modesti *Dei nostri liberalitate, securi spe futurae* „ *felicitatis*, fide praesentis eius maiestatis animamur. „ Sic et beati resurgimus, et futuri contemplatione iam „ vivimus „ Cyprianum ad Donatum *pag.* 6. *edit. oxon.* etsi libertate sua usum, assensuos divinae gratiae se fuisse, scribit; tamen quidquid in se erat boni, et spei futurorum, hoc divino se esse munere consequutum. „ Scis „ ipse, *inquit*, nec praedico in proprias laudes, odiosa „ iactatio est, quamvis non iactatum possit esse, sed „ gratum quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed „ de Dei munere praedicatur, ut iam non peccare esse „ coeperit fidei, quod ante peccatum est, fuerit erroris „ humani. Dei est, inquam, Dei omne quod possumus, „ inde vivimus, inde pollemus, inde sumto, et concepto „ vigore hic adhuc positi futurorum indicia praenoscimus etc. „. Adeundi Lactantius *lib.* vı. *cap.* xxı. *divin. instit. p.* 506. *tom.* ı. *opp. edit. paris. an.* 1748., et Prudentius *lib.* ıı. *contra Symmachum p.* 248. *edit. an.*1625., ubi ait:

„ Spem sequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris,
„ Ad quae non veniunt praesentis gaudia vitae,
„ Nec currit pariter capta, et capienda voluptas.

Sed haec satis sunt. Nam omnia loca scriptorum veterum, quae ad rem eamdem pertinent, recensere velle, longum, plenumque molestiae opus esset.

(2) Iam de precibus, quas fundere christiani solebant, dictum supra est p. 74.

(3) De vigiliis item eo loco actum. Sed disseram de re eadem in eo libro, qui inscribetur de sacris conventibus.

(4) De laboribus, suppliciisque, quae veteres christiani libenter perpessi sunt, ut gloriam aeternam adipiscerentur, dixi supra p. 115. seq.

(5) Vide notat. superiorem.

(6) Vide Iustinum martyrem *apologia* ı. *n.* 8. *p.* 48. *edit. an.* 1747., *et apolog.* ıı. n. 3. *seq. pag.* 93. Mitto Athenagoram, Minucium, Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, ceteros denique veteres, quorum de hac satis sunt perspicua testimonia. Ac plena sunt acta martyrum huiusmodi sententiarum, quas illi pronunciare, cum paterentur, solebant.

(7) Cum id vehementer cuperent christiani, tum palam, ubi ab iudaeis, et ethnicis redargui se videbant, profitebantur. Confer acta s. Symphorosae martyris apud Ruinartium n. 2. p. 31., passa est autem circa an. 126., s. Felicitatis apud eumdem n. 3. *seq. p.* 23., quae obiit circa an. 150., s. Polycarpi, qui martyr decessit circa an. 166. n. 10. *seq. p.* 29., Iustinum martyrem dialogo cum Tryphone n. 11. pag. 116., ubi „ Neque in alium „ quemquam (Deum) speramus; non enim est alius,

§. II.

Spes christianorum tam erat patens, atque manifesta, ut etiam ethnicis explorata esset.

Ac facile quidem illi, quod avebant, consequebantur. Etenim iam inde a primis ecclesiae saeculis manarat in vulgus etiam ethnicorum fama neque obscura, neque incerta, quae ferret, christianos honores omnes, gloriam, opes, dignitates aspernari, atque magno animo cruciatus (1) quosque, ipsamque mortem contemnere, propterea quod sperarent fore, ut, corpore soluti, beatitatem, quae numquam desineret, adipiscerentur. Igitur cum ignorarent, quae sibi christiani persuasissent, vera esse omnia, eos ut dementes, stultosque (2) deridebant, iactabantque duci inani spe illos, qui praesentem salutem negligerent, expectarentque non aspectabilem, sic enim aiebant, incertamque felicitatem. Ac si perire vellent, occiderent ipsi se, neque pertinacia sua genus ho-

« *inquit*, sed in eum, in quem et nos Deum Abrahae, et Isaac, et Iacob. Speramus autem non per Moysem, neque per legem etc. » Theophilum praeterea, qui vixit Commodo imperatore, quique *lib.* I. *ad Autolycum p.* 5. *n.* 2. *edit. an.* 1724. « At ego quidem ultro confiteor me esse christianum, gaudeoque isto nomine, quod Deo gratum, et acceptum est, appellari: sperans εὔχρηστον *tractabilem*, et *acceptum* Deo me fore ». Et n. 12. p. 33. « Si haec capis, o homo, caste, pie, et iuste vivens, Deum videre poteris. In primis tamen requiritur fides, et timor Domini, quae duo in animo tuo praecedere oportet. Haec autem tum intelliges, ubi deposueris mortale hoc corpus, et incorruptibilitatem indueris, tum demum condigne Dei conspectu frui poteris. Nam Deus suscitabit carnem tuam, eamque una cum anima immortalitate donabit. Tunc igitur, si nunc fidem in eum habueris, immortalis factus, Deum conspicabere, qui immortalis est; tunc sentiens, quod impie contra ipsum es locutus .... ceterum fides tua tunc temporis incredulitas reputabitur, nisi nunc credas ». Acta ss. Epipodii, et Alexandri apud Ruinartium p. 65., qui an. 178. passi sunt, s. Symphoriani, qui anno 180. decessit, apud eumdem p. 69., acta ss. martyrum scillitanorum, qui anno circiter 200. martyres decesserunt, apud eumdem p. 76., qui sic disserunt: « Non triginta dierum mora mutare poterit professionem nostram. Ceterum si hoc non es dignus accipere, suspende moram, sententiam recita. Nam qualem nos hodie cernis, tales post hanc induciam futuros esse non dubites ... hodie martyres in caelo sumus ». Verum omnia acta ss. mm. et testimonia veterum, quae huc spectant, recensere velle hominis esset lectorum patientia abutentis. Sunt enim permulta. Hoc unum ex Iustini *apolog.* I. *n.* 10. *p.* 49. addam, ex quo intelligi potest, quam vehemens, ac firma haec tanta spes christianorum esset. « Quemadmodum, *inquit*, ab initio non existentes creavit, eodem modo futurum credimus, ut qui elegerint, quae ipsi placent, ob hanc eligendi rationem immortalitate, et Dei convictu, et consuetudine dignentur. Nam ut a principio fieremus, in nobis situm non erat: ut autem sequamur, quae ipsi placent, adhibitis ad eligendum rationalibus facultatibus, quas ab eo accepimus, id ipsum nobis persuadet, et ad fidem nos adducit. Atque id quidem ad omnes homines pertinere arbitramur, eo quod non arceantur ab his discendis, sed potius hortatu ad ea incitentur etc. ».

(1) Vide quae protuli *tom.* I. *p.* 92. *n.* 2. ex Luciano, *et p.* 457. *not.* 1. ex eodem, ex Celso Epicureo, ex Caecilio apud Minucium Felicem, exque actis ss. Montani, et socior.

(2) Vide eumdem *ibid.*, Lactantius autem *lib.* VII. *instit. divinar. cap* V. *pag.* 533. *edit. paris. an.* 1748. « Ita, *inquit*, necesse est sapientem pro stulto haberi, qui dum appetit bona, quae non cernuntur, dimittit e manibus, quae videntur, et dum vitat mala, quae

minum, ut in eos saeviret, cogerent (1). Sed nostri, qui plane sciebant, quibus testibus haec tanta illorum spes atque fiducia niteretur, non aeque (2) curabant, quid ethnici dicerent, exque scripturis, quarum lectione vehementer delectabantur, argumenta, quibus magis magisque confirmari in sententia possent, colligebant, utque mentibus suis altius imprimerentur, curabant (3).

§. III.

Cur veteres christiani loca, in quibus sepeliebantur, coemeteria vocarent, ostenditur.

Atque ex ea spe, quam animo conceperant, profecta consuetudo est *coemeteriorum* nomine appellare loca, in quibus christiani mortuos sepelire (4) consueverant. *Coemeterium* enim graeci vocant, quod nos *dormitorium* dicere possumus. Nam cum post mortem vitam sempiternam, resurrectionemque crederent futu–

non aspiciuntur, incurrit in mala, quae ante oculos sunt. Quod accidit nobis, quum neque cruciatum, neque mortem pro fide recusamus ».

(1) Iustinus martyr *apolog. II. n. 4. p. 94. seq. edit. an.* 1747. « Sed ne quis ita dicat: Omnes igitur morte vobis illata iam nunc abite ad Deum, nec nobis negotium facessite: dicam quid causae est, cur id non faciamus, et cur interrogati impavide confiteamur. Non frustra mundum a Deo conditum esse didicimus, sed propter humanum genus. Placere autem illi iam diximus eos, qui illum imitentur; contra displicere, qui deteriora vel dicto, vel facto amplectantur. Igitur si omnes nobis ipsis manus afferamus, quo minus quisquam gignatur, aut divina doctrina imbuatur, aut etiam quo minus extet humanum genus, in causa quantum in nobis est erimus, ipsi quoque contra Dei consilium venientes, si ita faciamus. Interrogati autem non negamus, tum quod nullius mali nobis conscii simus, tum quod impium existimemus veritatem in omnibus non dicere, quam Deo gratam sciamus esse, tum etiam quod vos opinione inique anticipata liberare studeamus ».

(2) Tertullianus *lib. I. ad nationes cap. XIX. pag.* 52. « Hucusque opinor, *inquit*, horrendae obstinationis christianorum, quae si vobiscum communicemus, superest deridenda personarum conferamus. Quamquam de persuasionibus omnis obstinatio nostra praestruitur: mortuorum enim praesumimus resurrectionem. Spes resurrectionis, fastidium est mortis. Ridete igitur quantumlibet stupidissimas mentes, quae moriantur, ut vivant, sed quo facilius rideatis, et resolutius decachinnetis, arrepta spongia, vel interim lingua, delete litteras interim vestras, quae similiter asseverant animas in corpora redituras ». Vide *apolog. cap. XLVIII. p. 153. edit. riaud. in append.*

(3) Immo vero non ex scriptura solum, sed etiam ex rationis momentis, quae suppetebant, colligere consueverant. Confer Athenagorae *lib. de resurrect. mortuor.*, *Tertull. apolog. cap. XLVIII. p. 153. seq.* Sed cum ethnici quidam suspicarentur, christianos nescio quod terrenum regnum sibi polliceri, Iustinus martyr *apolog. I. n. 11. pag.* 49. respondit: « Vos autem cum regnum a nobis expectari auditis, humanum perperam suspicamini, cum illud, quod cum Deo est, dicamus, ut vel ex eo patet, quod a vobis interrogati fateamur nos esse christianos, quamvis mortis poenam confitenti positam sciamus. Nam si humanum regnum expectaremus, negaremus profecto interitus vitandi causa, et latere conaremur, ut ea, quae expectamus, consequeremur. Sed quia spes in rebus praesentibus non habemus, interfectores parvi pendimus, cum praesertim mors omnino declinari non possit ».

(4) A Dionysio alex., Euseb. *lib. VII. cap. XI. p.* 335. *hist. eccl., cap. XIII. p.* 240., aliisque coemeteria appellata sunt loca, in quibus sepeliebantur christiani. Quia etiam ab latinis dormitoria dicta sunt. Igitur in actis s. Maximiliani martyris apud Ruinart. act. sincer. III. tom. p. 264. n. 3. haec leguntur: « Pompeiana matrona corpus eius de iudice eruit, et imposito in dormitorio suo perduxit ad Carthaginem etc. ». Sed vereor, ne hic

ram, non interitum christiani mortem videri, sed soporem, ac (1) somnum arbitrabantur. Quamobrem lapidibus sepulcralibus hasce litteras plerumque insculpebant (2), *dormit*, vel *quiescit* (3) *in*

locus de arca quapiam intelligi debeat, quae dormitorium appellaretur. Nam in dormitorio positum corpus Carthaginem fuisse asportatum actorum scriptor affirmat. Neque vero quidquam impedit, quo minus arcae eiusmodi, atque sepulcra ipsa dormitoria, seu coemeteria vocarentur. Quodcumque enim receptaculum erat corporum christianorum, hoc dici commode coemeterium poterat. Et quod ad sepulcrum attinet, egregium extat apud Aringhum monumentum *lib. I. Romae subterraneae cap. I. p.* 5. Inscriptionem enim profert sepulcri Octavillae, quae sic habet:

ΚΟΙΜΗΤΗΡΙΟΝ ΤΟΥΤΟ
ΟΚΤΑΒΙΛΛΗ ΤΗ ΙΔΙΑ ΓΥΝΑΙΚΗ
ΛΑΥΔΙΚΙC

Coemeterium hoc Octavillae propriae coniugi Laudiciae. Sed de nomine *coemeterii*, *ac dormitorii* vide Aringhum *ibid. pag.* 4. *seq.*, Spondanum *de coemeteriis pag.* 277. *edit. an.* 1638., Boldettum *lib. I. cap. I. p.* 1. *seq.*, Bottarium *tom. I. della Roma sotterr. p.* 1. *seq.*, Cangium *ad v. coemeterium lexic. med. et infim. latinitatis*, Suicerum *lexic. pp. tom. II. p.* 122. *ad v.* κοιμητήριον.

(1) Itaque in Alexandri mart. inscriptione, quam retuli *tom. I. huius operis pag.* 432. ex Aringho *lib.* III. *Romae subterr. cap.* XXXI, *p.* 525. *tom. I.*, sic habetur: « Alexander mortuus non est etc. ». Consule Tertullianum *lib. de anima cap.* XLIII. *p.* 297. ubi, « Cum evigilaverit, » *inquit*, corpus redditum officiis eius resurrectionem » mortuorum tibi affirmat. Haec erit somni et ratio naturalis, et natura rationalis. Etiam per imaginem mortis fidem initiaris, spem meditaris, discis mori, et vivere, discis vigilare, dum dormis ». Vide et Scorpiacem *pag.* 491. *eiusd. edit.*, et *lib. de patientia cap.* IX. *p.* 143., et *lib. de testimonio animae cap.* IV. *p.* 67. Sed ut ceteros mittam, omnium elegantissime, clarissimeque Prudentius *cathemer. in exeq. defunctor. pag.* 57. *edit. an.* 1625. canit:

« Quidnam sibi saxa cavata,
» Quid pulcra volunt monumenta,
» Nisi quod res creditur illis
» Non mortua, sed data somno?
» Hoc provida christicolarum
» Pietas studet, utpote credens
» Fore protinus omnia viva,
» Quae nunc gelidus sopor urget.

Adeundi Aringhus *lib. I. cap. I. p.* 4., et Iohannes Nicolaius *de luctu christianorum cap.* IV. §. II. *pag.* 13. *edit. Lugd. Batav. an.* 1739.

(2) Apud Boldettum *lib.* II. *cap.* VI. *p.* 395. extant inscriptiones duae, 1. sic habet:

VICTORIA DORMIT

Altera.

SATVRNINA DORMIT IN PACE

Et pag. 396.

AEMILIANVS ET AEMILIANA
SEVERINE FILIAE DORMIENTI
IN PACEM POSVIMVS DEPOSITIO
III. IDVS AVG.

Et

POMPEIA DORMET IN PACE
QVE VIXIT ANN. IIII. MENSES
NV. S. DECESSIT VI. NONAS DEC.
PARENTES BONE MEMORIE FECERVNT.

Praeterea Augurii Victoris sepulcro apud eumdem p. 308. haec leguntur: *dormit in pace*, ut et in Taranu *ibid.* Vide p. 399. Sed omnia eiusmodi, quae sunt apud Bosium, Aringhum, Fabrettum, Donium, Lupium, Marangonum, Boldettum, Muratorium, aliosque numerare non vacat. Confer quae retuli supra *p.* 17. *seq.*

(3) In sepulcro Aurelii Ursi apud Boldettum p. 395. lego:

☧ LEGITIMVS ET AMANTIA AVRELIO VRSO
FILIO DVLCISSIMO QVI VIXIT ANIS XVIIII.
DIES XV. PARENTES FECERVNT. DECESSIT XI. KAL.
OCTOBRES QVESCE IN PACE
EXIBIT DE SECVLV INBENTIS

S.

Vide cetera, quae retuli supra *p.* 17. *seq.*

pace, vel *pace* (1) solum, ut indicarent, non perire nostros, cum corpore animi solvuntur, sed frui meliore (2) vita, certoque scire fore, ut rursum illi corporibus coniungantur, sempiternoque regno cum servatoris generis humani Christo, in quo tamdiu queverint, potiantur.

§. IV.

De symbolis, quibus utebantur, ut in spem erigi etiam, atque etiam possent, deque nominibus sperati, *et* spei *quae viris, mulieribusque imponebant, ut rerum quas expectarent, reminiscerentur.*

Neque vero coemeteria solum vocabant loca, in quibus suos sepelire nostri solebant, sed etiam symbola quaedam suis oculis proponebant, ut significarent spem, quam in Deo christianus collocaverit, firmam, atque stabilem esse oportore. In his symbolis praecipue *anchora* (3) numerabatur. Quin etiam ut reminisce-

(1) Consule Boldettum p. 396. ubi

DEPOSO FLORES III. IDVS
MATIAS BIXIT ATNIS IIII.
MESES X. DIES X. IN PACE

Quin etiam et recessisse christianos *in somno pacis* scribebant. Boldettus *ibid. p.* 397.

RECESSIT SABBATIA IN SOMNO
PACIS. P. M. XXVIIII.

Et *depositos in pace ibid.*

PETRONIE BENEMERENTI QVE
VIXIT ANN. VII. DEPOSITA IN PACE

Et *receptos in pace. Id. ibid. p.* 398.

HERACLIA Q. VIXIT ANN. XXXVIII. M.

III. RECEPTA IN PACE ☧
XI. KAL. OCTOBRIS.

Et *locum ei datum ad dormiendum. Id. ibid. p.* 399.

ZOTICVS HIC AD DORMIENDVM.

Sed animadvertendum hic est, errasse Boldettum, qui Pauli nescio cuius inscriptionem graecam pag. 399. quae sic habet:

ΠΑΥΛΟς ΚΕ
ΚΟΙΜΗΤΕ ΕΝ ΙΡΗΝΙ

vertit: *Paulus requievit in pace*, cum vertere debuisset *dormivit in pace*. Rursum labitur Boldettus, qui hanc inscriptionem item graecam:

ΑΛΕΞΙC ΕΥΝΟΥΧΟC
ΚΟΙΜΑΤΕ

ibid. vertit hoc modo: *Alexias eunuchus requiescebat*, cum scribere debuisset, *dormit*. Sed omnia persequi non est necesse, neque vero vacat. Sunt enim prope innumerabilia.

(2) Vide inscriptionem Alexandri martyris, quam paullo ante indicavi.

(3) S. Paulus epist. ad hebraeos *cap.* VI. v. 18. *seq.* « Fortissimum, *inquit*, solatium habemus, qui confugimus ad tenendum propositam spem, quam sicut « ancoram habemus animae tutam, ac firmam, et « incedentem usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introiit Iesus ». Consule Aringhum *lib.* VI. *cap.* XL. *Rom. subterr. pag.*621. *tom.* II., quo loco aliquot patrum testimoniis rem, de qua est sermo, confirmat. Vide etiam, quae nos de *anchora* diximus supra pag. 70.

rentur bonorum, quae sibi, suisque in caelo, si sancte, pie, iuste, integreque vixissent, parata sunt (1), *sperati* maribus, *spei* feminis interdum nomina imponebant, atque hoc etiam pacto eorum morem taciti accusabant, qui deorum (2) nomina, quae sibi indita a parentibus fuissent, retinerent.

§. V.

De timore Dei, quo affici maiores nostri solebant.

Sed ii cum firma spe ducerentur, propterea quod divinam misericordiam erga se infinitam esse perspicerent, conscii tamen infirmitatis, imbecillitatisque suae, ne qua culpa propria caderent, verebantur. Itaque sibi (3) cavebant, Deoque se, cui res

(1) Boldettus *ibid. cap. xiv. lib. i. p.* 54.

PISTE SPEI SORORI DVLCISSIME
FECIT.

Vide Ruinartii *acta ss. mm. sinc. p.* 543. *ed. veron. De sperato* confer acta ss. mm. scillitanorum apud eumdem p. 75. n. 4. Atque haec quidem de huiusmodi re disputanti satis sunto. Cetera enim monumenta consectari longum, atque molestiae plenum esset.

(2) Nam si deos ethnicorum appellare non aequum ducebant veteres, multo minus imponenda eorum nomina christianis arbitrabantur. At erant tamen aliqui, qui sibi imposita retinerent. Vide Boldettum *lib. ii. cap. xvi. p.* 475. *et seqq.* Nam ibidem refert inscriptionem, quae sic habet:

ERMES SECVNDA.

Et pag. 477.

VENERI DVLCIS ANIMA.

Confer quae sequuntur. Multa eiusmodi apud Muratorium, Bosium, Aringhum, Lupium etc. reperire licet. Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap. xi. p.* 429. *edit. cantabrig.* de quinque martyribus agens, « Indita sibi a « parentibus nomina, *inquit*, ideo fortasse, quod essent « idolorum vocabula, abiecerant. Atque spem suam « indicaturi, lapidibus interdum veteres christiani haec « insculpere solebant: *Spes in Deo etc.* ». Boldettus enim *lib. ii, cap. vii. p.* 418. hanc inscriptionem refert

SPES IN DEO
IN D.
STEFANIS

Rursum *ibid. cap. ii. p.* 390.

SPEI ET DVLCIS CARITATIS FRATERNAE SEVERO
QVEM ANTE ANNOS XXV. PERDD. VRSVS FRATER
FECIT. SI DEVS VOLVISSET HOC EGO ANTE MERVERAM
SEVERO IN PACE.

Atque etiam *spiritum* mortuorum suorum in *pace* fore sperantes, ita, ut dixi, aliquando scribebant. Vide Boldettum *p.* 406. *et p.* 418.

(3) Confer acta ss. mm. lugdunensium apud Eusebium *lib. v. hist. eccl. cap. ii. pag.* 211. *edit. cantabrig.*, Cyprianus *epist. ad Donatum p.* 3. *edit. oxon.* ait: « Sit « tantum timor innocentiae custos, ut qui in mentes « nostras indulgentiae caelestis allapsu clementer De« minus influxit, in animis oblectantis hospitae iusta « operatione teneatur, ne accepta securitas indulgen« tiam pariat, et vetus denuo hostis obrepat ».

suas omnes crediderant, commendantes, ut ne deprehenderentur in vitio, studebant. Sed is timor non eiusmodi erat, ut *mundanus* (1), aut *servilis* appellari posset. Nam timoris intelligo tria esse genera. Unum *mundanum*, alterum *servilem*, tertium *filialem* timorem vocant. Ac *mundanus* quidem est is, qui mortales malum quodpiam metuentes a cultu praeceptorum Dei deterret. Iam vero *servilis* unius poenae formidine ad summum bonum, quod Deus est, revocat hominem scelere aliquo implicatum. Sed *filialis* horrore adversus peccatum, reverentiaque erga omnium bonorum conditorem, atque largitorem Deum nos permovet, ut Deo voluntate, atque amore conincti simus. Hoc postremo timoris genere, non modo affici maiores nostri (2), sed ut alii quoque afficerentur, curabant. Quamquam interdum comminatione sempiternae poenae terrere improbos solebant, inducereque, ut Deo cultum adhiberent, et praecipienti obtemperarent, quod conferre hanc posse cognoscerent, ut quis ab improbitate deterritus, consuetudine boni, sibi viam paret ad amandum, *filialique* timore metuendum Deum (3).

§. VI.

Quam longe ab arrogantia christiani veteres abessent.

Est autem virtuti spei contrarium arrogantiae vitium, quod *praesumptionem* vulgo appellant. Qui enim temere sperat, is quidem certe vocari *arrogans* iure potest. Ac temere sane sperat, qui tametsi praeceptis Dei non pareat, tamen confidit fore, ut salutem consequatur propter infinitam Dei erga nos, admirabilemque clementiam. Non enim quia potest immerentis misereri

(1) Confer sanctum Thomam 2. 2. *qu.* 19. *art.* 2.

(2) Vide Cyprianum loco modo indicato. Et *epist.* LXVII. *pag.* 174. *seq.* Tertullianus antiquior Cypriano *lib.* II. *de cultu feminarum cap.* II. *p.* 154. *seq.* „ Debemus quidem ita sancte, *inquit*, et tota fidei substantia incedere, et confisi, et securi simus de conscientia nostra, optantes perseverare id in nobis, non tamen praesumentes. Nam qui praesumit, minus iam veretur, minus praecavet, qui minus praecavet, is periclitatur. Timor fundamentum salutis est. Praesumptio impedimentum timoris. Utilius ergo si speremus non posse delinquere, quam si praesumamus non posse. Sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. Contra si praesumamus, neque timendo, neque praecavendo salvi erimus. Qui securus agit, non et sollicitus, non possidet tutam, et firmam securitatem. At qui sollicitus est, is vere poterit esse securus „. Sed de re clara, atque testata plura dicere non est necesse.

(3) Plenae sunt huiusmodi comminationum non modo apologiae veterum patrum omnium, sed etiam acta ss. mm. Quare non est opus, ut ea esse deligenda, atque in hunc locum transferenda putem.

Deus, idque iam aliquando fecit, credendum est eum, qui iustus perinde sit, id ipsum cuique in scelere persistenti esse concessurum. Ergo maiores nostri, quibus haec erant explorata, cum spe sempiternae vitae sibi post hanc mortalem comparandae ducerentur, sibique diffiderent, tum hoc magnopere studebant, ut quo tempore Deum orabant, atque implorabant, eis ut praesidio esse vellet, assensione, voluntate, opera ostenderent, recte se (1), non temeritate, arrogantiave incitatos sperare, quam Christus bonis pollicitus esset, felicitatem.

CAPUT III.

DE CHARITATE MAIORUM NOSTRORUM ERGA DEUM.

Age vero qui pii erga Deum essent; qui ordine se, recteque in eo spem collocasse demonstrarent; qui tot cruciatus perferre religionis tuendae caussa consuescerent, eos inflammatos amore erga divinum numen fuisse quis neget? cum praesertim dictum a Christo sit, eius charitate, qui pro alio vitam, sanguinemque profuderit, dari nullam maiorem posse? Ego autem cum vetera monumenta considero, et quas propter Iesum maiores nostri perpessi sunt, animo colligo calamitates; in eam facile inducor sententiam, ut mecum constituam, sine vehementi amore rerum divinarum fieri nequivisse, ut tot tantique viri, ac feminae res omnes suas contemnerent, desererent, profugerent in abdita, atque a civitate remota loca, famem, sitimque tolerarent, comprehenderentur, vexarentur, raptarentur, lacerarentur, interirent (2), modo ne quid efficerent, dicerent, probarent, quod Deo minus placere arbitrarentur.

(1) Vide acta ss. mm. Luciani, et Marciani apud Ruinartium n. 6. p. 143. ,, Iam diximus, quia gloria ,, christianorum talis est, *inquit Lucianus*, ut qui fideliter certaverit cum diabolo, minas, et quae sunt ,, praesentia caduca contempserit, perpetuam, et futuram vitam consequetur ,,. Adisis eumdem Ruinartium *ibid. pag.* 71. 75. 82. 85. 88. 103. 118. 122. 131. 133. 139. 142. 147. 164. 182. 188. 192. 194. 197. 200. 201. 202. 204. 206. 207. 210. 214. 229. 234. *et seq.*, 237. 248. 251. 253. 256. *et seq.*, 263. 301. 307. Confer praeterea loca, quae descripsi supra *pag.* 127. *seq. huius vol.*

(2) Tertullianus Scorpiaces *cap.* XII. *pag.* 497. *edit. an.* 1744. ,, Perfecta, *inquit*, dilectio foras obiicit timorem. Quoniam timor poenam habet, et qui timet, non est perfectus in dilectione. Quem timorem intelligi praestat, nisi negationis auctorem? ,, Quam dilectionem perfectam adfirmat, nisi fugatricem timoris, et animatricem confessionis? Quam ,, poenam timorem puniat, nisi quam negator relatu-

Cumque crederent bonitatem creatoris huius universitatis rerum esse infinitam, et vera esse omnia, quae per Christum, legebant, mortalibus parasse Deum, atque inde, quae sit illius erga genus humanum voluntas perspicerent, sic afficiebantur, ut Deum, Christumque Dei filium, Deum ipsum, atque hominem singulari amore (1) prosequerentur. Quem quidem amorem etsi non ex viribus naturae, sed ex gratia Dei profectum esse (2) intelligebant, tamen quod adiungere ipsi operationem quoque suam deberent, non solum servare, et prae se, ut poterant, ferre, sed confirmare, ac magis magisque augere, idque iam et prece, significationeque voluntatis erga Deum suae, quae modo sensu interiore, modo verbis inflammatum charitate animum indicanti-

„ rum est, cum corpore, et animae occidendum in gehenna? Quod si pro fratribus, quanto magis pro „ Domino moriendum docet „? Eadem fere persequitur *cap.* XIII. *pag.* 498. *Lib. autem de poenitentia cap.* XII. *p.* 147. „ Dilectio, *inquit*, summum fidei sacramentum, „ christiani nominis thesaurus, quam apostolus totis „ viribus sancti Spiritus commendat, cuius, nisi patientiae disciplinis eruditur? In persecutionibus denique praelietur, si fuga urgeat, adversus incommoda fugae caro militat, si et carcer praevenit, caro „ in vinculis, caro in ligno, caro in solo, et in illa „ paupertate lucis, et in illa penuria mundi. Quum „ vero producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundae intinctionis, ad ipsum divinae „ sedis ascensum, nulla plus illic, quam patientia corporis, *quam oriri dixit ex charitate* „. Iam haec Tertullianus ex Paulo didicerat, *epist.* I. *ad corinth. cap.* XIII. v. 4. *seq.* Eadem fere habet Clemens romanus *epist.* I. n. 49. *p.* 33. *tom.* I. *collect. epistol. romanor. pontif. edit. Constantii.* Vixit ante Clemens saec. I. Iam vero saeculo secundo ineunte Ignatius martyr in eandem sententiam loquitur *epist. ad ephesios* n. 14. *p.* 16. *tom.* II. *apostolic. pp. edit. an.* 1724. *ad magnesianos* n. 1. *p.* 17., *ad smyrnaeos* n. 6. *pag.* 36. Circa an. 150. ss. Felicitas, filiique martyres obierunt. In eorum actis *num.* 3. *pag.* 23. *apud Ruinartium* haec habentur. „ Unus est Deus, quem colimus, cui sacrificium piae devotionis offerimus. Vide ne tu credas, me, aut aliquem fratrum meorum „ a domini Iesu Christi amore recedere. Immineant „ verbera, stent cruenta consilia, fides nostra nec vinci „ potest, nec mutari „. Atque similia legere in epistola ecclesiae smyrnensis de martyrio Polycarpi, apud eundem Ruinartium n. 2. *p.* 27. licet: „ Oportet devotiores nos redditos omnia cum timore narrare, et „ singulorum militum Christi fidelis devotionem tropaee, ut gesta constat, exponere, quo amore circa „ Deum fuerint „. Graeca autem n. 2. *apud eundem pag.* 32. sic habent. Τὸ γὰρ γενναῖον αὐτῶν, καὶ ὑπομονητικόν, καὶ φιλοδέσποτον, τίς οὐκ ἂν θαυμάσειεν; οἳ μάστιξι μὲν καταξανθέντες ὥστε μέχρι τῶν ἔσω φλεβῶν, καὶ ἀρτηριῶν τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν θεωρεῖσθαι, ὑπέμειναν. „ Nam „ eorum strenuitatem, ac tolerantiam, et erga Dominum charitatem quis non admiretur? Qui flagris „ quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas, „ ac arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt etc. „. De Vetio Epagatho mart. scribunt lugdunenses *epist. ad eccl. Asiae apud Eusebium lib.* V. *cap.* I. *hist. eccl., et apud Ruinartium p.* 53. n. 3. *ad an.* 177. „ Immensa quadam charitatis copia erga „ Deum simul et proximum exuberans in eo erat „. Confer acta ss. Epipodii et Alexandri, qui an. 178. decesserunt, apud Ruinartium n. 5. p. 65. Sed omnia persequi longum esset. Quamobrem desino.

(1) Confer Matth. evang. *cap.* XIX. *v.* 17., *epist.* I. Iohann. *cap.* IV. *v.* 19., Iohann. evang. *cap.* III. *v.* 16., XIV. *v.* 23., et Paulum *epist. ad roman. cap.* VIII. n. 32. Atque eam ob rem ephesios suo tempore christiana flagrasse scribit Ignatius *epist. ad eos data* n. 1. *p.* 12. *apost. pp. tom.* II. *edit. an.* 1724. Iam vero eodem amore in Deum, ac proximum incensos sua aetate fuisse christianos, testatur Iustinus martyr dialogo cum Tryphone *num.* 93. *et seq. edit. an.* 1747. *p.* 200. *seq.* Vixit autem medio fere saeculo secundo. Idque iam ipsum colligere quisque facile poterit ex Minucio Felice tertii saeculi scriptore in Octav. *pag.* 336. *seq. edit. an.* 1672. Similia habent sequentium temporum scriptores Arnobius, Lactantius, Eusebius, aliique, quos ne sim longus, praetereo.

(2) Ioh. *epist.* I. *cap.* IV. *v.* 7., *Charitas*, inquit, *ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum.* Confer Ignatium Iohannis auditorem, ac martyrem *epist. ad Ephesios* n. 14. *p.* 15. Sed de re perspicua non est opus, ut plura esse dicenda putem.

bus sese proderet, et exercitatione virtutis consequi studebant. Igitur colligere saepe solebant se, contemplari potestatem, virtutem, misericordiam Dei, cogitare etiam atque etiam beneficia, quibus essent divinitus aucti, comprehendere animo, quid ab eo accepissent, eidemque quantum deberent, considerare. Quae contemplatio dici vix potest, quam eos vehementer in amorem incenderet. Gratias autem maximas consueverant et agere, et habere, quod ipsos Deus in summa rerum divinarum ignoratione versatos, docere, et sibi devincire, dignosque esse, qui christiani vocarentur, et essent, voluisset. Continere praeterea ipsi se, nihil non modeste, iuste, pie, sancteque agere; uno verbo, servare, et colere omnia, quae ab eo esse praecepta intelligerent. Cognorant enim indicium amoris nullum tam esse patens, ac manifestum posse, quam eius voluntate omnia facere, quem quisquam (1) amet.

Neque vero sibi ipsis solum, sed ceteris etiam hominibus amorem erga Deum, eiusque filium Christum inspirare, curabant. Sibi enim persuaserant fore, ut omnes christiani quanta arderent ipsi charitate, cognoscerent, si quem ipsi amabant, eumdem et cognosci ab aliis, et amari (2) consequuti essent.

(1) Hoc indicaturos Ignatius *epist. ad ephesios loc. cit.*, christiani duas esse praecipuas virtutes, ait, fidem, et charitatem. Ex iis autem, quae faciat ipse, cognosci dignus ne sit, qui appelletur hoc nomine. „ Nihil vos „ latet, si perfectam habueritis in Iesum Christum fi„ dem, et charitatem, quae initium vitae, et finis „ sunt: principium quidem fides, finis vero charitas. „ Haec enim duo in unum coeuntia, Dei sunt: om„ nia vero alia ad probitatem consequentia sunt. Nul„ lus fidem repromittens peccat, neque charitatem „ possidens odit. Manifesta est arbor ex fructu ipsius. „ Similiter qui profitentur, se christianos esse, ex iis, „ quae faciunt, cernuntur „. Clemens autem alexandrinus *in ii. stromateon libro p.* 383. „ Diligimus, *inquit*, „ sic se praeterita habere fide persuasi, futura spe ex„ pectantes ... Timor est principium dilectionis, qui „ timor fit per incrementum fides, deinde dilectio. „ Sed non sicut feram et timeo, et odi, ita etiam „ patrem et timeo, et amo „. Iam vero amorem, adiungit, operibus maxime manifestari. Perspicitur autem amor Dei in eo, qui verbis Dei delectetur. *Ps.* 41. v. 2. 3., 62. v. 1. *seq.*, 83. v. 2. *seq.*, qui peccatum vitet, propterea quod Deo displiceat, *ps.* 5. v. 5., 118. v. 128., divinis praeceptis obtemperet, *evang. Iohann.* v. 23. 24., *et epist.* i. *cap.* v. v. 3., alios Dei causa diligat, *epist.* i. *Iohann. cap.* iv. v. 20., pro Christo acerbos quosque, atque graves cruciatus ferat, *actor.* 21. v. 13. *rom.* 8. v. 36. Ac ita quidem se gessisse triom priorum saeculorum christianos pleros que omnes satis constitit ex iis, quae dicta supra sunt, dicenturque seqq. capp. Hoc dico breve, Origenem *lib.* iii. *contra Celsum num.* 39. *tom.* i. *opp. edit. monach. s. Mauri*, de nostris agentem, qui Christi amore inflammati, *fortes* in sententia manerent, ut ne vocula quidem eierarent christianismum, sic scriberet „ Ne vel una vocula christianismum eiurent, ad mor„ tem usque firmiter pugnant, parati quodvis suppli„ cii, mortisque genus sustinere. Nos quoque appellat „ (Celsus) *corpori addictum genus*, licet dicamus: *Etsi* „ *Christum aliquando secundum carnem novimus, sed nunc* „ *non amplius novimus*, at facilius pietatis causa corpus „ exuamus, quam philosophus deponeret vestem „. Hoc igitur maiores nostri agebant, ut re magis, quam voce quanto amore arderent, ostenderent. Nunc voce permulti, ut qui formulas quasdam recitare solent, opera autem magis, quam voce pauci diligi ob se Deum demonstrant. Ita nempe immutati sunt mores christianorum.

(2) Iustinus martyr. *lib. de monarchia num.* 1. *p.* 35. *edit. venetae an.* 1747. Φιλανθρώπου δὲ, inquit, ἢ μᾶλλον φιλοθέου ἔργον ἐστὶν ὑπομνῆσαι τοὺς ἄπερ

Sed cum ita se gererent, tum vehementer avebant, ut corpore soluti (si quidem ei, qnem diligebant, placeret) summo eidem bono perpetuo coniungerentur. Itaque haec una fere omnium vox erat, optare (2) dissolvi, et esse cum Christo. Quo in genere etsi post apostolos permnlti (3), Ignatins tamen martyr Iohannis anditor excellens fuit. Nam is, qui Domitiano imperatore, ecclesiae utilitatem anteposuerat suae, caveratque, ne in potestatem veniret ethnicornm, cnm Nerva, indeque Traianus potitus imperio populi romani esset, hilariore esse animo coepit, propterea quod pacem christianis restitutam videret. At cum in se converteret cogitationem, ita ut qui demissis sunt animis faciunt, perturbari, angique solebat, quasi minus proficeret, eaque charitate non abundaret, qua Christi discipulos praestare oporteret. Sed cum de se abiecte adeo sentiret, tum maxime amore

ὤφειλον εἰδέναι παραλελοιπότας. *Et autem hominis amore in homines, vel potius in Deum accensi, eos commonefacere, qui quae scire debebant praetermiserunt etc.*

(1) Vide s. Pauli *epist. ad philipp. cap.* I. v. 23.

(2) Iustinus martyr *apologia* II. *de Lucio martyre agens* n. 2. *p.* 93. „ Gratias, *inquit*, agebat, cum se ab „ improbis eiusmodi dominis liberari, et ad patrem, „ ac regem caelorum proficisci cognosceret „. Cumque ita christiani plerique omnes facere solerent, ethnicorum in se iram concitabant, quos Iustinus *ibid.* n. 4. loquentes inducit hoc modo : „ Omnes igitur mor- „ te vobis ipsis allata, iam nunc abite ad Deum, nec „ nobis negotia facessite „. Vide Tertullianum *apologet. cap.* XXXVII. *pag.* 30. *edit. opp. an.* 1744., et *cap.* L. *pag.* 38. *seq.*, acta ss. Iustini, et sociorum n 4. *pag.* 50. *apud Ruinartium edit. act. ss. mm. veron.*, ss. Epipodii, et Alexandri n. 5. *pag.* 65., acta ss. mm. scillitanorum n. 5. *ibid. p.* 75., acta ss. Perpetuae, et Felicitatis etc. n. 18. *seq. p.* 87. *seq.*, acta s. Saturnini episc. tolosani n. *ult. p.* 112., s. Pionii n. 20. *seq. p.* 127., s. Acathii n. 5. *pag.* 131., s. Maximi n. 2 *p.* 133., ss. Petri, Andreae, et Pauli n. 3. *p.* 135., ss. Tryphonis, et Respicii n. 6. *p.* 139. *seq.*, ss. Luciani, et Marciani n. 7. *p.* 143., ss. Fructuosi etc. mm. *p.* 193. n. 3., s. Genesii *num.* 3. *p.* 237., ss. Mauritii etc. *p.* 243. n. 4 , ss. Donatiani, et Rogatiani mart. n. 8. *p.* 248., s. Bonifacii *num.* 7. *seq. p.* 251. *seq.*, s. Maximiliani *pag.* 264. n. 2., s. Marcelli centurionis n. 5. *p.* 286., s. Theodoti n. 21. *seq. p.* 308. *seq.*, s. Felicis n. 6. *p.* 314., s. Vincentii levitae *num.* 5. *seq. p.* 325., ss. Saturnini, et Dativi n. 6. *seq. pag.* 341. *seq.*, ss. Agapae, Chionae etc. n. 5. *p.* 350., ss. Didymi, et Theodorae n. 1. *seq. p.* 353. *seq.*, s. Irenaei episcopi sirmiensis, qui anno 304. decessit *num.* 4. *p.* 355. *seq.*, ss. Pollionis, et Montani n. 2. *seq. pag.*359. *seq.*, qui eodem, quo Irenaeus anno martyrio coronati sunt, s. Eupli mart. eod. anno interfecti *num.* 2. *seq. p.* 361. *seq.*, s. Philippi episcopi Heracleae n. 3. *p.* 365. *seq.*, ss. Tarachi, Probi, et Andronici n. 5. *seq. p.* 381. *seq.*, s. Crispinae m. *pag.* 395. n. 1. *seq.*, s. Afrae n. 3. *pag.* 401., s. Agnetis ex Prudentii hymno XIV. περὶ στεφάνων v. 69. apud eumdem Ruinartium pag.403., quem in locum sic ea loquens inducitur :

„ Exulto, talis quod potius venit,
„ Vesanus, atrox, turbidus armiger,
„ Quam si veniret languidus, ac tener,
„ Mollisque ephebus tinctus aromate,
„ Qui me pudoris funere perderet.
„ Hic, hic amator iam, fateor, placet ;
„ Ibo irruentis gressibus obviam,
„ Nec demorabor vota calentia :
„ Ferrum in papillas omne recepero,
„ Pectusque ad imum vim gladii traham.
„ Sic nupta Christo transiliam poli
„ Omnes tenebras, aethere celsior.
„ Aeterne rector, divide ianuam
„ Caeli, obseratas terrigenis prius,
„ Ac te sequentem, Christe, animam voca,
„ Cum virginalem, tum Patris hostiam etc.

s. Ferreoli *num.* 1. *p.* 406. *seq.*, ss. Vitalis, et Agricolae n. 1. *p.* 410. *seq.*, ss. Cyrici, et Iulittae *p.* 421. n. 3.*seq.*, s. Apollonii, et socior. *p.* 428. *seq.* n.1. *seq.*, ss. Phileae, et Philorhm. n. 2. *seq. p.*436., s. Quirini *pag.* 439. *seq.*, s. Petri Balsami n. 2. *p.* 442., s. Luciani n. 2. *pag.* 445., s. Gordii n. 5. *p.* 451., ss. quadraginta mm. n. 4. *seq. p.* 465.

incendebatur. Itaque quo coniungi Deo proxime posset, certare cum ethnicis, suoque sanguine confirmare veritatem religionis christianae cupiebat. Interim instituendis antiochenis diligentem operam navabat, confidebatque esse quidem aliquando se, quod expeteret, consequuturum. Res omnis anno fere nono Traiani, ita ut ille prospexerat, evenit. Comprehensus enim, propterea quod Christum coleret, et sententia imperatoris damnatus, Romam est missus, ut, cum a feris in amphitheatro laceraretur, spectaculo populo romano esset. Ergo cum militibus decem, quibus traditus in custodiam fuerat, navem conscendit, Smyrnamque appulit. Eo ut pervenit, adiit ad Polycarpum (1) episcopum smyrnaeorum, quo viro, cum auditor Iohannis esset, condiscipulo usus fuerat. Ubi de se ipso, deque ecclesia sua egit, oravit hominem, atque obsecravit, ut metuenti sibi auxilio esse vellet. Curaret etiam, atque etiam, ne quis obsisteret, quominus bestiis exponeretur. Vereri autem se dicebat, ne amor erga se christianorum sibi esse detrimento posset. Nihil autem sibi esse optatius, quam, ut fieri perquam cito possit, e corpore emigret, et cum Christo arctius coniungatur. Post epistolam ad romanos in hanc sententiam scripsit. Quoniam Dei (2) beneficio consequutus esset, ut eos visere valeret, rogare se, ut ne iter, quod sibi et voluptati, et saluti futurum sperabat, idem, propter eorum erga se voluntatem, moestistiae sibi, ac damno esset. Nam si ethnicis obstitissent, quo minus feris exponeretur (obsistere vero eos, si vellent, posse), scirent eorum operam et inutilem ecclesiae fore, et sibi fortasse periculosam. Cur autem ii, qui mortalium nulli umquam, sibi nunc in caelum iter instituenti sempiternam gloriam invidissent? Quod si se amarent, hominem Christi caussa vinctum, atque vexatum, hoc magnopere studerent, non ut auctoritate, qua valebant, praecluderent, quam ille sibi munisset in caelum, viam; sed ut prece, supplicationibusque eorum magnos ipse spiritus sumeret et ad pugnandum, et ad vincendum. Nam sic haberent: se, bestiarum esca si fuerit, verum Christi discipulum futurum. Non ignem se, neque cruces, neque feras, non lanienam, distractionesque membrorum, non cruciatum ullum metuere, modo intueri Deum, cumque Christo

(1) Acta s. mart. Ignatii apud Ruinart. *p. 13. seq.*

(2) *Tom. II. pp. apostolic. p. 25. seq. edit. an.* 1724.

una versari posset. Esse exploratum sibi, quid hostis generis humani conetur. Eum namque, si statim nequeat, moras nectere, impedimenta interponere, diem ex die ducere solere, ut circumvenire tandem, vitiareque mortalium mentes possit. Caverent igitur romani, ne eius adiutores esse viderentur. Sibi potius eorum imploranti fidem morigerarentur. Atque *amor*, inquit, *meus crucifixus est* (amoris autem sui Christum indicabat nomine), nec est in me cupiditas ulla terrenarum rerum. Amore in Deum feror, ardeoque. Hic me, quasi loquens, hortatur, ut eam ad parentem, et largitorem omnium bonorum Deum. Nulla me res caduca delectat. Perpetuam charitatem expecto. Hoc agite obsecro. Sinite, ut moriar. Nam fruar, post mortem, meliore vita. Haec dum ad vos scribo, non carnis instinctu, mihi credite, sed Dei scribo. Denique certum est, quidquid aut secundi, aut adversi contigerit, vobis esse acceptum referendum. Quare si decedam, benevolentia vestra dimissum me; sin autem vivam, odio in me vestro servatum arbitrabor. Non sum nescius, indignum esse me, qui in martyribus numerari possim; sed misericordia, et beneficio Dei, ut numerer impetrabo. His litteris cum romanos, ut ne omni ope resisterent, praeparasset, in urbem tandem pervenit. Sed cum esse aliquos intellexisset, qui dicerent, curaturos se, ut ne populus fureret in hominem innocentem, neve eum feris obiiceret; eos ad se evocavit, hortatusque est, ne se ad caelum festinantem remorarentur. Flectere deinde omnes genua iussit, atque oravit Deum, ut ecclesiis praesidio esse, furoremque ethnicorum compescere, christianosque ad pietatem, virtutemque colendam incendere vellet. Paullo post abductus in amphitheatrum, atque a feris, ita ut expetebat, laceratus, devoratusque est, ac martyr in beatorum patriam emigravit. Atque haec de charitate erga Deum, qua christiani flagrabant, dicta sunto (1). Quae cum tam esset vehemens, mirabile non est, si ita instituti essent, ut omni virtute excellerent.

(1) Clemens alexandrinus *lib.* IV. *stromateon p.* 497. *edit. an.* 1641. « Neque opus felicitatis, *inquit*, neque » in Deum charitas aegre fert ea, quae accidunt; ma» net autem libera, etiamsi in bestias incidat imma» nissimas, et in ignem voracissimum, et licet tyran» nicis conficiatur tormentis divina pendens amicitia, » minime redacta in servitutem, superas obit regiones, » corpore iis tradito, qui id solum possunt tenere ».

LIBRI III.

PARS ALTERA.

DE MORIBUS, ET OFFICIIS CHRISTIANORUM ERGA SE IPSOS.

SEd quum plane christiani cognoscerent, eorum, qui moderari suam vitam nollent, talem esse quemquam nequire, qualem et religionis cultorem Deus, et respublica civem posceret; ita se continebant, nihil ut committerent, quod non grave, honestum, dignumque homine bene morato, et christiano esset. Cumque nos sic animo, atque corpore constare viderent, ut animus imperium tenere, regi autem, temperarique corpus ab animo debeat, et conscii sibi essent, animum ipsum et mente, et voluntate, et arbitrii libertate praestare; ac mentem quidem cognitione, atque imperio praemonstrare voluntati ad recte agendum viam, consectari vero voluntatem, si ei placeat, propterea quod arbitrii libertate utatur, assentiendo vel dissentiendo iis, quae mens sive ordine, seu contra praecipiat; hoc primum volebant, ut mentem quisque suam optimis notionibus, institutisque informari curaret, tum his voluntatem moderaretur, cupiditates animi pravas sedaret, coerceret eas, quae ex corpore proficiscerentur, daretque operam, ut una virtute regi se, delectarique ostenderet. Haec igitur cum ita sese haberent, partem alteram huiusce libri, quae est de moribus, officiisque christianorum veterum erga seipsos, sic esse distribuendam putavi, ut priore loco de iis, quae ad animum pertinerent, tum de ceteris, quae ex corpore orirentur, affectionibus hominis agerem; atque de animo dispu-

tans, principio, ut mentes maiores nostri institui suas studerent, deinde, nt voluntatem, ac reliquas facultates eiusdem animi moderarentur, inquirerem.

CAPUT I.

DE CURA A MAIORIBUS NOSTRIS SUSCEPTA RECTE INFORMANDI EORUM MENTES, QUI AD CHRISTIANAM RELIGIONEM ACCESSISSENT.

Ac notionum earum, qnibns instituere mentem oportet, aliae in veritatis cognitione, aliae in actione versantur. Atque illas quidem (1) θεωρητικὰς graeci appellant, quas nos *speculatrices* dicere possumus, has contra πρακτικὰς, quas nostris *activas* vocare licet. Ad primum genus pertinet auctoris huius universitatis, rebusque omnibus prospicientis Dei, et humanorum animorum libertatis, immortalitatisque (2) cognitio. Nam alterum praeceptis, institutisque morum continetur, quae partim ratione naturae, partim (3) Christi voluntate sancita sunt. Utrisque autem constare debet bene, beateque vivendi ratio. Quare alterutris sublatis, tolli etiam oportet non constantiam vitae modo, sed etiam veram hominis, stabilemque felicitatem. Itaque christiani veteres, statim atque aliquem nostris partibus studere, paratumque esse Christo se tradere in disciplinam, intelligebant, magistros (4) constituebant, a quibus illi doceri et decreta religionis, et praecepta, quae libris sacris continebantur, deberent. Atque ita brevi instituebantur viri, mulieresque et nobiles, et ex infima plebe orti, ut quid sentiendum de rebus divinis, quidque agendum cuique, in primisque christiano esset, longe accuratius (5), quam

(1) Multis de hac re disputat Baltusius soc. I. theologus tractato inscripto: Jugement de ss. peres sur la morale de la philosophie payenne, *lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 1. *seq. edit. an.* 1719.

(2) De decretis religionis christianae agam, ut alias saepe dixi, in eo libro, qui erit de catechistis, et catechumenis, deque symbolis, quibus christiane dogmata breviter continentur.

(3) Haec ipsa praecepta paucis complexi sunt Iustinus martyr *apolog.* 1. *n.* 15. *seq. p.* 55. *seq. edit. venetae an.* 1747., Athenagoras *legat. n.* 32. *p.* 329. *seq.*, Minucius Felix in extremo dialogo, qui inscribitur Octavius, aliique patres. Eadem ego capp. seqq. opportune describam.

(4) De catechistis, quibus catechumeni, hoc est, qui initiandi mysteriis nostris erant, instituendi tradebantur, disseram duodecimo huiusce operis libro.

(5) Athenagoras *legat. n.* 11. *p.* 306. *seq.* « Apud « nos autem, *inquit*, reperietis imperitos homines, et « opifices, et anus, si minus verbis praestare possint « eam, quae ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, « et factis eam, quae ex animi inductione proficisci-

philosophi ethnicorum solebant, coguoscerent. Quare fiebat, ut patres, qui imperitiae argui suos ab hostibus audiebant, nihil se eiusmodi obtrectatores morari dicerent, qui cum sibi sapientes esse viderentur, tum aequare non solum nullius virorum, sed ne (1) muliercularum quidem christianarum doctrinam possent. Huius rei caussam non aliam ullam esse aiebant, quam quod ethnici solam rationem, nostri autem doctrinam divinitus datam (2) consectarentur. Iam vero non christianos, qui mulierculas, rusticosque arcendos ab coetu sapientum vi-

tur, demonstrare. Non enim verba declamitant, sed recta facta exhibent ». Iustinus martyr *apolog.* II. n. 10. *p.* 95. *seq.* « Liquet ergo res nostras omni humana doctrina sublimiores, quia quidquid ad verbum pertinet, id extitit, qui pro nobis apparuit, nempe corpus, et verbum, et anima. Quaecumque enim praeclare umquam dixerunt, aut excogitaverunt philosophi, aut legumlatores, haec invento, et considerato aliqua ex parte verbo elaborarunt. Sed quoniam non omnia, quae sunt verbi, idest Christi, cognoverunt, persaepe secum ipsis pugnantia dixerunt ... Haec autem Christus noster sua ipsius potestate praestitit ... Christo autem non philosophi solum, et litterati homines crediderunt, sed operarii etiam, et omnino imperiti, qui et gloriam, et metum, et mortem contempserunt. Quandoquidem haec virtus inenarrabilis efficit, non humanae rationis instrumenta ». Confer n. 13. *p.* 101., Tatianus *oratione contra graecos num.* 32. *pag.* 266. *edit. opp. Iustini an.* 1747. « Apud nos, *inquit*, nec inanis gloriae cupiditas, nec varietas sententiarum. Remoti enim a pervulgata, et terrena doctrina, Dei praeceptis parentes, ac legem patris incorruptionis sequentes, quidquid humanis opinionibus continetur, reiicimus. Philosophantur non solum divites, sed et gratuita pauperes doctrina perfruuntur. Maiora enim sunt, quae a Deo proficiscuntur, quam ut mundi muneribus rependi possint. Quicumque autem audire voluerint, omnes hoc modo admittimus, etiamsi anus, etiamsi adolescentes fuerint, ac omni prorsus aetati suus est apud nos honor, sed longe abest lascivia etc. ».

(1) Tatianus *ibid.* n. 33. *p.* 267. « Qui nos, *inquit*, inter mulieres, et adolescentes, inter virgines, et anus nugari dicitis, et quia vobiscum non sumus, irridetis, quid nugarum ferant res graecorum audite. Nugantur enim eorum artes, dum maiore in pretio sunt, quam vestri dii, et circa gynaeceum indecore vos geritis. Praxillam enim etc. ..... Has recensere volui, ne quid novi apud nos existimetis fieri, atque et observantia oculis monumenta comparantes, eas, quae apud nos philosophantur, non irrideatis ». Vide *notat. superior.* Confer etiam Origenem contra Celsum *lib.* IV. n. 1. *seq. edit. monach. s. Mauri tom.* I.

(2) Confer locum Iustini supra recitatum, *ex apolog.* II. n. 10. *Idem apolog.* I. n. 4. *pag.* 64. « Quidam philosophiae nomen, et habitum praeseferunt, qui nihil dignum hoc promisso faciunt; nec vos decet eos, qui contraria olim inter se sensere, ac docuere, nomine non appellari philosophos. Ac eorum quidem nonnulli nullos esse deos dixerunt ». Idem ipse Iustinus *cohortat. ad graecos n.* 4. *pag.* 10. « Videtis, *inquit*, perturbationem eorum, qui apud vos sapientes habiti sunt, quosque vobis magistros religionis fuisse dicitis ... Quomodo enim iis, qui salutem adipisci cupiunt, tutum sit existimare, o graeci, veram religionem ab his posse perdiscere, qui ne sibi ipsis quidem persuadere potuerunt, ut ne inter se litigarent, et a suis invicem opinionibus dissidere viderentur etc. » ? Et n. 8. *p.* 12. « Igitur cum veri nihil ex magistris vestris de religione disci possit, et qui vobis idoneum suae ignorationis documentum mutuis dissensionibus praebuerint, aequi mihi videtur, ut ad maiores nostros recurramus, qui et multo antiquiores vestris fuere, nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt: nec inter se digladiati, aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ulla contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt, eamque nos docuerunt. Neque enim natura, aut humani ingenii acie res tam magnae, ac divinae cognosci ab hominibus possunt, sed eo, quod tum in sanctos homines descendebat, dono, quibus quidem nec verborum artificio opus fuit, nec pugnaciter quidquam, et rixandi studio dicere, sed puros seipsos divini spiritus operationi praebere, ut divinum illud delapsum e caelis plectrum, velut quodam cytharae, aut lyrae instrumento, iis iustis hominibus utens, divinarum nobis, et caelestium rerum cognitionem recluderet etc. ». Confer eumdem *apolog.* II. num. 13. *pag.* 101. Similia habet Clemens in προτρεπτ., aliique patres.

rorum negarent (1), sed ethnicos esse condemnandos, propterea quod solius personae, ac dignitatis esse defenderent, abundare praeceptis, institutisque philosophorum. Omnes enim homines, quum praediti mente, natique ad sempiternam felicitatem sint, institui oportere, sive viri sint, sive mulieres, quin pauperes ne, an dites, plebeii, an nobiles sint, inquirendum videatur. Quo magis reprehendendos esse philosophos, qui decreta sua obscuris sententiis, artificiosisque sermonibus, ne ab imperitis intelligerentur, implicarent, carpereque christianos auderent, quod dilucide, simpliciterque de rebus divinis dissererent. Namque hoc modo impediri mortales, quo minus, quae recte essent sancita, facerent. Nostros cuiuscumque aetatis, conditionisque essent, caste proinde, integreque vivere, quod magistris, qui ad eorum se ingenia demitterent, usi, et scirent, quae agere deberent, et adiuti a Deo essent, ut agerent. Itaque propagatam latissime esse nostram religionem (2). Vereri autem se, ne cum philosophi obsta-

(1) Clemens alexandrinus *lib.* IV. *stromatum p.* 497. *edit. an.* 1641. « Licet ei, qui ex more nostro vitam » instituit, etiam absque litteris philosophari, seu sit » barbarus, seu graecus, seu servus, seu senex, seu » puellus, seu mulier. Est enim temperantia commu» nis omnium hominum, qui eam suo arbitrio delege» rint. Est autem apud nos extra controversiam, eam» dem naturam in unoquoque genere, eamdem etiam » habere virtutem. Non aliam ergo habet naturam » mulier, quod attinet ad humanitatem, aliam vero » videtur vir habere, sed eamdem : quare etiam vir» tutem. Si autem viri utique virtus est temperantia, » et iustitia, et quaecumque eas consequi existiman» tur : soli vero convenit esse virtute praeditum, in» temperantem autem, et iniustam mulierem. Atqui » turpe est hoc vel dicere. Temperantiae ergo, et iu» stitiae, et cuiusvis alterius virtutis, similiter quidem » virum, et mulierem, liberum, et servum curam opor» tet gerere, quoniam accidit, ut sit una, et eadem » virtus eiusdem naturae ». Pag. 499. « Est ergo phi» losophandum mulieribus similiter, ac viris, etiamsi » praestantiores masculi primas in omnibus partes fe» rant, nisi evaserint molles, et effeminati. Universo » ergo hominum generi necessaria est disciplina, et » virtus, si quidem tendant ad felicitatem ». Minucius Felix in Octav. *p.* 122. *seq. edit. an.* 1672. « Sciat » (Caecilius) omnes homines sine delectu aetatis, se» xus, dignitatis, rationis, et sensus capaces, et habi» les procreatos, nec fortuna nactos, sed natura insi» tos esse sapientiam. Quin ipsos etiam philosophos, » vel si qui alii artium repertores in memoriam exie» runt, priusquam solertia mentis parerent nominis » claritatem, habitos esse plebeios, indoctos, seminu» dos ». Confer ceteros, quos nominat Maranus in *notat. ad orat. Tatiani contra graecos* n. 33. *pag.* 375. *edit. venetae an.* 1747.

(2) Origenes *lib.* VI. *contra Celsum* n. 1. *tom.* I. *opp. edit. monach. s. Mauri.* « Si veritatis doctores id sibi » proponunt, humanitatisque esse ducunt, ut quam » possunt, plurimis prosint, et ad veritatem adducant » quemcumque tardum, intelligentem, graecos, bar» baros (eximiae autem humanitatis est, lucrari Deo » vel rusticos, et imperitos) perspicuum est eam illis » usurpandam esse orationem, ac stylum, qui popu» laris sit, et ad omnium captum accommodatus ; qui » vero simplices, et illitteratos, eo quod ad assequen» dam sermonis seriem non essent idonei, nihili fe» cerunt, de iis solum solis cogitarunt, qui sunt lit» teris innutriti, eos certe publicae utilitatis studium » angustis admodum terminis circumscripsisse. Atque » haec mihi dicta sunt, ut a Celsi, aliorumque crimi» nationibus defenderem scripturarum simplicitatem, » quae cum sermonibus arte elaboratis collata ab il» lorum splendore obscurari videtur, quoniam nostri » prophetae, Iesus, et eius apostoli curarunt, ut sua » praedicandi ratio esset eiusmodi, quae non solum » vera doceret, sed etiam vulgi alliceret animos, do» nec singuli hortationibus inducti ad arcana sub ver» bis in speciem simplicibus latentia, pro suis quis» que viribus conniterentur. Ac si libere loqui opor» teat, paucis utilitatem attulit, si tamen ullam attu» lit, compta haec, et accurata Platonis, aliorumque

rent, quin doctrina erudiri plebeii, mulierculaeque possent, tum invidere (1) salutem aliis, rectamque morum institutionem viderentur. Mente igitur verissimis decretis, optimisque praeceptionibus expolita, non tam erat difficile voluntates mortalium ad amplectendam virtutem flectere. Quamquam conducerent etiam ad eam rem exempla christianorum, quos primis ecclesiae temporibus et multos, et sanctitate vitae praestantes fuisse diximus.

CAPUT II.

QUEMADMODUM VOLUNTATES SUORUM PARARE CHRISTIANI AD VIRTUTIS CULTUM SOLERENT.

Verumtamen non doctrina, atque exemplis modo, sed etiam prece, ut supra demonstratum est, diuturnisque supplicationibus impetrabant, ut qui ad christianorum accessissent religionem et intelligere, et exsequi, quae in concione dicebantur, possent. Norant enim vi naturae neque parere voluntatem praeceptis, neque flecti mentem, ut decretis divinitus datis assentiatur. Itaque opus auxilio Dei esse. Hoc vero consequi mortales, si orent, atque ita quidem orent, ut non resistant motibus iis animi, quos vocamus *inspirationes* Dei. Sed inter eas virtutes, quas a nostris coli opor-

» similiter loquentium oratio prae illa simpliciori eorum, qui docendo, et scribendo se ad vulgi captum » demiserunt ... Ut ergo demus quaedam graecorum » dogmata eadem esse, quae christianorum, certe non » eadem vis est ad animos adducendos eo, ut ex illis » mores conforment. Quo circa Iesu discipuli, licet » graecanicae philosophiae rudes, et imperiti, multas » terrae gentes peragrarunt, et eas pro singulorum » auditorum captu ad id pertraxerunt, quod percipiebat doctrina, ita ut quantam quisque ad virtutem » amplectendam habebat liberi arbitrii sui propensionem, tantum profecerat ». Vide Iustinum martyrem *apolog.* I. n. 39. *p.* 68. *edit. an.* 1747., Clementem alexandrinum προτρεπτ. *p.* 3. *seq. edit. an.* 1641., et Lactantium *lib.* III. *divinar. institut. cap.* XXV. *seq. p.* 257. *seq. edit. an.* 1748.

(1) Iustinus martyr *apolog.* I. n. 12. *p.* 50. « Metuere videmini, *inquit*, ne omnes aeque faciant (si » fiant christiani) nec iam habeatis, in quos animadvertatis ». Adeundus Tatianus *orat. contra graecos* n. 17. *pag.* 233. Sed omnium luculentissime Lactantius Firmianus *lib.* III. *cap.* XXV. *p.* 257. « Summus ille noster, *inquit*, Platonis imitator existimavit philosophiam non esse vulgarem, quod eam nonnisi docti » homines assequi possint. *Est*, inquit, *philosophia paucis contenta iudicibus multitudinem consulto ipsa fugiens.* » Non est ergo sapientia, si ab hominum coetu abhorret: quoniam si sapientia homini data est, sine » ullo discrimine omnibus data est, ut nemo sit prorsus, qui eam capere non possit. At illi virtutem » humano generi datam sic amplexantur, ut soli omnium publico bono frui velle videantur, tam invidi, quam si velint deligare oculos, aut effodere ceteris, ne solem videant. Nam quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum » verum, ac divinum lumen auferre? Quod si natura hominibus sapientiae capax est, oportuit et opifices, et rusticos, et mulieres, et omnes denique, qui » humanam formam gerunt, doceri, ut sapiant; populumque ex omni lingua, et conditione, et sexu, » et aetate conflari ».

tere Christus docuerit, magnam esse illam, quam nostri appellant humilitatem. Hanc esse veluti fontem moralium ceterarum. Quamobrem, qui in eadem sese exerceat, hunc insignem ferre diligentiae fructum posse. Huiusce autem virtutis aut nullam habuisse veteres, aut si quidem ullam, eam certe satis exiguam fuisse cognitionem. Nam etsi fuerunt aliqui sic intelligentia comparati, ut eam laudandam arbitrarentur, hi sane vel nullo modo, vel si verbis interdum, re tamen vera demissis animis fuerunt numquam. Atque est quidem humilitas virtus opposita superbiae, contrariaque inanis gloriae vitio (1). Sed ut eam maiores nostri coluerint, demonstrandum est.

CAPUT III.

DE HUMILITATE VETERUM CHRISTIANORUM.

Praestat autem *humilitatis* virtute is, qui cum nihil ad inanem gloriam revocet, tum de se abiecte, demisseque, non verbis, sed re vera sentit, idemque ut de ipso ceteri sentiant, conatur. Atque inanem quidem splendorem, et gloriam christiani veteres non solum vitabant, sed etiam maiorem in modum (2) detestabantur. Quamobrem neque imperii (3), neque dignitatis,

(1) Negari nequit, quin christiani semper existimarint, nisi virtute Dei, neque agere quidquam nomine boni, quod ad vitam sempiternam conducat, neque amplecti christianae religionis decreta posse. Sed haec ipsa virtus tam patens persaepe fuit, ut non solum peccatricem illam mulierem, cuius facta est in evangelio mentio, et Paulum, sed etiam insequenti aetate permultos, quamquam resistere velle viderentur, ad cultum verae pietatis, religionisque traduxerit. Ergo Origenes *in 1. contra Celsum libro n. 46. tom. 1. opp. edit. monachor. s. Mauri*, » Dicam nihilominus, *inquit*, multos ad religionem christianam accessisse velut invitos, spiritu quodam repente sive per visum, sive per somnium in illorum animos agente, atque ita illos immutante; ut quod in illam conceperant odium deponerent, et pro illa mortem oppetere sustinerent. Multa eiusmodi novimus, quae si scriberemus, tametsi illorum oculati testes fuerimus, benignam risus materiam praeberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, quos talia finxisse norunt, iudicantes, haec etiam a nobis conficta esse existimarent. Testis tamen est Deus, cui arcana conscientiae nostrae patent, nos divinam Iesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed variis, iisque evidentibus argumentis confirmare velle etc. ».

(2) Tatianus *oratione contra graecos n. 11. p. 267. opp. Iustini edit. venetae an. 1747.* de christianorum moribus agens, » Regnare, *inquit*, nolo, ditescere non libet, praeturam recuso, scortationem odi, navigare ob insatiabilem avaritiam non cupio, de coronis consequendis non dimico, liber sum *ab inani gloriae* cupiditate, mortem contemno, quovis morbi genere superior sum, moeror animi non abrodit me, si servus sum, servitutem sustineo, si liber, ingenuitatem non ostento etc. ». Atque huiusmodi erant Clementis I. pont. max. aetate perplures corinthii, et ipse scribit *epist. 1. apud Coustantium tom. 1. collect. epistol. rom. pontif. p. 10. n. 2.* » Omnes, *inquit*, humili animo eratis nullatenus superbientes, magis subiecti quam subiicientes, dantes potius, quam accipientes etc. ».

(3) Tertullianus *apolog. cap. xxxviii. pag. 117. edit. opp. venetae an. 1744. in append.* » At enim, *inquit*, nobis ab omni gloriae, et dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas coetus, nec ulla magis res alie-

neque pecuniae cupiditate, qua pecunia sibi pararent ad honores viam, incendi poterant. Namque nihil faciundum (1) arbitrabantur gloriae caussa. Quod si quisquam eorum divitiis, opibusque circumfluebat, tantum aberat, ut pauperem contemnendum (2) putaret, ut non simulate, sed ex animo eidem sese postponeret. Etsi enim pecunia ab se pauperem superari norat, tamen esse illum credebat se divite virtute praestantiorem. Itaque submittere illis se, pedes eorum (3) lavare, adesse, obsequi, omnia denique agere studebant, ex quibus quam magnifice de ceteris, quamque de se ipsis abiecte sentirent, cognosceretur. Quin etiam si excellere doctrina se, contineri in officio, illustres doctrina esse, magnaque apud omnes in laude versari cernerent, inflato tamen, ac tumenti, ut aiunt, animo non (4) erant, quod

« ne, quam publice ». Et *cap.* XXVI. *p.* 147. « Diogenes superbos Platonis toros alio superbia deculcat; christianus nec in pauperem superbit ». Minucius Felix in Octavio p. 341. « In hoc adeo quidam imperiis, et dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditae mentis licentia potestatis libere nundinetur. Absque enim notitia Dei, quae potest esse solida felicitas, cum mors sit somnio similis, antequam tenetur, elabitur? Rex es? Tam times, quam timeris, et quamlibet sis multo comitatu stipatus ad periculum tamen solus es. Dives es? Sed fortunae male creditur, et magno viatico breve vitae iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus, et purpuris gloriaris? Vanus error hominis, et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? Omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur. Nos igitur, qui moribus, et pudore censemur, merito malis voluptatibus, et pompis vestris, et spectaculis abstinemus etc. ».

(1) Clemens romanus *epist.* I. *ad corinth. tom.* I. *collect. epist. rom. pont. edit. eiusd. num.* 16. *pag.* 16. « Christus eorum est, qui humiliter de se sentiunt, non eorum, qui supra ovile eius efferunt sese. Sceptrum maiestatis Dei dominus noster Christus Iesus non venit in iactantia arrogantiae, neque superbiae, etiamsi sit potens, sed in humilitate, quemadmodum Spiritus sanctus de ipso locutus est ». Paullo ante n. 13. pag. 15. dixerat. « Humiles simus, fratres, deponentes omnem arrogantiam, et fastum, et amentiam, et iram, atque faciamus, quod scriptum est: dicit enim Spiritus sanctus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua etc.* ». Eadem fere habet sanctus Ignatius *epist. ad magnesianos* n. 12. *p.* 20. *tom.* II. *apostolic. pp. edit.* an. 1724. Laudat autem magnesianos ob eam rem, ac *novi*, inquit, *quod in vobis nihil fastus insit. Iesum enim Christum habetis in vobis ipsis, et magis cum laudo vos, scio, quod rubore suffundamini, sicut scriptum est*: Iustus sui est accusator. Et ad trallianos n. 4. p. 22. « Multa sapio, *inquit*, in Deo, sed meipsum metior, ne gloriando peream. Nunc enim plus mihi timendum est; nec animus illis intendendus, qui me inflant. Qui enim me laudant, flagellant me. Nam diligo quidem pati; sed nescio, an dignus sum. Zelus quidem multis non apparet, me vero maiorem in modum impugnat; opus enim mihi mansuetudine, qua princeps saeculi huius destruitur ».

(2) Consule Iustinum martyrem *apolog.* I. *num.* 15. *p.* 53. *edit. an.* 1747., et Tertullianum loco mox recitando, et apologetici *cap.* XIII. *p.* 36.

(3) Iam hoc Christi exemplo incitati iam usque a primis temporibus christiani *observantur*. Confer *epist.* I. *Pauli apostoli ad Timotheum cap.* V. v. 10. Atque hunc morem obtinuisse sua aetate indicat Tertullianus in altero ad uxorem libro *cap.* IV. *p.* 169. *edit. venet. an.* 1744. « Quis (ethnicus), *inquit*, sinat coniugem suam (christianam) visitandorum fratrum gratia vicatim aliena, et quidem pauperiora quaeque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? Quis denique solemnibus paschae abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur? Iam vero alicui fratrum ad osculum convenire, aquam sanctorum pedibus offerre »? Vide quae de Placilla imperatrice refert Theodoritus *lib.* V. *hist. eccl. cap.* XIX. *p.* 218. *edit. cantabrig.*, et quae de Paula scribit Hieronymus in eius epitaphio *epist. ad Eustochium tom.* IV. *opp. p.* 678. *edit. Martianaei.*

(4) Vide Tertullianum *lib. de velandis virginibus cap.* XIII. *p.* 180. *edit. an.* 1744. ubi apostoli Pauli sen-

sibi persuasissent, quidquid boni haberent, non propriae virtuti, sed Deo esse largitori bonorum omnium tribuendum. Noverant enim ipsi se, planeque intelligebant, quam essent infirmis viribus. Quare si quid in ipsis mali, illud quidem sibi, si quid autem esset praeclari, hoc virtuti, bonitatique omnipotentis, munificentissimique Dei acceptum referebant. Igitur mirabile non est, si tot illi beneficiis, donisque continenter augerentur, cum scriptum afflatu, instinctuque divino sit, resistere (1) superbis, humilibusque gratiam largiri Deum.

sententiam, ne quis glorietur, sequutus, scribit hoc modo. « Praecipit, *inquit*, Christus, nihil debuccinemus « eorum, quae apud illum mercedem merebuntur, nec « ea ab hominibus compensemus, quod si unius vi« ctoriati, vel quamcumque eleemosynae operationem « sinistra conscia, facere prohibemur, quantum tene« brarum circumfundere debemus, cum tantam obla« tionem Deo offerimus ipsius corporis, et ipsius spi« ritus nostri, cum illam ipsam naturam consecra« mus ... Gloria illicitum est eis, quorum probatio in « omni humiliatione constat. Et si a Deo confertur « continentiae virtus, quid gloriaris, quasi non acce« peris? Si vero non accepisti, quid habes, quod tibi « datum non est? Hoc ipso autem constat a Deo tibi « datam non esse, quod illam non soli Deo praestas ». Ita ille coarguit quasdam, a quae tamen erant, quae sibi quidquam tribuere, quin Deo acceptum totum, quantum erat bonum, referrent. Neque enim plures esse ita animati poterant, ut gloriarentur si quidpiam aut scirent, aut agerent salutare, cum omnes sibi persuasissent, bonorum omnium esse largitorem Deum. Iust. martyr dialogo cum Tryphone n. 7. *p.* 113. *edit. venetae an.* 1747. Sanum christianum sic se fuisse alloquutum scribit. « Tu vero precare, ante omnia, lucis « portas tibi aperiri, neque enim haec quisquam per« spicere, et intelligere possit, nisi cum Deus intelli« gentiam dederit, et Christus eius ». Rursum n. 30. p. 133. « Deum semper per Iesum Christum obsecramus, ut « postquam per Iesum ad eum conversi fuimus, inta« minati simus. Adiutorem enim eum, et redemptorem « vocamus ». Igitur in extremo eodem dialogo n. 142. p. 245. laudantem eloquentiam Iustini Tryphonem sic sanctus interpellat, seque iam omnia Deo tribuere dicit. Id quod factum etiam a Cypriano est in epistola ad Donatum *p.* 3. *edit. oxon.* Atque Cyprianum de se abiecte, humiliterque sentientem celebrat Pontius diaconus in eius vita, *p.* 3. *eiusd. edit. in proleg.* Idem ipse Cyprianus *epist.* vi. *p.* 13. laudans confessores, scribit hoc modo. « Beatas feminas, quae vobiscum sunt in eadem « confessionis gloria constitutae, quae dominicam fi« dem tenentes, et sexu suo fortes non solum ipsae « ad coronam proximae sunt, sed et ceteris quoque « feminis exemplum de sua constantia praebuerunt. « Ac ne quid deesset ad gloriam numeri vestri, ut « omnis vobiscum sexus, et aetas esset in honore, « pueros etiam vobis gloriosa confessione sociavit di« vina dignatio .... Et consideratis diligentius peto, « quae apud illos pauces fides fuerit, quae promereri « Dominum plenius potuit ... Cum se crederent, et « pro fide sua scirent posse etiam de praesenti sup« plicio liberari, iactare hoc tamen, et vindicare sibi « noluerunt ». Etsi vero Cyprianum id tribuere pueris tribus, quorum fit in Danielis prophetia mentio, videatur; tamen nihil impedit, quo minus etiam de martyribus africanis intelligatur. Praeterea quam de se abiecte sentirent martyres lugdunenses, cognosci poterit ex v. *hist. eccl.* Eusebii *libro cap.* ii. *p.* 166. *edit. paris.* Confer etiam acta ss. martyrum Montani, et Lucii n. 14. pag. 204., et s. Pompii n. 1. p. 341. apud Ruinartium *edit. veron.* Immo vero cum haud aegre paterentur nostri contemni ab ethnicis se, et multis calumniis, contumeliisque exagitari, ecquid hoc, nisi iudicium fuit hominum de se abiecte, atque humiliter sentientium?

(1) 1. *epist. Petri cap.* v. n. 5.

CAPUT IV.

DE LIBERALITATE VETERUM CHRISTIANORUM, DEQUE EORUM ANIMIS ALIENIS A CUPIDITATE TERRENARUM RERUM.

Iam vero non minus superbiae fugiendum putabant, quam avaritiae vitium. Est autem avaritia pecuniae habendae, quasi expetenda sit, animo penitus inhaerens cupiditas. Existit autem ex avaritia temeritas, et audacia; inde vero omnia scelera, ac maleficia gignuntur. Id cum esset christianis compertum (1), et cognitum, omni ope, diligentiaque curabant, ut ne implicarentur hoc tanto scelere. Itaque divitias non modo non quaerebant, sed (2) etiam contemnendas arbitrabantur. Qui enim hisce bonis carerent, his liberiorem, faciliioremque putabant in caelum aditum concedendum. Nam terrenis facultatibus illigatos, atque (3)

(1) Avarus non pecuniam modo, sed rem quamque quibus ditescere possit, vehementer cupit. Quae autem vitia oriantur ex avaritia, indicat Clemens alexandrinus in II. *paedagogi libro cap.* III. *pag.* 162. *edit. an.* 1641. ubi, „ Nonne autem, *inquit*, ex sitii inventa est pe„ cuniae cupiditas, quam apostolus dicit esse radicem „ omnium malorum, quam quidam appetentes a fide „ aberrarunt, et seipsos confixerunt multis doloribus „. Igitur sic concludit: „ Verae autem divitiae sunt, pau„ pertas cupiditatum: et vera animi magnitudo est, „ non propter divitias sibi placere, et magnum spiri„ tus sumere, sed eas despicere. De supellectile autem, „ et vasis se iactare est perquam turpe etc. „. Quod autem avaritiae vitium christiani fugerent, constat ex Iustino martyre dialogo cum Tryphone n. 14. pag. 119., ex Tatiano *orat. contra graecos* n. 11. *p.* 267. *edit. simul. opp. Iust.*, ubi de moribus christianorum agens, „ Regnare nolo, *inquit*, ditescere non libet, praeturam re„ cuso ... Navigare ob insatiabilem avaritiam non cu„ pio „. Rursum Iustinus *epist. ad Diognetum num.* 5, *pag.* 249., ut ostenderet christianos ab avaritia distare, *Mendici sunt*, inquit, *et multos ditant. Rebus omnibus indigent, et omnia illis redundant.* Quamque iam ab eo genere vitii abessent, magis magisque constare poterit ex iis, quae de relictis suis facultatibus a christianis supra diximus, ut fidem Christo datam servarent. Vide Tertullianum *lib. de patientia cap.* VII. *p.* 144. *edit. an.* 1744.

(2) Minucius Felix in Octav. *p.* 334. *edit. an.* 1672. „ Ceterum quod plerique pauperes dicimur, non est „ infamia nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu sol„ vitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest „ pauper esse, qui non eget? Qui non inhiat alieno? „ Qui Deo dives est? Magis pauper ille est, qui cum „ multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quem„ admodum sentio: nemo tam pauper potest esse, „ quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt, et in „ diem pecua pascuntur. Et haec nobis tamen nata „ sunt, quae omnia, si non concupiscimus, possidemus. „ Igitur ut qui viam terit eo felicior, quo levior incedit; ita beatior in hoc itinere vivendi, qui pauperta„ te se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et „ tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus. Utique indulgere posset aliquantum, cuius est „ totum. Sed nos contemnere malumus opes, quam „ continere. Innocentiam magis cupimus, magis pa„ tientiam flagitamus. Malumus nos bonos esse, quam „ prodigos, et quod corporis humani vitia sentimus, et „ patimur, non est poena, militia est „. Vide Iustinum martyrem *apolog.* II. *n.* 10. *seq. p.* 99. *seq. edit. venet. an.* 1747.

(3) Confer Tatianus *orat. contra graecos p.* 267. *opp. Iust. edit. an.* 1747., et Minucium Felicem loco modo descripto. Idem Minucius Felix *loc. cit. p.* 123. „ At ve„ ro, *inquit*, divites facultatibus suis illigatos, magis au„ rum suspicere consuesse, quam caelum. Nostratem „ pauperem et commentos esse prudentiam, et tradidis„ se ceteris disciplinam ... Nihil itaque indignandum, „ vel dolendum, si quicumque de divinis quaeret, sen„ tiat, proferat, cum non disputantis auctoritas, sed di„ sputationis ipsius veritas requiratur „. Utque Christo obsequerentur, vitaque aeterna potirentur, christianos omnia terrena contemnere voluisse, ne ethnici quidem

irretitos extolli vix posse credebant, quum illis in terram veluti laqueis quibusdam pertracti deprimerentur. Fuerunt proinde permulti, qui purioris, sanctiorisque vitae degendae studio incitati, res (1) quasque suas divenderent, quamque pecuniam collegissent, aut ipsi per se egentibus distribuerent, aut praefectis ecclesiae, ut pauperibus distribueretur, offerrent; postque vel subducerent ex aliorum societate se, atque in deserta loca herbis victitatum profugerent, vel in urbe manerent, victumque, ut pauperes ceteri, aut ab ecclesia peterent, aut operam cuiquam suam locantes, quaeritarent. Alii etsi quae possidebant retinerent, tamen tantum pecuniae, quantum possent, suppeditare ministris, quibus ecclesiarum (2) thesaurus concredebatur, solebant, ut iis rebus impenderetur, quas ex usu pauperibus esse episcopi diiudicassent.

§. I.

Tam erant christianorum animi a cupiditate auri, facultatumque terrenarum alieni, ut palam id sibi sumerent, qui redargui ab religionis nostrae hostibus se posse vererentur.

His ergo moribus christiani cum viverent, atque eniterentur ut non ipsi modo, sed etiam ii, qui nostris mysteriis initiari cupiebant, et auri, et facultatum, et cuiusvis alterius creatae rei

Lucianus, Celsus, et Caecilius negaverunt. Nam Lucianus in peregrino *tom.* III. *opp. p.* 338, n. 13. *edit. an.* 1743. „ Primus, *inquit*, illis legislator persuasit, omnes esse „ invicem fratres, postquam semel transgressi, graecos „ deos abnegaverint, adoraverint autem affixum illum „ cruci ... atque ex ipsius legibus vivant; quare omnia „ reliqua aeque contemnunt, et arbitrantur commu- „ nia etc. „ Celsus apud Origenem *lib.* VI. n. 16. *tom.* I. *opp. edit. monach. s. Mauri*, quem quidem Celsum inimica nostros accusantem egregie refellit ibidem Origenes. Quod ad Caecilium attinet, vide Minucium Felicem in Octav. *p.* 34. *edit. an.* 1672. Multa in hanc rem praeclare disputata sunt a Lactantio in VII. *instit. divinarum libro cap.* I. *p.* 517. *seq.*, quem lector adeat.

(1) Est enim ea consuetudo orta iam usque ab aetate apostolorum. Sic enim habet Lucas in *act. cap.* IV. n. 32. *seq.* „ Multitudinis credentium erat cor unum et „ anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, „ aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia com- „ munia ... Quotquot enim possessores agrorum, aut „ domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, „ quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolo- „ rum. Dividebatur autem singulis, et prout cuique „ opus erat. Ioseph autem, qui cognominatus est Bar- „ nabas ab apostolis ... cum haberet agrum vendidit „ eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes aposto- „ lorum „. Sed de communione bonorum, de qua dicam paullo post copiosius, vide locum modo descriptum Lorini. Consule praeterea s. Athanasium alexandrinum *vit. s. Antonii abbatis tom.* I. *opp. edit. montfauc.* num. 2. *seq. p.* 795. *seq.*, quo loco, ut omnia Antonius reliquerit, atque in desertum locum secesserit, narrat; et Paulinum nolanum *natal.* v. *s. Felicis* v. 257. *seq. apud Rainart. p.* 229. *edit. veron. act. ss.* mm. Cetera exempla praetereo, ne sim longus.

(2) Tertullianus *apologet. cap.* XXXIX. *p.* 31. „ Etiam „ si quod arcae genus est non de honoraria summa, „ quasi redemtae religionis congregatur. Medicam enus-

cupiditate (1) vacarent, mirabile sane videri non debet, si aut ethnicos, aut iudaeos alloquentes, hoc sibi iure quodam suo sumere, ac vindicare solerent; inveniri videlicet neminem, qui in avaritiae, inanisque gloriae suspicionem vocare, nisi per summam iniuriam, nostros posset. Id vero et ab Tatiano (2) assyrio, cuius est a nobis paullo ante descripta sententia, et ab Iustino martyre, atque philosopho cnm contra Tryphonem iudaeum (3) ageret, summa dicendi libertate, quod sibi conscii essent, quam virtute ipsi, sociique valerent, usurpatum est. Cur enim divitias expeterent hi, qui ita erant animati, ut peregrinos se in terris esse certo scirent, ad eamque, quam in caelis sibi esse paratam in sacris bibliis legerant, patriam viam sibi munire studerent? Sed quoniam eornm praeclare gesta persequi non vacat, qui in hoc genere magnum sibi nomen, et gloriam pepererunt, satis nunc illud esse unum arbitrabor, quod est memoratum ab Eusebio caesariensium antistite in historia. Is enim missos ab Abgaro rege edessenorum nuncios ad Christum Hierosolymam fuisse scribit, qui dicerent, gravi regem morbo conflictari, orareque maiorem in modum, ut eius opera convalesceret. Christum, qui eam rem in aliud tempus differre decrevisset, hoc responsum legatis dedisse: regis salutem sibi curae futuram. Missurum namque sè, cum a mortuis excitatus esset, e suis auditoribus aliquem, qui non regi modo, sed etiam propinquis eius, ac sub-

„ quisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo posit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, et pueris, ac puellis re a parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, inde naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae alumni confessionis suae fiunt „. Sed de hisce indiciis amoris, pietatisque erga egentes dicam fuse, atque copiose in tertia huiusce libri parte.

(1) Nam hoc in primis nostri curabant, ut in animis auditorum malae quaeque affectiones, ut fieri quidem poterat, aut restinguerentur, aut reprimerentur. Confer praeter ceteros Iustinum martyrem dialogo cum Tryphone n. 11. *seq. p.* 116. *seq. edit. venetae an.* 1747., qui hanc cordis circumcisionem multis describit, ac num. 12. „ Adest, *inquit*, legislator, nec videtis, pauperes evangelium suscipiunt, caeci vident, nec intelligitis, altera iam opus est circumcisione; vos autem in carne plurimum gloriamini. Praecepit nova lex, ut perpetuum sabbatum celebretis, vos autem quod inertes estis per unum diem, pii vobis esse videmini, non intelligentes, cur id vobis praescriptum sit ..... Non haec Domino deo nostro placent. Si quis in vobis est periurus, aut fur, desinat, si quis moechus, poenitentiam agat, et suavissima, ac vera Dei sabbata celebravit „. Et n. 14. p. 119. „ Itaque per lavacrum poenitentiae, et cognitionis Dei, quod pro peccatis populorum Dei institutum est, nos credimus ... Quae enim utilitas illius baptismi, ex quo caro, ac solum corpus splendescat? Baptizetur anima vestra ab iracundia, et avaritia, ab invidia, et odio, et ecce corpus purum est etc. „

(2) Vide Tatiani locum supra descriptum.

(3) Iustinus *ibid. n.* 82. *p.* 189. „ Et nos igitur sermonum secundum scripturas conferre studemus, minime autem pecuniae, aut gloriae cupiditate, aut amore voluptatis. Nullum enim ex his est vitiis, cuius nos quisquam arguere posit „.

ditis, qui infirma essent valetudine, et corporis, et, quod in primis expetendum esset, animi sanitatem daret. Rem, ut Iesus praedixerat, evenisse. Nam Thaddaeum post magistri mortem, ascensumque in caelum, Edessam venisse, ac rege, multisque edessenis sanatis, auctorem omnibus fuisse, ut Christum Deum, Dei filium, servatoremque generis humani confiterentur, et colerent. Abgarum, qui repente sibi esse salutem restitutam, totque prodigia patrata ab Thaddaeo esse vidisset, gratias homini maximas egisse, praecepisseque, ut aurum illi, atque argentum daretur. Recusasse Thaddaeum, atque regi respondisse: Ne arbitrare, o rex, eum, qui suam dimiserit, ut magistro, ac servatori Christo obsequeretur, alienam pecuniam (1) accepturum. Adeo nostri ab avaritia, rerumque caducarum cupiditate abhorrebant.

§. II.

De communione bonorum, cuiusmodi apud veteres christianos fuerit.

Sed quoniam scriptum ab Luca evangelista in actis (2) apostolorum est, eos, qui tunc ad christiana sacra accederent, agros, domosque, quas possiderent, divendere, pretiumque apostolis offerre consuesse, ut iis rebus impenderetur, quas illi utiles ecclesiae esse putassent; exquirendum hoc loco est, cuiusmodi ea institutio fuerit, et quae tandem *communio* illa facultatum, atque bonorum, cuius est ibidem a Luca facta commemoratio. Atque intelligo floruisse olim scriptores, eosque iam eruditos, magnaque cum laude in sacris libris exercitatos, qui omnes, quotquot christianam religionem amplexi fuissent, iussos fuisse, quidquid possiderent, venumdare, et pecuniam, quam collegissent, conferre in thesaurum communem ecclesiae (3) Hierosolymorum, ut deinde

(1) Euseb. *lib.* I. *cap.* XIII. *hist. eccl. pag.* 37. *seq. edit. cantabrig.*

(2) Vide locum supra descriptum ex actis apostolorum.

(3) *Confer* Caesarem card. Baronium *ad an.* 34. n. 267 *seq.*, Ludovicum Thomassinum *par.* II. *veter.* et *nov. eccl. discipl. lib.* I. *cap.* I. n. 4. *p.* 3. *edit. an.* 1705., doctiss. Danielem Concinam *discipl. monast. diss.* I. *c.* I. *p.* 3. *seq. edit. an.* 1739., Gundisalvum Carratinum *vit. claustral. diss.* II. *p.* 17. Quamquam is alio loco perfectam inter hierosolymitas christianos primorum temporum communionem fuisse neget. Vide eius epistolam ἐξηγητικὴν §. 1. Adeundi praeterea interpretes *actor. apostolicor.*, quorum iam permulti in hanc sententiam descenderunt.

distribui omnibus posset, velut opus cuique esse videretur. Atque haec quidem vetus, ut dixi, ac plerisque omnibus sacrorum bibliorum interpretibus probata sententia sic est quibusdam visa ad similitudinem veritatis accedere, ut id instituti genus non hierosolymitanae (1) proprium, sed commune omnium, quae tunc vigerent, ecclesiarum fuisse defenderent. Contra alii, iique iam neque indocti, neque minus in hisce rebus exercitati, cum Lucae historiam legissent, et quae ad *bonorum communionem* spectant, diligenter considerassent, in eam sive persuasionem, sive opionem ingressi sunt, ut vel non omnes ante Stephani protomartyris mortem christianos hierosolymitas vendidisse, quae possidebant, praedia, domosque arbitrarentur; vel si omnes, hos quidem certe sic vendidisse putarunt, ut potestas illis non esset adempta aut partis, aut totius pretii retinendi, si voluissent, ea conditione, nihil ut fraude, nesciisque apostolis, agere auderent.

Ego vero sic existimo, christianos primorum temporum, hoc est eos, qui ante Stephani mortem Hierosolymis florebant, aut omnia, quae possidebant, venum dedisse, professosque fuisse *voluntariam*, ut vocant, paupertatem, ecclesiaeque subsidiis victitasse, aut exceptis aedibus, in quibus (2) habitarent, reliquas, si quas haberent, domos, ac fundos etiam, si quibus potirentur, quique necessarii ad vitam eorum sustentandam non essent, divendidisse, pretiumque apostolis numerasse, ut pauperibus distribueretur, quemadmodum iisdem apostolis visum esset opportunum. Ceterum integrum cuique eorum fuisse retinere, si vellet,

(1) Hos enim refelli a Salmasio *lib. de usuris cap.* XXI. *p.* 655. auctor est Moshemius *de vera natura communionis bonor. apud Lucam* §. II. *cap.* VI. *cogitat. in novi foederis loc. select. edit. Hannoverae an.* 1726. *p.* 120. „ Neque „ enim, *inquit*, eo loco Salmasius diffitetur communionem primorum christianorum Hierosolymis degentium talem fuisse, qualem communiter censent, sed „ nescio quos refellit, qui affirmaverint, sequentium „ temporum christianos aliis etiam in locis pari iure vixisse, quo hierosolymitanos „.

(2) Hanc sententiam sequitur Estius *in act. cap.* IV. *v.* 34. *seq. edit. an.* 1629. *pag.* 626. « *Quotquot*, inquit, « *possessores agrorum, et domorum erant*, intellige de domibus, quae ipsis non erant necessariae ad habitandum; has enim non vendebant, sed retinebant, « non tamen ut proprias, sed ad usum vel suum, vel « aliorum fratrum, proprietate tamen earum translata « in communitatem, et idem sentiendum de aliis mul« tis necessariis, ut supellectile, instrumentis mecha« nicis, vestibus, libris, et similibus. Propter usum au« tem retentum, aut concessum dicebatur, domus hu« ius, aut illius, ut infra *cap.* XII. Petrus liberatus e « carcere venit ad domum Mariae matris Iohannis ». Tillemontius praeterea *tom.* I. *monum. hist. eccl. in vita* « *Petri art.* IX. *pag.* 133. *edit. paris.* « Ils regardoient, « *inquit*, ce qui étoit à eux, comme étant à leurs fré« res, et ce qui étoit à leurs fréres, comme étant à « eux. Ainsi le riche etoit sans faste, le pauvre sans « confusion, et tous plens d'amour etc. ». In eamdem fere sententiam venit Richardus Simonius, qui sub nomine Iosephi a Costa edidit *l'histoire de l'origine, et du progrès des revenus ecclesiastiques, par.* I. II. *edit. an.* 1684. Neque discrepat, ut equidem assequi legendo possum, quamquam aliquanto implicate loquetur, Augustinus Calmetius *in loc. modo indicatum actor. apostolicor.* Paullo liberius senserunt protestantes, ut Iohannes Albertus Fa-

administrareque facultates suas, iisque sic uti, ut superfluum (1) egentibus erogaret, modo animo ab omni earumdem facultatum cupiditate soluto, atque alieno esset. Ac consulto equidem ante Stephani mortem dixi, propterea quod, posteaquam protomartyr ille obrutus lapidibus ab iudaeis fuit, nulla fiat communionis bonorum in apostolorum actis commemoratio, ut sapienter est observatum a ven. card. Thomasio summa et eruditione, et gravitate, et innocentia viro in eo libello (2), qui de paupertate monachorum inscribitur, servaturque ms. in bibliotheca eminentissimi cardinalis Passionei. Nam quod adiunxi, divendita fortasse ab christianis fere omnibus eius ecclesiae quaecumque possiderent, pretiumque apostolis oblatum fuisse, colligi quidem certe videtur posse ex eo actorum apostolicorum loco, quem transtuli in paragraphum superiorem. Quotquot enim *possessores* (3) *agrorum, aut domorum erant*, ὅσοι κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον, hos omnes vendidisse, quae possiderent, pretiaque posuisse παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων, *ante pedes apostolorum*, auctor est Lucas, a quo, qui discrepet, nemo est christianorum. Ac nisi ita se res haberet, cur Lucas de una hierosolymitana ecclesia, ut ante Stephani martyrium erat, haec scripsisset, de ceteris autem ecclesiis, quae aut tunc vigebant, aut constitutae deinceps fuerunt, non item? At ceteras ecclesias ad tertium usque saeculum communionem (4)

bricius *bibliograph. antiquariae, cap.* XIII. *p.* 462., Iohannes Laurentius Moshemius *loc. cit.* aliique, quos idem Fabricius numerat in eo libro, qui inscribitur, *salutaris lux evangelii cap.* I. *p.* 201. *seq.*

(1) Moshemius *ibid.*

(2) Hoc opusculum sua manu exscripsit, servatque in sua bibliotheca Dominicus cardinalis Passioneus, vir excellenti ingenio, memoria singulari, eximiaque eruditione praestans.

(3) Lucas *act. cap.* II. n. 34. *seq.*, *et cap.* V. n. I. *seq.* „ Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, „ vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, „ et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur „ autem singulis prout cuique opus erat. Ioseph au„ tem, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis „ (quod est interpretatum filius consolationis) levites, „ cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, „ et attulit pretium, et posuit ante pedes apostolo„ rum. Vir autem quidam, nomine Ananias cum Sap„ phira uxore sua vendidit agrum, et fraudavit de pre„ tio agri, conscia uxore sua, et afferens partem quam„ dam, ad pedes apostolorum posuit. Dixit autem Pe„ trus: Anania cur tentavit satanas cor tuum, mentiri „ te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Non„ ne manens tibi manebat, et venumdatum in tua „ erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc „ rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo etc. ».

(4) Itaque Barnabas in celeberrima, vetustissimaque, quae illius nomine circumfertur, epistola n. 19. *pag.* 52. *tom.* I. apostolicorum patrum *edit. an.* 1724. » Communicabis, *inquit*, in omnibus, cum proximo » tuo, nec quidquam dices proprium; si enim in in» corruptis consortes estis, quanto magis in iis, quae » corrumpuntur? Sed quemadmodum haec se communionem bonorum habuerit, cuius est a Barnaba facta mentio, ex iis, quae adiungit, cognoscitur. » Noli porrigere » manus tuas ad accipiendum, ad dandum vero contra» here ». Iudicio igitur est, sic fuisse omnia communia eo tempore, quo Barnabas hic florebat, ut facultatem dandi obtinerent nostri. Dare autem qui potuissent, si nihil proprii habuissent? Ac Lucianus praeterea loco sup. cit., « Primus legislator, *inquit*, ipsi persuasit alios alio» rum omnes esse fratres ... proinde omnia ex aequo » contemnunt, et communia putant, citra fidam accu-

bonorum quodammodo observasse, traditum memoriae a patribus est, quibus sane de rebus aetate sua gestis agentibus, nullus prudens negaverit, plurimum esse credendum. Sed haec *communio bonorum*, quae tamdiu obtinuit, non erat eiusmodi, nihil ut a quoquam retineri permitteret. Nam domos, praedia, agrosque (1) obtinebant, ita scilicet, ut parati essent, si ex usu ecclesiae fuisset, omnia pauperum commodis consecrare, quasque poterant opes ecclesiae largirentur. Si ergo Lucas *communionem bonorum*, quae Hierosolymis invaluerat, sic describit, ut, cum eam morte Stephani fuisse sublatam innuat, satis indicet fuisse eamdem ipsam a *communione bonorum*, quae post in ecclesias invecta est, discrepantem; fateamur necesse est, eos qui hierosolymitanam ecclesiam initio constituebant, aut omnibus, quibus potirentur, bonis expoliasse libenter se, eorumque pretium in aerarium commune ecclesiae contulisse, aut sibi tantum facultatum, distractis ceteris, retinuisse, quantum ad sustentandam vitam necessarium esse videretur. Alioqui si omnia, quae possidebant, ita ut ante consueverant, retinuissent, et pecunias, quas volebant, eleemosynae nomine dedissent ecclesiae, *communio bonorum*, quae in usu post fuit, ab hierosolymitana illa, de qua scribimus, minime discrepasset.

Neque vero crimini mihi dari posse a quoquam arbitror, quod additum a me est, retinuisse fortasse sibi hierosolymitas christianos, qui domos, agrosque habuissent, partem bonorum, iisque usos fuisse, ut sibi, suisque prospicerent, pararentque ea, quae spectarent ad victum atque vestitum. Si enim aedes, in quibus habitabant, aliis vendidissent, quem locum habuissent, in quo consistere possent, reliquum? Non enim esse quemquam tam absurdo ingenio arbitror, qui coenobia tum, in quae se christiani conferrent, fuisse constructa putet. Suas igitur retinebant aedes. Iam vero, si praeter agellum, unde viverent, nihil

» ratam talia recipientem «. Tempore autem Luciani, qui vixit Traiani, vel Hadriani, vel Antonini temporibus, quis putet communia fuisse christianorum omnia, ut erant Hierosolymis aetate apostolorum? Eadem fere scribit Iustinus martyr *apolog.* I. n. 67. *p.* 86. *edit. venet. an.* 1747. Tertullianus quoque *apologet. cap.* XXXIX. *pag.* 51. *edit. venetae an.* 1744. « Et substantia, *inquit*, » familiari fratres sumus, quae penes vos fere dirimit » fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, praeter uxores «. Sed satis haec sunto. Nolo enim copiosius de re tam perspicua disserere.

(1) Constat id quidem ex actis apostolicis, Paulique epistolis, in quibus passim et domorum, quas possiderent christiani, et bonorum fit mentio.

habebant, quis illos, ut venderent, coegisset? Nam si artem aliquam profitebantur, atque acquirere, parareque poterant ea, quibus sustentarent vitam, iam, quod redundabat, venum ab illis fuisse datum, concedo, ut commodis pauperum inserviret. Age autem, si omnes facultatibus universis, quibus ante abundassent, distractis, vitam communem, ita ut nunc quidam solent, egissent; cur graeci conquesti de hebraeis fuissent, propterea quod eorum viduae despicerentur ab hebraeis christianis (1) factis *in ministerio quotidiano*, viduae vero hebraeae non despicerentur? Annon conquesti fuissent, quod omnes graeci despicerentur, si communem omnes vitam amplexi essent? In communi enim vita nulla est vidua pauperior nupta, aut virgine, cum nulla earum quidquam possideat, utraque autem communibus facultatibus, bonisque ecclesiae alatur. Si ergo ob solas viduas orta dissensio est, ut memoriae ab Luca est traditum, sequitur, ut soli pauperes, quique aut fundi fructu, atque labore proprio victum sibi quaeritare nequirent, ab ecclesia alerentur. Extremum est, ut efficiam libertatem ademptam nemini tunc fuisse christianorum retinendi, quas vellet, facultates, idque largiendi ecclesiae, quod sibi visum fuisset opportunum. Atque id sane perfacile demonstratu est, modo ad locum actorum apostolicorum, quem supra indicavi, animum advertamus (2). Petrus enim, cum Ananiam reprehenderet, quod mentitus esset (dixerat enim pretium se totum attulisse, et partem eiusdem sibi retinere non dubitaverat), sic est hominem alloquutus: Ita ne vero te, Anania, circumvenire ab hoste generis humani sivisti, ut Spiritui sancto mentirere? Annon tuus ager fuisset, nisi vendidisses, venditique

(1) Lucas *cap.* VI. *act.* v. 1. *seq.* » In diebus autem » illis crescente numero discipulorum, factum est murmur graecorum adversus hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum. » Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt, non est aequum nos derelinquere » verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, » fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus » super hoc opus etc. ».

(2) Vide locum actorum a *cap.* IV., quem supra descripsi. Sed quid verbis opus est, si Lucas possedisse primos christianos aliquid scribit? Οὐδὲ, inquit, εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῶν ἔλεγεν ἴδιον εἶναι. *Et nemo quidquam eorum, quae possidebat, dicebat proprium esse*. Possidebant igitur. Atque in hanc sententiam trahit Cerrattiam Chrysostomum *hom.* VII. *in cap.* II. *actor.* *tom.* IX. *opp. pag.* 58. *edit. nov. paris. monach.* s. *Mauri*. » Viderunt, quod spiritualia erant communia, et nullus alio plus habebat. Statim pervenerunt ad hoc » ut sua omnibus distribuerent. Omnes enim accedentes erant coniuncti, ut manifestum est ex iis, quae » addidit dicens, *et erant illis omnia communia*. Omnes » enim, *inquit*, non quidem hic habebat, is vero non » habebat. Haec erat angelica responsio nihil dicere » sibi proprium esse: hinc radix malorum execta est, » ut per ea, quae fecerunt, demonstrarent, quod audierant ». Cetera consulere lector per se poterit.

pretium, si voluisses, in tua fuisset potestate? Quae igitur te caussa impulit, ut promitteres te pretium totum allaturum, iamque attulisse te illud diceres, impudentique mendacio utereris? Non es, mihi crede, mentitus homini, sed Deo. Itaque auctore, ac teste Petro, libera erat cuique potestas et agrum, et pretium agri, si quem vendidisset, tenendi, nisi se illud ecclesiae daturum promisisset.

Sed etsi concedendum esse videretur, dites aliquos Hierosolymis christianos vixisse, antequam lapidibus Stephanus appetitus ab iudaeis esset, tamen ita eos fuisse animatos constaret, ut nihil eorum, quae possidebant, sibi proprium arbitrarentur, sed commune esse censerent (1) omnium christianorum. Quamobrem hospitio omnes, qui ad eos confugiebant auxilium postulatum excipere, rebus omnibus iuvare, et quae necessaria sibi, suisque non esse putarent, sponte in thesaurum communem ecclesiae conferre non praetermittebant, ut prospici pauperum commodis, atque utilitati (2) posset. Qua ex re intelligitur, quam alieni eorum animi a cupiditate pecuniae, quamque in ipsis singularis virtus liberalitatis esset.

§. III.

Usuras christiani primorum temporum non exercebant, neque si egenti pecuniam dabant, quidquam inde lucri sibi pollicebantur.

Quod si mortuo Stephano, et dispersis hierosolymitis christianis communio illa bonorum, cuius in actis est facta ab Luca mentio, imminuta, exactisque apostolis ita debilitata est, ut pene sublata esse videretur; tamen maximam partem nostri neque usu-

(1) Confer Luciani, et Tertulliani, in primisque Lucae in actis apostolicis testimonia, quae paullo ante descripsimus.

(2) Neque vero id tempore apostolorum modo, sed etiam insequentibus temporibus observatum est. Verum quoniam in tertia huiusce libri partem agendum de moribus christianorum erga alios, deque eorum erga pauperes pietate est, disseram eodem in loco de hac item re copiosius. Nunc Iustini testimonio contentus ero, qui in priore apologia, quae secunda dicebatur, n. 67. *p.* 86. » Qui habemus, *inquit*, indi» gentibus omnibus subvenimus, et semper una su» mus ... Qui abundant, et volunt, suo arbitrio quod » quisque vult, largiuntur, et quod colligitur, apud » eum, qui praeest, deponitur, ac ipse subvenit pu» pillis, et viduis, et iis, qui vel ob morbum, vel aliam » ob caussam egent, tum etiam iis, qui in vinculis » sunt, et advenientibus peregre hospitibus, uno verbo » omnium indigentium curam suscipit «.

ras (1) exercere, neque pecuniam cuiquam egenti dare audebant, ut inde quidpiam lucrarentur. Cum enim eos, qui pecuniam petebant, non amplificandae rei familiaris, sed aut sustentandae familiae, aut necessitatis alterius cuiusquam caussa petere viderent, negandum autem egenti ab eo, qui opem intendere queat, nihil esse putarent, ut qui et misericordes in ceteros, et maiorem in modum liberales essent, nullum ex pecunia lucrum quaerendum arbitrabantur. Cumque medio fere tertio saeculo (2) fuissent

(1) Iustinum martyr *ibid. n. 15. p. 53. edit. venetae an.* 1747. « Ut nostra, *inquit*, communicemus cum egentibus, nec quidquam gloriae caussa faciamus, haec dixit: *Omni petenti date, et mutuo sumere volentem ne aversemini. Si namque mutuo his datis, a quibus vos recepturos speratis, quid novi facitis? Faciunt hoc et publicani. Vos autem nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo, et tinea demolitur, et praedones effodiunt; sed thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur* ». Tertullianum de praeceptis a Christo datis, atque a christianis diligenter observatis *in IV. contra Marcionem libro cap. XVI. p. 429. edit. venet. an.* 1744. agens, « Docuit, *inquit*, ne faciam aliis, quae fieri mihi nolim; et ideo ipsius erit praeceptum in evangelio, qui illud retro et praestruxit, et distinxit, et ad arbitrium disciplinae suae deposuit, et merito iam compendio substrinxit, quoniam et alias recisum sermonem facturus in terris Dominus, idest Christus, praedicabatur. Hic nunc de fenore quum interponit, et si feneraveritis, a quibus speratis, vos recepturos, quae gratia est vobis? Percurre sequentia Ezechielis de eodem viro iusto: pecuniam, inquit, suam fenori non dedit; et quod abundaverit, non sumet, fenoris scilicet redundantiam, quod est usura. Prius igitur fuit, ut fructum fenoris eradicaret, quo facilius assuefaceret hominem ipsi quoque fenori, si forte perdendo, cuius fructum didicisset amittere. Hanc enim dicimus operam legis fuisse procurantis evangelio. Quorumdam tunc (in vetere scilicet testamento) paullatim ad perfectum disciplinae christianae nitorem, primis quibusque praeceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat. Nam et supra, et pignus, inquit, reddet, utique si non fit solvendo, quia soluturo, utique pignus restituendum esse, utrum homo scriberet? Multo manifestius in Deuteronomio, *non dormies super pignus eius: redditione reddes illi pallium circa solis occasum, et dormiet in pallio suo*. Adhuc clarius supra, *Dimitte omne debitum, quod tibi proximus debet, et fratrem tuum non reposces, quoniam remissio domini Dei tui invocata est*. Porro cum debitum dimitti iubet, utique non assoluturo, plus etiam est, et si assoluturo, cum exposci vetat, quid aliud docet, quam non assoluturo feneremus, qui tum detrimentum fenori indixit »? Clementem alexandrinum *in II. stromatum libro pag.* 397. *edit. paris. an.* 1641. « De elargitione autem, *inquit*, et communicatione cum multa dici possint, sufficit hoc dicere, quod lex prohibet fratri feneravi, fratrem nominans non eum solum, qui ex eisdem natus parentibus, sed etiam qui fuerit eiusdem tribus, eiusdemque sententiae, et eiusdem verbi particeps, non aequum censens, ut ex pecuniis usuram legamus, sed laxis manibus, et animis gratificemur egentibus. Deus enim est talis doni conditor. Iam vero qui libenter largitur, satis magnas accipit usuras, ea quae sunt apud homines pretiosissima, nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudemque, et gloriam. Annon hoc tibi videtur esse praeceptum humanitatis, sicut illud, mercedem pauperis ipso die reddere docet oportere, sine mora assolvere mercedem ministris? Remittitur enim, ut opinor, pauperis alacritas ad id quod sequitur faciendum, si desit alimentum. Praeterea fenerator, inquit, ne ingrediatur domum debitoris vi pignus accepturus. Et paullo post: iam ergo intelligamus eos per legem erudiri ad pietatem, ut communicationem, et ad iustitiam, et humanitatem ». Praeterea Lactantius *lib. VI. institut. divinar. cap. XVIII. tom. I. opp. edit. paris. an.* 1748. « Pecuniae, *inquit*, quam crediderit non accipiet usuram, ut et beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati, et abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, iniustum est. Quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate praedetur ». Eodem spectant, quae disputant ceteri patres, quorum testimonia cum alii permulti, tum his omnis paucis Hieronymus, et Petrus Ballerinii fratres viri doctissimi egregio opere *de usur. edito Bononiae*, et Daniel Concina tum in libris de hoc ipso argumento Neapoli, et Romae vulgatis, tum in theologia christiana Venetiis edito *tom. XIII. lib. III. de iust. et iure diss. III. cap. IV. p. 338. seq.* complexi sunt.

(2) Vide s. Cyprian. *lib. de lapsis p.* 124. *edit. oxon.* Scipio Maffeius, vir alioqui doctus, qui usuras nescio quibus verborum circuitionibus conatus est non usuras facere, *lib. II. dell'impiego del denaro cap. II.*, quo statuit

nonnulli, qui habere argentum largiter cuperent, fcnusque augerent, periculumque fuisset, ne multi eorum exemplum imitarentur, orta vehemens in primis, atque atrox in ecclesiam tempestas est, eosque, cum in nomen christianum ethnici furerent, ut usuras detestarentur, et ad sanitatem redirent, coegit. Ac fieri sane non poterat, ut qui nihil suum, omnia vero, quibus abundarent, pauperum esse communia dicebant, qui haud plura concupiscebant (1), quam posceret necessitas degendae vitae, qui parati erant pro Christo quaccumque possiderent amittere, qui expoliati (2) rebus omnibus, gratias Deo agere consueverant, iidem non augendis modo opibus, facultatibusque suis, sed usuris etiam exercendi operam navarent, quas quidem (3) usuras damnatas esse ab Iesu servatore sibi persuasissent. Quin etiam si christiani eorum temporum a (4) fastu, a gloria, a dignitatum splendore,

(iure ne, an inimia ipse viderit) patres nullas alias, quam immanes usuras, easque in primis, quae extortae a pauperibus essent probasse, *pag.* 103. *edit. veron.* an. 1744. Cypriani loco abutitur. Est vero haec episcopi eiusdem carthaginiensis sententia *loc. cit.* „ Episcopi „ plurimi, quos et hortamento esse oportet ceteris, et „ exemplo, divina procuratione contemta, procurato„ res rerum saecularium fieri, derelicta cathedra, ple„ be deserta, per alienas provincias oberrantes, nego„ tiationis quaestuosae nundinas aucupari, esurienti„ bus in ecclesia fratribus non subvenire, habere ar„ gentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus ra„ pere, usuris multiplicantibus fenus augere. Quid „ non perpeti tales pro peccatis eiusmodi meremur „? At de enormi usura nulla fit a Cypriano ibidem commemoratio. Vitio enim dat episcopis illis, quod multiplicari *sortem* facerent. Nam *fenoris* nomine principalem sortem Cyprianus significat. Quae autem usura tam moderata est, quae plus non reddat mutuanti, quam dederit, hoc est non *multiplicet?* Sed haec alias fortasse.

(1) Tertullianus xxxix. *apolog. capite pag.* 34. *edit. venetae an.* 1744., quo virtutes praecipuas christianorum complectitur, sic habet. „ Edem iam nunc ego ipse „ negotia christianae factionis, ut qui mala refutave„ rim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia „ religionis, et disciplinae unitate, et spei foedere. „ Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus „ ambiamus. Haec vis Deo grata est ..... Coimus ad „ litterarum divinarum commemorationem; si quid „ praesentium temporum qualitas, aut praemonere „ cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus „ pascimus, spem erigimus ... disciplinam praecepto„ rum nihilominus inculcationibus densemus. Ibidem „ etiam exhortationes, castigationes, et censura divi„ na. Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud „ certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii „ praeiudicium est; si quis ita deliquerit, ut a com„ municatione orationis, et conventus, et omnis sa„ cti commercii relegetur. Praesident probati quique „ seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio „ adepti, *neque enim pretio ulla res Dei constat.* Etiam si „ quod arcae genus est, non de honoraria summa, „ quasi redemtae religionis congregatur. Modicam „ unusquisque stipem .... sponte confert. Haec quasi „ deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec „ potaculis, ne ingratis voratrinis dispensatur, sed ege„ nis alendis ... sed eiusmodi vel maxime dilectionis „ operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide „ inquiunt, ut invicem se diligant. Ipsi enim (ethnici) „ invicem oderunt. Et ut pro altero mori sint parati. „ Ipsi enim ad occidendum alterum paratiores. Sed „ et quod fratrum appellatione censemur, non alias „ opinor infamant, quam quod apud ipsos omne san„ guinis nomen de affectione simulatum est. Fratres „ autem etiam vestri sumus iure naturae matris unius, „ etsi vos parum homines, quia mali fratres .... Sed „ eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla „ de nostra fraternitate tragoedia exclamat, *vel quia* „ *ex substantia familiari fratres sumus*, quae penes vos „ fere dirimit fraternitatem. *Itaque, qui animo, animaque miscemur nihil de rei communicatione dubitamus.* „ *Omnia indiscreta sunt apud nos, praeter uxores* „.

(2) Confer Athenagorae, et Melitonis loca, quae mox afferam.

(3) Vide supra descripta Iustini, Tertulliani, Clementis alexandrini, et Lactantii testimonia.

(4) Tertull. *apolog. cap.* xxxvii. *p.* 117., *et c.* xlvi. *p.* 147. *edit. venet. an.* 1744. *in append.*, et Minuc. Felix in Octav., *p.* 335. *seq. edit.* an. 1672.

ut supra demonstratum est, alieni erant, longeque a quovis ambitu (1) aberant, quemadmodum ad congerendas usura pecunias, quibus homines ad fastum, ad gloriam, ad dignitates aut parandas, aut sustinendas abuterentur, se, curasque suas convertissent? Turpe autem (2) lucrum, cuius neminem christianorum, in primisque eorum, qui coetus nostrorum hominum moderarentur, cupidum esse oportere statuit Paulus, ecquod tandem, nisi usura est? Nam qui (3) a maioribus nostris non *moderatas*, ut ipsi vocant, sed immanes usuras damnatas fuisse putant, nae illi vehementer errant. Patres enim quidquid fenus (4) multiplicaret, hoc totum esse vetitum summa consensione pugnabant. Quamquam id mihi propositum hoc loco sit, non quae fuerit veterum de fenore quocumque sententia, sed qui in hoc genere mores, et quae recta institutio vitae quaerere.

§. IV.

Modo placerent Christo, res quasque terrenas nihili christiani veteres pendebant.

Quae res confirmari magis magisque testimonio Athenagorae philosophi christiani potest, qui Antoninorum temporibus vixit, caussamque egregie defendit sociorum. Is enim in *legatione* non modo nihili a (5) nostris pecuniam fieri, sed etiam honores, opesque omnes, cuius tandem cumque sint generis, Christi caussa, contemni, despicique scripsit. « Neque enim, *inquit*, ad pe-

(1) Itaque de gradu se deiici, si dignitate praestarent, facile patiebantur, modo ne Christo iniuriam facerent. Quod cum ex Eusebio, actisque ss. mm. aliisque monumentis, tum ex Tertulliani *apolog. cap.* ss. *pag.* 9. *edit. an.* 1744. *in append.* plane constat. Nam habet hoc modo. „ Plinius Secundus, cum provinciam regeret, „ damnatis quibusdam christianis, quibusdam gradu „ pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus etc. Vide eiusdem librum ad Scapulam.

(2) Tertullianus *lib. de monogamia cap.* xii. *p.* 533. quod postulet Paulus, episcopum esse non oportere *turpis lucri cupidum*, hoc Tertullianus vertit, *esse non oportere amantem pecuniae*. Nam hoc significat τὸ ἀφιλάργυρον, quod Paulus adhibet.

(3) Ita quidem sentiunt haeretici huiusce temporis permulti, e quorum sententia nostrorum catholicorum aliqui non admodum abhorrent. Broedersenius ante annos aliquot magnum volumen edidit *de usuris licitis, et illicitis*, quasi vero licitae esse ullae usurae possint, Scipio Maffeius, qui vidisse negat se ante hunc librum, quam ipse scripsisset suum, cui titulus est, *dell'impiego del denaro*. At a Broedersenio verbis, non re discrepat, ita ut sint, qui eum omnia fuisse ab eodem mutuatum putent. Ego vero etiam non dicenti accepisse nihil a Broedersenio se, facile crederem. Sed haec nihil ad rem.

(4) Confer loca supra descripta Iust. mart., Tertul., Clement., Lactant.

(5) Athenag. *in legat. n.* 1. *edit. app. Iustini venetae an.* 1747. *p.* 298.

cunias spectat inimicorum iniuria, neque ad mulctam ignominia, neque ad aliud quidpiam rei maioris illata damna, haec enim contemnimus, quamvis studio digna multis videantur; ut qui non modo non repercutere, nec invadentibus, et rapientibus diem dicere, sed istis etiam, si colaphum inflixerint, alteram capitis partem percutiendam praebere, his autem si tunicam abstulerint, pallium superaddere didicerimus, sed corporibus ac vitae nostrae, postquam pecunias proiecerimus, insidiantur, criminum acervum in nos effundentes, quae nobis quidem nec cogitatione tenus, his autem, qui haec effutiunt, et illorum similibus inhaerent ». Quum enim non terram, sed caelum suam esse patriam scirent, quae sub aspectum cadunt, neque pluris aestimabant, quam deberent, neque sic adhibebant, ut aegre sibi adimi paterentur. Itaque Iustinus (1) martyr in priore apologia, « Si humanum, *inquit*, regnum expectaremus, negaremus profecto interitus vitandi caussa, et latere conaremur ad ea, quae expectamus consequenda. Sed quia spes in rebus praesentibus positas non habemus, interfectores parvi pendimus, cum praesertim mors omnino declinari non possit ». Atque magnis animis christianos res quasque adversas perpeti, caduca omnia aspernari aeternamque salutem anhelare, cum ethnicorum aliqui hostes acerrimi nostrae religionis cognossent, pertinacia destiterunt, nobisque aut assensi sunt, aut aequiores esse coeperunt. Est autem eius rei idem ipse Iustinus martyr, atque philosophus testis locuples. Neque enim ausus unquam fuisset haec ad imperatores scribere, quae incerta esse, vocarique posse existimasset in suspicionem falsi. Namque habet hoc modo: « Patientes (2) ut simus, et ad serviendum omnibus parati, ac irae expertes *monuit Christus*. Non enim reluctari oportet, neque nos imitatores esse malorum vult Deus, sed ut patientia, et lenitate omnes a dedecore, et cupiditate malorum abducamus hortatus est. Quod quidem et de multis, qui apud vos fuerunt, demonstrare possumus, qui ex violentis, et tyrannis immutati sunt, vel vestigata vicinorum vitae constantia victi, vel perspecta viae comitum in iniuriis perferendis mira patientia, vel exploratis eorum moribus, quibuscum contrahebant ». Sunt vero horum

(1) Iustinus martyr *apolog*. 1. n. 11. *pag*. 49. *edit*. an. 1757.

(2) *Id. ibid*. n. 16. *p*. 53. *seq*.

similia, quae Melito (1) sardiauus in apologia ad Marcum Aurelium imperatorem de virtute christianorum, atque innocentia vitae scripsit. « Impudentissimi, *inquit*, delatores, et alienarum opum cupidi (id autem cum de ethnicis scribit, satis indicat nostros longe ab eo genere vitii abfuisse) ex imperialibus edictis occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur, spoliantque homines innoxios. Quod si haec tuo iussu fiunt, recte, atque ordine facta sunto. Neque enim fieri potest, ut iustus princeps aliquid umquam iniuste constituat. Et nos libenti animo eiusmodi mortis praemium ferimus. Unum illud a te petimus, ut cum huiusmodi pertinacia praeditos homines per te ipse primus examinaveris, tum deinde pro tua aequitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi, et securi degere mereantur. Sin vero illud consilium, vel edictum plane inauditum, quod neque adversus barbaros hostes sanciri decuerat, numquam a te profectum est, obsecremus te multo magis, ne nos huiusmodi publico latrocinio diutius vexari permittas. Haec enim philosophiae secta, quam profitemur, prius quidem viguit apud barbaros, postea vero cum provinciis imperii tui illuxisset, faustum prosperumque imperio romano omen extitit. Ex eo siquidem tempore maximis incrementis aucta est maiestas imperii romani, cuius tu haeres et successor, adspirantibus omnium votis potitus es, potierisque deinceps una cum filio, si modo sectam illam, quae cum imperio educata, et cum Augusto simul inchoata est, et quam maiores tui una cum ceteris religionibus coluerunt, tueri velis. Porro religionem nostram bono publico adolevisse una cum imperio, quod feliciter coeptum fuerat, illud certissimo argumento est, quod iam inde a principatu Augusti, nihil adversi, sed contra omnia prospera, et magnifica ex animi sententia, votoque omnium contigerunt. Soli ex omuibus Nero, ac Domitianus, malevolorum quorumdam consiliis inducti, religionem nostram criminari studuerunt. A quibus deinceps falsa illa adversus nos calumnia manavit ad posteros, ut mos est vulgi, absque ullo iudicio huiusmodi rumoribus fidem adhibere. Verum imperitiam illorum correxerunt piissimi parentes tui frequentibus edictis obiurgantes eos, qui, adversus nostrae religionis homines, novi aliquid

(1) Apud Eusebium *lib.* IV. *hist.* *cap.* XXVI. *p.* 199. *edit.* *cantabrig.*

moliti essent ». Quid? si christiani cum nihil terreni desiderarent, unamque sempiternam felicitatem expeterent, adeoque ab avaritia, ambituque distarent, aut in ius vocati, aut acerbissimis suppliciis excruciati, palam affirmarent, neque furem (1) quemquam suorum, neque raptorem, neque maleficum esse, sed omnes sobrietatem, virtutem, morumque innocentiam colere? Haeccine illi ausi fuissent de suo coetu praedicare, si divitiarum amore tenerentur? Age vero, quis umquam tam est absurdo ingenio, ut contemni neget ab iis, quidquid in terris cernimus aut utile corpori, aut eiusmodi, quod afferre aliquam mortali delectationem possit, qui iacturam omnium rerum pati, mortemque oppetere, quam deserere pietatem malint? Ac ne in cogitationem quidem cadit, eos, qui dum expoliatos omnibus bonis, exagitatos, in exilium pulsos, a parentibus derelictos (2), ab ami-

(1) Confer Iustinum *apolog.* II. n. 2. p. p. 93. *edit. an.* 1747., et Eusebium *lib.* IV. *hist. eccl. cap.* XVII. *p.* 178. qui de Lucio martyre sub Antonini imperatoribus agens, « Cum Urbicus, *inquit*, Ptolemaeum ad supplicium duci iussisset, Lucius quidam, qui et ipse christianus erat, adeo iniustam audiens sententiam, sic Urbicum alloquutus est: *Quid causae est, ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, nec homicidam, nec furem, nec raptorem, nec ullius denique sceleris reum, nominis dumtaxat christiani vocabulum confitentem condemnaveris* »? Etsi autem ethnici servos quosdam christianorum, mulierculas, puerosque tormentis interdum coegissent, ut eos reos esse gravissimorum scelerum dicerent, quod est ab Iustino in secunda *apolog.* n. 12. *p.* 100. memoriae traditum his verbis: « Cum nonnullos occiderent ob afficta illa nobis crimina, rapuerunt etiam ad tormenta nostrorum servos partim pueros, partim mulierculas, ac horrendis cruciatibus fabulosa illa facinora, quae palam et sponte ipsi (ethnici) perpetrant, proferre coegerunt »: et ab Eusebio *lib.* V. *cap.* I. *hist. eccl. pag.* 201. *edit. cantabrig.* ubi de martyribus lugdunensibus, et viennensibus agit, quorum servi aliquot comprehensi, vexatique, coenas thyesteas a nobis celebrari affirmarunt; tamen vel iidem ipsi, qui negarent, se christianos esse, ad sanitatem reversi, nihil mali post a christianis fieri, cogitarique confessi sunt, ut de Biblide scribit *ibid. p.* 203. *Eusebius*, vel innocentes se coram Deo esse contenti, nihili contumelias, calumniasque aestimabant. Itaque Iustinus *ibid.*, « Quae quidem, *inquit*, quia aliena a nobis sunt, parum laboramus, cum ingenitum, ac non enarrabilem Deum cogitationum, et actionum testem habeamus ». Blandina vero martyr, ut est apud Eusebium *ibid. pag.* 202., cum vehementer excruciaretur, hoc usurpabat dictum: Χριστιανή εἰμι, καὶ παρ' ἡμῖν οὐδὲν φαῦλον γίνεται. *Christiana sum, et apud nos nihil mali agitur.* Vide quae de Vetio Epagatho *ibid.* scribit Eusebius *p.* 200., et *acta s. Iustini apud Ruinartium p.* 49. *seq. edit. veron.*, *acta ss. mm. scillitanorum apud eumdem p.* 78. n. 1., ubi haec habentur. « Speratus dixit: Numquam gessisse conscii sumus iniquitatem; operam, atque assensum non praebuimus, nulli umquam nos maledixisse recolimus, sed male tractati, ac lacessiti semper Deo gratias egimus ... Ego imperium huius saeculi non agnosco; sed magis illi fide, spe, et charitate deservio Deo, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Facinus, quod legibus publicis, et divinis comperitur esse damnabile, numquam feci ». Sed omnia ss. mm. acta, quod ad hoc attinet, describere longum esset.

(2) Eusebius *lib.* V. *cap.* I. *hist. eccl.* postquam *p.* 199. narravit « constantissime tolerasse lugdunenses christianos acclamationes, plagas, raptationes, spoliationes bonorum etc., » tum p. 201. « His, *inquit*, de *concubitu incesto etc.* in vulgus sparsis, omnes continuo in nos adeo efferati sunt, ut si qui forte cognitionis causa moderati hactenus erga nos extitissent, tunc acerbissima indignatione commoti adversus nostros infremerent. Complebatur itaque id, quod a domino praedictum fuerat his verbis: *Veniet tempus, cum quicumque vos occiderit, cultum offerre videbitur Deo* ». Tertullianus *apologet. cap.* VII. *p.* 30. *edit. an.* 1744. *in append.* « Tot hostes (christianae religionis), quot extranei, et quidem proprie ex aemulatione iudaei, ex concessione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum coetibus, et congregationibus nostris opprimimur ». Et *cap.* I. *p.* 2. « Scit se (ecclesia) peregrinam in terris agere, inter extraneos

cis, consangnineisque ad necem quaesitos, damnatos ab imperatoribus sese cernebant, gratias Deo et agerent maximas, et haberent, fuisse ita animatos, ut implicati essent cupiditate terrenarum rerum. Aspernabantur igitur quaecumque mundus polliceretur, ut grati esse Christo, et lucrari Deum in gloria sempiterna possent.

§. V.

Quas artes profiterentur christiani veteres, ut victum sibi compararent.

Iis autem rebus cum essent contenti, quibus vitam snstentare valerent, non eas artes, ex quibus plurimum lucri sibi promitterent, sed communes, quales erant hominum plebeiorum, profitebantur. Nam demptis nobilibus, qui, si collati cum ceteris essent, perpauci initio, ut alio loco demonstravimus, erant, reliqui labore manuum victum sibi quaeritabant. Vix enim iureconsultorum, oratorum, medicorum etc., qui primis ecclesiae saeculis tribus floruerint, eorum autem, qui mercaturam facerent, ne vix quidem ullius ab antiquis scriptoribus fieri video mentionem. Sed ab iureconsultis, iisque etiam, qui artes liberales colerent, exordiendum est. Ac eorum quidem aliquos, qui caussas Romae, atque aliis in urbibus dicerent, et ius interpretarentur, christianae religioni dedisse nomen, auctor est in secundo adversus (1) gentes libro Arnobius. Sunt autem, qui Vetium Epagathum in iureconsultis numerandum putent, qui, Marco Aurelio imperatore, incredibili animi magnitudine, cum omnia cruciatuum exempla in christianos edi videret, in medium processit,

» facile inimicos invenire. Ceterum genus, sedem, spem, » gratiam, dignitatem in caelis habere. Unum gestit » interdum, ne ignorata damnetur ... p. 7., christia» nus ... si accusatur, non defendit, interrogatus, vel » ultro confitetur, damnatus gratias agit ». Confer locum citatum notatione superiore ex actis ss. mm. scillitanorum. Origenes t. *contra Celsum libro n. 3. opp. edit. paris. monachor. s. Mauri*, « Ad christianum quod spe» ctat, *inquit*, senatum romanum, imperatores diver» sis temporibus, milites, populos, ipsos eorum, qui » credebant, parentes in eorum doctrinam conspiras» se, et tot undique hostium insidiis circum allata, » haud dubie oppressa fuisset, nisi virtute divina su» stentata, non modo evasisset, atque emersisset, sed » etiam orbem universum vicisset, vel in se coniura» tum ». Adisis *Ioh. chrysost. homil. de s.. Domnina, Berenice, et Prosdoce apud Ruinartium, acta sinc. ss. mm.* n. 21. *seq. p.* 415. *seq. edit. veron.*, et acta ss. Agapes, Chioniae, et Irenes, *apud eund. p.* 348. n. 2.

(1) *Pag.* 44. *edit. an.* 1651. Vide Tertullian. infra *p.* 225. not 2.

instinctuque divino incitatus, paratum esse dixit se caussam eorum, defensionemque suscipere, quos nihil contra leges, nihilque contra atque pietas (1), virtusque posceret, molirentur. Sed ut aperte dicam, quod sentio, vereor, ne res nulla in historia sit, ex qua Vetium dicundo iuri operam aliquando dedisse colligatur. Nam quod a lugdunensibus in epistola, quam ad Asiae, Phrygiaeque ecclesias scripserunt, advocatus dicatur christianorum, nego satis esse grave argumentum ad id, quod Balduinus (2) vellet, demonstrandum. Quid? si ne senatores quidem Hippolytns, et Apollonius, quos in scriptoribus ecclesiasticis Hieronymus ponit, ostendi potest, iuris sequutos fuisse (3) prudentiam? Alioqui Flavius Clemens qnoque, atque Glabrio, quos et consules, et multis aliis magnisque honoribus perfunctos fuisse constat, in iureconsultis nnmerarentur. Etsi autem Eusebius in secundo libro (4) historiae Tertullianum legum romanarum peritissimum vocet, idque huius scriptoris et apologeticus, et ad nationes libri plane demonstrent; non is tamen sum, qui eum umquam in foro aut defendisse quemquam, aut accusasse putem. Cum enim monumenta, quibus solum adhibenda assensio est, et vetera, et auctoritatis alicuius desint, numquam committam, uti me de rebus incertis unus aliquis arbitretur temere tulisse sententiam. Hoc certum est, tertio ecclesiae saeculo Minucium Felicem africaunm, a quo est editus dialogi liber, quem inscripsit *Octavium*, Romae inter caussarum patronos (5) locum obtinuisse, ut est a Lactantio, et Hieronymo monumentis traditum litterarum. Post autem,

(1) Eusebius *lib. v. cap. 1. pag.* 190. *edit. cantabrig.* « Vetius Epagathus unus e fratrum numero, immen- « sa quadam charitatis copia erga Deum simul et pro- « ximum celebrans, qui adeo districtam, ac severam « vivendi rationem instituerat, ut quamvis adhuc iu- « venis, Zachariae tamen senioris elogio aequaretur. « Incesserat quippe in omnibus mandatis, et iustifica- « tionibus Domini sine querela ... Hic inquam, cum « esset huiusmodi, adeo iniustum adversus nos iudi- « cium pati non potuit, sed indignatione commotus, « postulavit, ut sibi quoque liceret pro fratribus caus- « sam dicere, palamque ostendere, nihil apud nos im- « pium, aut irreligiosum reperiri .... Advocatus qui- « dem christianorum iudicis elogio appellatus, habens « autem in se ipso advocatum Spiritum sanctum etc. ».

(2) Franciscus Balduinus praefat. *in Minucii Octavium edit. an.* 1672.

(3) Balduinus *ibid.* « Saltem Hieronymus, *inquit,* « ad Magnum, ubi Minucium laudat, meminit duo- « rum romanae urbis senatorum, Hippolyti, et Apol- « lonii, qui, ut inter scriptores ecclesiasticos referan- « tur, meriti sunt ». De Apollonio vide Eusebium *lib. v. hist. eccl. cap.* XXI. *p.* 239. *edit. cantabrig.* At eum senatorem non vocat.

(4) *Cap.* II. *p.* 47.

(5) Confer Minucii Octavium *p.* 3. *seq. edit. an.* 1672., Lactant. *lib.* I. *divin. institut. cap.* XI. *p.* 54. *edit. paris. an.* 1748., *et lib.* V. *cap.* I. *p.* 361. « Felix, *inquit,* non « ignobilis inter caussidicos loci fuit. Huius liber, cui « Octavius titulus est, declarat, quam idoneus veritatis « assertor esse potuisset, si se totum ad id studium con- « tulisset ». Hieronymus *in catalog. viror. illustr.* t. IV. *par.* II. *opp. edit. Martianaei paris. p.* 117. « Minucius « Felix, *inquit,* Romae insignis caussidicus, scripsit dia- « logum christiani, et ethnici disputantium, qui Octa- « vius inscribitur ». Et *epist. ad Magnum orator. roman.*

ubi imperatores propensiore in christianos animo esse coeperunt, tumque potissimum, cum exactis tyrannis, potitus Constantinus imperio est, plures extitisse (1) iureconsultos, qui nostram religionem profiterentur, tam est manifestum, ut revocari a nemine in controversiam posse videatur. Sed erunt fortasse, qui mirentur, quemadmodum saevientibus in christianos ethnicis, versari Minucio in foro, caussasque defendere liceret. At hi si considerent (2) neque semper imperatores cavisse, ne qui nostrum publicis muneribus fungerentur, neque omnes; facile quidem certe confitebuntur, tertio saeculo, quo et Septimius Severus aequior aliquando, quam decessores sui consuerant, nostris, et Alexander, et Philippi Augusti, qui nihil adversus nos decernendum existimarunt, adepti imperium sunt, fas fuisse christiano viro in forum venire, patrociniumque eorum suscipere, quos aut iniuria affectos, aut bonis iniuste privatos fuisse arbitraretur. Neque enim iureconsultos eorum temporum, qui nostris sacris essent initiati, ita fuisse comparatos animis censeo, ut non iustitiae tuendae, sed amplificandae rei familiaris caussa in forum venirent, ac si clientes nacti pauperes fuissent, vel negligendos, ita ut nostra aetate fieri a quibusdam intelligo, vel diem ex die ducentes, illudendos iudicarent. Longe discrepans eorum et ratio vitae, et institutio morum erat (3).

Ac praeter iureconsultos, oratores, atque philosophos aliquot christiana instituta sequutos fuisse, satis constat. In his Quadra-

pag. 656. « Minucius Felix caussidicus romani fori in libro, cui titulus Octavius est ... quid gentilium scriptorum dimisit intactum » ?

(1) Franciscus Balduinus *ibid.* « Mirum cum iam annis prope ducentis orbis romanus et palam, et publice, et libere Christo nomen dedisset, auctoribus ipsis imperatoribus, visam esse legem necessariam, quae et tandem lata est, ut in nullo foro vel advocatus, vel caussidicus esset ullus, vel ius postulandi quisquam haberet, qui christianus non esset, *leg.* 8, *cod. de postul.* ».

(2) Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* IV. *p.* 71. *edit.* an. 1744. de Severo, ante quam in nostros saevisset, loquens, « Ipse etiam Severus, *inquit*, pater Antonini, christianorum memor fuit. Nam et Proculum christianum, qui Torpacion cognominabatur, Evodiae procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, in palatio suo habuit usque ad mortem eius, quem et Antoninus (Caracalla) optime noverat, lacte christiano educatus. Sed et clarissimas feminas, et clarissimos viros Severus sciens huius sectae esse, non modo non laesit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit ». De Alexandro vide Eusebium *lib.* VI. *hist. cap.* XXI. *seqq. pag.* 286. *edit. cantabrig.*, *et cap.* XXVIII. *p.* 293. ubi, « Caeso, *inquit*, Alexandro imperatore, qui tredecim annis regnaverat, in eius locum successit Maximinus, qui gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant christiani, persecutione excitata, solos ecclesiarum antistites interfici iussit ». De Philippis confer eumdem Eusebium *lib.* VI. *cap.* XXXIV. *seq. p.* 298. *seq. edit. eiusd.*

(3) De iureconsultis christianis primorum temporum scripsit Iohannes Michael Heineccius singularem dissertationem. Quin etiam me praeside disputationem de eodem argumento scripsit, defenditque Romae

tus (1), Aristides, Iustinus (2), Tatianus (3), Athenagoras (4), Apollonius (5), Tertullianus (6), Cyprianus (7), Arnobius (8), aliique fuerunt, qui sententiis, decretisque veterum poetarum, rhetorum, et philosophorum usi, non solum ethnicas fabulas graviter, sapienter, vereque oppugnarunt, sed sanctam etiam solamque veram christianorum defenderunt religionem. Quum enim existerent interdum improbi, scelestique homines, qui sese philosophos (9) appellarent, atque hoc tam praeclaro nomine ple-

an. 1746. Iosephus Compagnonus maceratensis, nobilis adolescens in academia ecclesiastica, ubi tunc historiam docebam.

(1) Vide *tom.* II. *huius operis p.* 144., et Eusebium *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXXVII. *p.* 133. *edit. cantabrig.*, *et lib.* IV. *cap.* III. *p.* 42. ubi „Hadriano, *inquit*, Quadratus obtulit orationem, quam pro defensione religionis nostrae idcirco conscripserat, quod quidam malevoli hominum vexare nostros, atque incessere conabantur. Extat hodieque apud plerosque ex fratribus haec oratio, quam nos etiam habemus, ex qua et ingenium eius viri, et rectam apostolicae fidei doctrinam perspicue licet cognoscere„. Et pag. 43. „Aristides quoque, *inquit*, vir fidelis ex religionis nostrae sectatoribus, apologeticum pro fide nostra perinde ac Quadratus, Hadriano Caesari nuncupatum reliquit. Qui quidem liber etiamnum servatur a plurimis„.

(2) Idem Eusebius *lib.* IV. *cap.* VIII. *p.* 152. „Eodem tempore, *inquit*, *quo Hadrianus imperabat*, Iustinus verae philosophiae amator sincerissimus adhuc gentilium philosophorum scriptis, ac sermonibus adhaerescebat. Qui etiam in apologetico ad imperatorem Antoninum scripto, hoc ipsum tempus designat ... Sed et in eodem libro loquens de conversione sua a gentilium philosophia ad veri Dei cultum, id non temere ac leviter, sed cum ratione ac iudicio ab se factum esse declarat his verbis. Nam ego, *inquit*, qui Platonis doctrinam amplexus fueram, cum christianos calumniis appeti audirem, eosque adversus mortem, et cetera, quae formidabilia habentur, fortes, atque intrepidos viderem, sic apud me reputabam, fieri non posse, ut iidem vitiis, ac voluptatibus dediti essent. Quis enim voluptatibus deditus, aut intemperans, et humanis carnibus vesci pro deliciis habens, mortem ipsam possit libenter amplecti, quae sum ipsi cupiditates ereptura sit? Ac non potius omnibus modis contendat, ut in hac vita perpetuo deget, et magistratus ipsos lateat, ne dum se ipse necandum ultro prodat, ac deferat„. Vide *tom.* I. *huius op. p.* 189. *not.* 2.

(3) Eusebius *lib.* IV. *cap.* XVI. *p.* 175. *edit. cantabrig.* „Iustinum, *inquit*, sicut ipse praedixerat, structis a Crescente insidiis martyrio esse coronatum, Tatianus vir, qui primo aetatis suae tempore rhetoricam docens, in gentilium disciplinis summa cum laude versatus est, et qui plurima ingenii sui monumenta posteris reliquit, testatur„.

(4) Confer huius *legat. pro christianis n.* 1. *et seqq. opp. Iustini edit. an.* 1747. *p.* 296. *seq.*

(5) Eusebius *lib.* V. *hist. eccl. cap.* XXI. *p.* 239. „Romae Apollonium quemdam, *inquit*, a numero fidelium, qui in humanioribus litteris, et in philosophia eximius habebatur, in iudicium adduxit (diabolus) suscitato ei accusatore homine quodam perditissimo„.

(6) Tertullianum *apologetici cap.* XVIII. *pag.* 17. *edit. an.* 1744. „Haec et nos risimus aliquando. De vestris fuimus. Fiunt, non nascuntur christiani„.

(7) Vide Pontium diaconum in *vita Cypriani*, *eius operibus edit. oxon. praefixa p.* 1. *seq.*

(8) Confer *tom.* I. *huius operis pag.* 410., *et tom.* II. *pag.* 429.

(9) Ut Celsus, quem octo libris confutavit Origenes, ut Lucianus, qui in *dialogo de morte peregrini* christianorum mores, atque instituta ludibrio exponere non dubitavit, ut auctor dialogi *Philopatridos*, ut Crescens ille, qui se Iustini tempore philosophum esse iactabat, de quo Iustinus ipse *apolog.* II. *n.* 3. *p.* 94. „Neque philosophi appellatione dignus est (Crescens), *inquit*, quippe qui de nobis ea publice testatur, quae prorsus ignorat, atheos, et impios esse christianos, ad gratiam, et voluptatem deceptae plebeculae asseverans... Illud enim scire vos velim, me cum nonnullas ei interrogationes eiusmodi proposuissem, didicisse, et deprehendisse illum revera nihil scire. Atque ut verum a me dici pateat, paratus sum, si disputationes illae ad vos perlatae non sunt, coram vobis interrogationes iterum proponere. Regium sane hoc etiam opus fuerit. Si vero ad aures vestras (imperatores) interrogationes meae, illiusque responsa pervenerunt, liquet vobis nihil eum scire rerum nostrarum; aut si scit illa quidem, sed audientium metu non audet, ad exemplum Socratis, eloqui; non philosophum, ut iam dixi, sed opinionum amatorem deprehendi: quippe qui pulcherrimum illud Socratis dictum parvi faciat, *sed plus honoris non est habendum homini, ac veritati*„. Caecilius praeterea ille, quem Octavius apud Minucium Felicem reprehendit, compulitque, ut pertu-

bem circumvenirent; factum divini numinis consilio est, ut eorum aliqui quanta in pravitate opinionum versati essent, cognoscerent, Christo se dederent, iisque rationum momentis saepe nos a calumnia vindicarent, quibus inimici nostri abuterentur. Sed de philosophis, ceterisque christianis, qui aliqua doctrinae laude floruerunt, quoniam alio loco diximus, copiose rursum agere non est necesse. Hoc tamen breve non praetermittam, philosophos illos, oratoresque christianos factos magnam partem episcopos, presbyteros, diaconosve fuisse, adeoque non arte, quam profiterentur, sed facultatibus ecclesiarum ali (1) consuevisse. Quod si qui cooptati non fuerant in ordinem clericorum, iis profecto scholas moderari, et vel publico stipendio, vel discipulorum sumptu victum sibi quaerere (2) licebat.

Erant item primis ecclesiae saeculis, qui militiae nomen darent christiani, ac suo periculo adversus imperii romani hostes rempublicam defendendam arbitrarentur, sed ea conditione, nihil ut agerent, iurarent, dicerent, quod superstitiosum, alienumque a nostris institutis esset. Atque Hadriano quidem imperatore milites aliquot christianos vixisse (3), testata res est. Auctus vero

nocia desisteret, versatus in doctrina philosophorum ethnicorum fuisse videtur. Quid? si Ammonium Saccam III. saeculo insignem philosophum, etsi parentibus christianis ortum, lapsum in ethnicorum errorem, nostraque oppugnare conatum scribat apud Eusebium, *lib. VI. hist. eccl. XIX. pag.* 281., Porphyrius? Atque Porphyrio praeter alios assensus Iohannes Laurentius Moshemius est in ea dissertatione, quam *de perturbatis a recentioribus platonicis christianae religionis* rebus edidit. Ammonium θεοδίδακτον a *Deo doctum* appellat Hierocles hostis infensissimus christianorum *lib. de provid. et fato*. Is vero christianum θεοδίδακτον numquam vocasset. Eiusdem furfuris Demetrianus ille fuit, quem singulari libro Cyprianus episcopus carthaginiensis, et martyr confutavit. Theosthenes praeterea peripateticus, cuius est aetas incerta (confer Iohannem Albertum Fabricium *salut. luce evang. cap* VIII. *p.* 154., *et delect. argum. pro verit. relig. christian. p.* 66., *seq.* quo loco meminit operis scripti a Magno ἱεράρχῃ III. fortasse saeculi scriptore adversus Theosthenem vulgati), Porphyrius, Hierocles, quos Eusebius, et Lactantius refellerunt, Maximus ephesius, Iulianus apostata, quem Gregorius nazianzenus, et Cyrillus alexandrinus exagitarunt, christianam religionem suis vel scriptis, vel maledictis evertere conati sunt. Sed frustra. Nam, ut est ab Origene *in* I. *contra Celsum n.* 3. *edit. monachor. s. Mauri tom.* I. *opp.*, animadversum, „ Divina virtute sustentata, non modo evasit, „ atque emersit, sed etiam orbem universum vicit in se „ coniuratum „. Consule Fabricium *salut. luce evang. loc. cit. pag. eod. seq.*

(1) Quamquam enim erant aliquot episcopi, presbyterique primis temporibus, qui ut ne graves cuiquam essent, labore manuum sibi victum quaeritabant, apostolum Paulum imitantes; tamen eleemosynis, oblationibusque christianorum plerumque clerici quique alebantur. Consule s. Cyprianum *epist.* I. *ad presbyteros, et diaconos, et plebem Furnis consistentes p.* 1. *seq. edit. oxon.* Sed de hac re disseram alio loco opportune, ubi de reditibus ecclesiarum. Et sane Quadratum, Iustinum, Tertullianum, Cyprianum, Pantaenum, Clementem alexandrinum, Origenem, Heraclam, aliosque permultos philosophos christianos clero nomen dedisse constat.

(2) Nam Lactantius, qui litteras adolescentes docebat, stipendio publico auctitarit necesse est, cum publice Nicomediam eam ob caussam accitus esset. *Lib.* enim v. *instit. cap.* II. „ *Ego, inquit*, cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem etc. „.

(3) Vide inscriptionem Marii ducis militum *tom.* I. *huius operis p.* 428. In actis sinceris ss. mm. Symphorosae, et filiorum *p.* 20. *apud Ruinartium edit. veron.*, Symphorosa sic alloquitur Hadrianum Imperatorem: „ Vir „ meus Getulius cum fratre suo Amantio tribuni tui

eorum est numerus, cum Antonini (1) imperio potirentur. Septimio autem Severo imperatore (2), quis neget tantam fuisse copiam militum christianorum, ut castra iis plena esse viderentur? Quod si tot fuerunt extremo secundo, et ineunte tertio saeculo milites christiani, credibile sane est multo plures fuisse, Alexandro Severo, Gordianis, Philippis (3), postremoque Diocletiano, et Maximiano Herculio imperatoribus (antequam hi de nostra religione delenda cogitassent), cum stipendia mereri cuique, et sine (4) periculo violandae fidei, quam Christo dederat, in castris versari liceret. Cnmque aliqui essent eorum et nobiles, et singulari virtute, ac fortitudine praediti viri, his item ad opes, ad (5) honores, ad dignitates via non minus, quam ethnicis patebat. Quamquam interdum eveniebat, ut ab invidis accusarentur, quasi christiani cum essent sacrificareque nollent, inanibus diis iniuriam facerent, ac supplicium immerentes ferrent.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

Fas ne fuerit christiano viro militiae nomen dare?

Etsi demonstratum est in priore huiusce operis volumine adversus eos (6), qui fas non fuisse christiano viro militare dicerent, permultos in castris, tribus primis ecclesiae saeculis, nostrorum hominum fuisse versatos, idque iam illis per episcopos, qui primas in ecclesiis partes obtinerent, licuisse; quoniam tamen praetermissa quaedam fuerunt, quae ad rem eamdem magis magisque statuendam conferre possent, rursum de hoc ipso argumento, cum redierit de militibus mentio, agendum existimavi, ut testimoniis veterum scriptorum adductis, atque expensis, quam illi

„ cum essent, pro Christi nomine passi sunt diversa „ supplicia, ne idolis consentirent ad immolandum, et „ quasi boni athletae daemonem suos moriendo vi„ cerunt „.

(1) Confer quae scripsi *tom.* I. *huius op. pag.* 363. *seq. not.* 3. *seq.*

(2) Tertullianus *apolog. cap.* XXXVII. *p.* 115. *append. edit. opp. an.* 1744. Scriptum autem est apologeticon Severi tempore. „ Hesterni sumus, et vestra omnia im„ plevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conci„ liabula, *castra ipsa*, tribus, decurias, palatium, sena„ tum, forum etc. „. Vide *tom.* I. *huius operis p.* 370. *not.* 5.

(3) Nam his aequissimis christiani sunt usi imperatoribus, ut paullo ante ex Eusebio vidimus.

(4) Confer Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* I. *p.* 375. *seq. edit. cantabrig.*, et Lucium Caecilium *lib. de mortibus persecut. cap.* XV. *seqq. tom.* II. *Lactant. edit. an.* 1758.

(5) Vide Eusebium *lib.* VII. *hist. eccl. cap.* XV. *p.* 341. *ubi de Marino milite*, qui sub Gallieno martyr decessit sermonem instituit.

(6) *Tom.* I. *p.* 363. *seq. huius operis.*

fuerint ab adversariorum sententia discrepantes ostenderem. Atque persuadere equidem mihi nequeo, tam fuisse imperitos veteres christianos, tamque parum in sacris litteris exercitatos, ut nescirent probatam evangelistis fuisse (1) militiam. Cur enim Iohannis baptistae dictum laudasset, quod milites contentos esse suis stipendiis oportere posceret, si nefas esse homini, qui Christo adhaeserit, militare existimassent? Age vero iustum ne, ac timentem Deum umquam appellasset Cornelium (2) centurionem Lucas, si militiam cum pietate pugnare censuisset? Atque Apollinarem quidem hierapolitanum (3) antistitem, Tertullianum (4), Origenem (5), Clementem alexandri-

(1) Lucas *cap.* III. *evang.* v. 14. „ Interrogabant autem (Iohannem) et milites. Quid faciemus et nos? Et ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris ...

(2) Luc. *act. apost. cap.* X. n. 1. *seq.* Locus hic, ut etiam ille, quem descripsi notatione superiore, negotium Tertulliano exhibuit, quem secum pugnare ostendi *lib.* II. *huiusce operis tom.* I. *p.* 371. *not.* 4. Itaque in *lib. de idololatria cap.* XIX. *p.* 97. *edit. venetae an.* 1744. sic habet. « Possit in isto capitulo etiam de militia definitum videri, quae inter dignitatem, et potestatem est. At nunc de isto quaeritur, an fidelis ad militiam converti possit, et an militia ad fidem admitti, etiam caligata, vel inferior quaeque, cui non sit necessitas immolationum, vel capitalium iudiciorum. Non convenit sacramento divino, et humano, signo Christi, et signo diaboli, castris lucis, et castris tenebrarum. Non potest una anima duobus deberi, Deo, et Caesari .... Quomodo autem bellabit, immo quomodo etiam in pace militabit, sine gladio, quem dominus abstulit? Nam etsi adierant milites ad Iohannem, et formam observationis acceperant, si etiam centurio crediderat, omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit. Nullus habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus ». Scio Pamelium sic statuere, negari ab Tertulliano fas esse christiano militare, si se in periculum idololatriae coniiceret. Verum ut recte animadvertit Petavius *lib.* II. *dissert. eccles. cap.* II. §. VII. *p.* 183. *tom.* IV. *theolog. dogm. edit. venet. an.* 1745., ne eam quidem militiam probat Tertullianus, quae obiri sine superstitionis periculo posset. Idque iam censuit Rigaltius in *not. ad Tertull. modo indicatum locum.* Sed quam sit illud ridiculum, quod carthaginiensis presbyter scribit, *omnem postea militem in Petro Christum exarmasse,* nemo non intelligit. Cornelius enim miles et religiosus, et timens Deum fuit etiam post exarmatum a Christo Petrum.

(3) Vide *tom.* I. *huius operis p.* 363. *seq.*

(4) Vide *tom.* I. *p.* 370. n. 5.

(5) *Tom.* I. *ibid. p.* 370. *not.* 4. Ac Origenes *lib.* I. *contra Celsum* n. 1. *tom.* I. *opp. edit. monachor. s. Mauri,* bellum iustum licitum esse defendit. « Sicut enim, *inquit,* si qui clam foedera inirent, ut tyrannum urbem invadentem e medio tollant, *illi recte facerent;* ita christiani diabolo, mendacioque apud ipsos tyrannidem exercentibus, merito etiam perfractis diaboli legibus, contra diabolum ipsum foedera ineunt ». Et *lib.* IV. n. 82. « Fortasse etiam, *inquit,* haec imago bellorum, quae gerunt apes, nobis documento est, quomodo *iuste, et ordinate gerenda bella sint, si quando inter homines geri opus est* ». Non me latet eumdem Origenem *lib.* V. n. 33. sic habere. « Sciscitantibus unde veniamus, et quisnam sit dux noster, respondemus nos Iesu imperiis accersitos venisse conflaturos in vomeres gladios, quibus animi nostri antea ad bella inferenda, ingerendasque contumelias utebantur, et convertimus in falces lanceas, quibus olim irati feriebamus. Nec enim iam contra gentem ullam arma capimus, nec bellum gerere discimus, facti pacis filii per Iesum, quem sequimur ducem ». Et *lib.* VII. n. 26. « Neque christiani potuissent, ut lex mosaica praecipit, hostes interficere, legisque violatorem igne comburere, aut lapidibus obruere, prout alterutro supplicio digni iudicati fuissent, siquidem nec iudaeis vel volentibus haec, ut lex constituit, exsequi nunc liceat. Rursus si veteribus iudaeis, qui privatas leges habebant, privatasque incolebant regiones, in hostes faciendi impressionem, bellum gerendi pro patria, aut quolibet morte adulteros, homicidas, aut quid aliud simile perpetrantes supplicio afficiendi libertas ablata fuisset, nihil reliquum erat, quam subito omnem, et penitus deleri etc. ». Et *lib.* VIII. *num.* 73. *seq.* « Sed et plus ceteris pro imperatore pugnamus. Non quidem sub illo militamus, etiamsi nos ad id cogeret, sed pro illo militamus, cum seorsim pietatis castra facimus ad Deum precibus collocamus ». Spencerus in *not.*

num (1), aliosque patres (2) fas esse christiano viro castra sequi statuisse, ut qui milites christianos, in primisque eos, ut factum a Tertulliano est, qui cum M. Aurelio ad bellum profecti sunt, summis laudibus celebrarint, tam est manifestum, ut ne egeat quidem oratione. Neque vero Iustinus martyr in ea, quae est ad Diognetum (3) epistola, omnia ab christianis geri dixisset, quae ethnici gererent, exceptis iis, quae secum superstitionem ferrent, si nulli nostrum professi militiam fuissent, sine qua defendi non potest respublica. Tertio autem saeculo (4), quartoque ineunte (5), quum ethnici imperio potirentur, nonne magna fuit copia militum christianorum, quin antistites ecclesiarum, quibus et religio, et disciplina nostra curae fuit, exterminandos e finibus ecclesiae esse arbitrarentur?

At enim intelligo esse aliquos, qui extremo tertio saeculo debilitatam, ac pene sublatam disciplinam, quam veteres constituerant, putent; factumque ita fuisse, ut licere sibi plerique iudicarent, quae Origenes, et Tertullianus componi cum institutis christianae religionis posse negaverant. Quorum sane ss. mm. actis quibusdam confirmari videtur sententia. Ac Maximilianus quidem

in hunc locum, et Hugo Grotius *lib. I. de iure belli, et pacis cap. II. sect.* 9. pugnantia loqui Origenem defendunt. Igitur eum, qui incertae sententiae, ac repugnantes conetur ratione inter se componere, nihilo plus agere putant, quam ut det operam, ut cum ratione insaniat. Atque privatum quidem Origenis iudicium si ita se haberet, ut tolleret christianis militandi potestatem, nullius tamen momenti esset. Nam publicum ecclesiae institutum erat permultis bellandi potestatem dare, ut *tom. I. huiusce operis loc. cit.* demonstratum est. Publico autem ecclesiae nos, non privato unius viri iudicio assentiri oportet. Ceterum si Origenis prima specie pugnantes sententiae diligenter considerentur, conciliari fortasse inter se poterunt. Nam recte ille quidem geri iustum bellum posse affirmat. Negat autem christianos pro se unquam bellum gessisse, quod privatam rempublicam nullam haberent. Pacis autem, non belli nos cultores esse debere. Ergo si privata respublica christianis fuisset, iam non negat, integrum tum nostris fuisse, eam ab invadentibus inimicis defendere. Quod autem scribit, nostros ne coactos quidem militare velle, sic est intelligendum, ut ad eam militiam cogi neminem posse putet, quae coniuncta superstitioni esset. Alioqui cognorat fuisse christianos, qui in castris versarentur, quibusque liberis ab idololatria ibidem versari liceret. Fortasse etiam haec dixit, quod etsi milites, qui religioni christianae nomen dedissent, sequi suum institutum solerent, christianis tamen parentibus orti nomina militiae dare non consueverant, nisi fortasse perraro. Vide Rigaltium *loc. supra cit.*

(1) Vide tom. I. *huius operis p.* 371. *not.* 1.

(2) Confer *tom. eumdem I. pag. eamdem not.* 3.

(3) *Num.* 3. *p.* 248. *opp. edit.* an. 1747. « Christiani neque regione, neque sermone, neque *politicis vitae institutis* a ceteris hominibus sunt distincti. Nam neque proprias civitates incolunt, neque sermone utuntur, qui ab aliorum sermone differat, neque vitae genus habent, quod de re aliqua sibi peculiari sit notabile ... Sed incolentes partim graecas, partim barbaras civitates, prout cuiusque sors tulit, et indigenarum instituta sequentes in vestitu, victuque, et ceteris, quae ad vitam pertinent, mirabilem, et haud dubie incredibilem suae politiae statum oculis nostris proponunt ».

(4) Vide Eusebium *hist. eccl. lib.* VII. *cap.* XV. *p.*341. *edit. cantabrig.*, *et tom.* II. *huiusce op. p.*12. *not.*5., ubi de Marino martyre caesareensi, ac militia satis illustri diximus. Ex eo autem loco satis constat, fas fuisse christiano dignitatem in militia obire, ac sustinere, quin cogeretur sacrificare. Nam ubi primum Marinus rem divinam facere, Christumque eiurare iussus est, mori maluit, quam scelestum adeo facinus perpetrare.

(5) Vide Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* II. *seq.*, et Lucium Caecilium *loco supra indicato*.

in Africa martyr, iussus anno 295. ut cingulum sumeret, nefas sibi christiano viro esse militare dixit. Cumque proconsul multos esse in exercitu milites christianos affirmasset, scire illos, respondit Maximilianus, quod facerent; at se christianum male (1) quidquam agere non posse. Itaque ob eam rem capitis condemnatus, atque ab ecclesia in numerum martyrum relatus est. Ecclesiam autem fastis martyrum adscripsisse hominem, non religionis tuendae, sed rei, quae nostris liceret, caussa interfectum, quis credat? Argumento est igitur alienum a christianis moribus, institutisque fuisse militiae nomen dare. Quamobrem, quum rursum proconsul ex Maximiliano quaesisset, ecquid mali facerent milites, hoc responsum a martyre accepit: *Scis ipse quae faciant.* Quod scilicet indicium esse impiae, scelestaeque vitae debet, quam milites ducere solerent. Accedit synodi nicaenae primae auctoritas, quae canone XII. statuit, eos, qui instinctu, opeque divini numinis permoti, militare cingulum deposuissent, deindeque pecuniae cupiditate incitati, sacramento se denuo militiae obligassent, post triennii tempus, quo inter audientes consistere debebant, decem annos prosterni oportere. Non enim credibile est, adversariorum quidem sententia, voluisse patres tamdiu milites in squallore, ac sordibus iacere, nisi a maioribus accepissent, vetitam esse christiano militiam.

Sed de Origene, ac Tertulliano nihil attinet dicere. Satis enim dictum esse arbitror libro superiore (2). De Maximiliano sic existimo: positum in martyribus fuisse, propterea quod militiam cum religionis verae cultu (3) componi crederet non posse. Quare cum mortem perpessus sit, ne fidem Christo datam falleret; fefellisset autem, ut putabat, si militasset; delendum e fastis martyrum non fuisse. Quod si scelesti quidam in castris milites erant, esse namque permulti semper consuerunt, nemo tamen adigebatur, ut similis eorum esset. Non sum nescius, latas interdum ab imperatoribus fuisse leges, quibus milites rem divinam (4) facere iuberentur. Sed ubi huiusmodi edicta publi-

(1) Vide Ruinartium *act. ss. mm. sincer. pag.* 263. *seq.* n. 11. *seq. edit. veron.*

(2) *Tom.* I. *p.* 370. *seq.*

(3) Ruinartius *ibid. p.* 262.

(4) Vide Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* II. *seq.*, acta ss. mm. *Victoris etc. apud Ruinartium* n. 3. *p.* 256., ss. Mauricii, et sociorum *apud eumdem* n. 4. *p.* 243. *seq.*, s. Marcelli centurionis, et martyris n. 1. *pag.* 263. *apud eumdem*. Sic enim Marcellus loquutus est. « Iesu Christo regi aeterno milito ... Ex hoc militare impera-

cabantur, recedendum e castris esse christiani, aut moriundum potius, quam sacrificandum putabant. Ex qua re intelligitur, christianis fas fuisse cingulum militare ferre, quin superstitiosi quidpiam agere cogerentur. Si enim coacti fuissent, non solum publicatis legibus, sed ante etiam, quam essent latae, obligari sacramento militiae renuissent. Ad synodum nicaenam quod pertinet, nego cautum ab ea fuisse, ne quis militare in posterum tempus auderet. Quemadmodum enim reprobasset institutum, quo superatum Maxentium, restitutamque ecclesiae pacem esse constaret? Atque est omnino incredibile, ut post singulare ostentum crucis, quae in caelo apparuerat, cum inscriptione, *in hoc vince*; tollendos esse milites dicerent, ac non modo perturbandam rempublicam, sed etiam in discrimen ecclesiam coniiciendam sancirent. Mea igitur sic est ratio, vel in eos, qui cingulo militiae deposito, ut perfectius, religiosumque vitae institutum consectarentur, in castra redierint, nicaenum canonem esse statutum; vel (quod quidem magis credo) latum adversus illos, qui cum sub Licinio, ne Christum eiurarent, militaribus zonis discincti, et militia privati fuissent, post avaritia inducti, in castra reverterunt, utque stipendia mererentur, obsequuti imperatori, negarunt esse se deinceps christianos velle (1).

» toribus vestris desisto, et deos vestros ligneos, et lapideos adorare contemno, quae sunt idola surda et muta. Si talis est conditio militantium, ut diis, et imperatoribus sacra facere compellantur, ecce proiicio vitem, et cingulum, renuncio signis, et militare recuso ». S. Ferreoli apud eumdem n. 1. p. 406. seqq., s. Gordii martyris ex s. Basilio *apud eumdem* n. 2. *pag.* 446. seq., ss. quadraginta martyrum *ibid.* num. 2. p. 462., ss. Marciani, et Nicandri *apud eumdem* n. 4. *seq.* p. 494. *seq.*

(1) Canon *Nicaen.* xi. t. 1. *conc. edit. Hard.* p. 327. *Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἤ τινος τοιούτου, ὁ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου, ἔδοξε τῇ συνόδῳ, εἰ καὶ ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτούς. Ὅσοι οὖν γνησίως μεταμελῶνται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοί, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται, δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.* « De his, qui transgressi sunt sine necessitate, vel sine facultatum ablatione, vel sine ullo periculo, vel sine alio eiusmodi, quod per Licinii tyrannidem contigit, visum est synodo, etsi humanitate indigni sunt, clementia tamen, et benignitate in eos uti. Quicumque ergo sincere poenitentia ducuntur, tres annos inter auditores fideles exigent, et septem annis prosternentur, duobus autem annis, absque oblatione, erunt orationum cum populo participes ». Ex hoc canone constat de iis, qui lapsi sub Licinio fuerunt, synodum agere, adeoque canonem sequentem de reversis ad castra, cum Licinius imperaret, esse intelligendum. Sic autem habet *canon.* xii. *ibid.* *Οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ἀπὸ τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες ὡς κύνες, ὡς τινὲς, καὶ ἀργύρια προέσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι, οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον* « Qui autem vocati quidem a gratia, et primum impetum monstrantes deposuerunt cingulum, postea vero ad proprium vomitum relapsi sunt veluti canes, ita ut quidam, et pecunias tribuerent,

Id vero factum ab Licinio fuisse, auctor est Eusebius in historia (1).

At Basilius, dicet quispiam, in ea, quae est ad Amphilochium scripta epistola, prohibendos esse triennii intervallo milites eucharistica communione contendit. Fatcor. Sed, ut recte, sapienteque observatum est a Petavio, nullum hoc habet sceleris argumentum. Minime namque decere visum est, ut ei, qui iusta etiam, et licita caede manus imbuisset, sine piaculo ad tam sancta mysteria permitteretur aditus. Quemadmodum Davidi legimus, quod hostilis sanguinis plurimum fudisset, non concessisse Dominum, ut templum extrueret. Tum digamos in ecclesia constat non absque poenitentia ad communionem admissos, tametsi secundae nuptiae neutiquam illicitae censerentur. Ex canone autem Basilii liquet, primum nullam legitime, et pro honesta caussa pugnantibus irrogatam ex antiquo poenam fuisse; deinde ne legis quidem, ac praecepti vim habere, sed consilii sanctionem illam Basilii (2). Ex quo consequens est, ne ab nicaenis quidem patribus contra milites decretum illud editum fuisse. Nam cuius iudicii est, tantam in illos poenam constitutam putare, qui militiae nomen dedissent?

Quid? si Titum bostrensem, gravem in primis scriptorem, ac veterem, et Lactantium Firmianum in ea fuisse sententia existimare quis possit, ut fas non esse christiano ad bellum proficisci arbitrarentur? Ac Titus quidem in secundo contra mani-

» et beneficiis militiam repeterent; hi decem annis » post triennii tempus, quo inter audientes erant, » prosternantor ». Ecquis autem si duos hosce canones conferat, non viderit ad eamdem persequutionem utrumque spectare? Atque ob levitatem solam, non ob lapsum in superstitionem et gravem, et condemnandam, tantam poenam fuisse militibus illis inflictam, nemo, ut arbitror, prudens crediderit. Consule Balsamonis, et Zonarae in hunc ipsum canonem commentarios, et interpretationem Lupi, Catalani virorum catholicorum, ac Beveregii hominis de secta anglorum episcopalium *pandect. iur. canon. eccl. orient. tom. II. pag. 77. seq.*

(1) *Lib. x. cap. VIII. p. 40. edit. cantabrig.*

(2) Locus ille Basilii confirmat nostram de canone XII. synodi nicaenae sententiam. Nam si ait, maiorem nostros non numerasse in caedibus caedes in bello factas, neque poenas ullas constituisse certantibus, indicio est in milites, qui grave aliquod scelus non perpetrassent, canonem illum nicaenum non posse cadere. Alioqui iis, qui militassent, aut qui ad castra revertissent, et crimini datum id fuis , et poenam gravissimam inflictam Basilius diximet. Sunt vero illius verba huiusmodi *epist. CLXXXVIII. p. 275. tom. III. opp. edit. paris. monachor. s. Mauri.* Τοὺς ἐν πολέμοις φόνους οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τοῖς φόνοις οὐκ ἐλογίσαντο, ἐμοὶ δοκεῖ, συγγνώμην δόντες τοῖς ὑπὲρ σωφροσύνης, καὶ εὐσεβείας ἀμυνομένοις. Τάχα δὲ καλῶς ἔχει συμβουλεύειν, ὡς τὰς χεῖρας μὴ καθαρούς, τριῶν ἐτῶν τῆς κοινωνίας μόνης ἀπέχεσθαι. « Caedes in bellis factas » maiores nostri non numerant in caedibus, ignoscentes, ut opinor, iis, qui pro temperantia, et pietate » decertant; fortasse vero recte se habuerit consilium » dare, ut qui puras manus non habent, triennio sola » communione sint abstenti ».

chaeos libro, *iustum*, inquit, *bellare non decet.* Lactantius autem in sexto epitomes divinarum institutionum capite, *Quid tam horribile*, inquit, *tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo bella execrabilia sunt.* Similia autem persequitur capite septimo eiusdem libri, et libro v. institutionum capite decimoseptimo, quae plane efficere videntur, abesse a militia christianos homines oportere.

Scio redargui a Petavio (1) Titum, quasi falsam esset Tertulliani, eiusque similium sequutus opinionem. Verumtamen cur eius dicta de bello aut iniusto, aut sine gravi caussa suscepto intelligi nequeant, ostendi mihi si non perspicuis, at probabilibus argumentis saltem vellem (2). Fac autem de iusto scripserit. At quo sensu non decere statuerit, disquirendum est. Nam si eo sensu dixit, quo secundas nuptias non decere veteres aliquot patres dixerunt, non video, cur esse Titum quisquam reprehendendum putet. Quemadmodum enim illi, etsi criminis esse reum non dicebant, qui secundas nuptias celebrasset, eumdem tamen indicium intemperantis animi dare arbitrabantur; sic Titus non decere christianum arma gerere affirmavit, non quo rempublicam defendendam ab hostibus vi, armisque inficiaretur, sed quo eum, qui ad bellum proficisceretur, et institutum militare amplecti vellet, non mitis, sed ferocis animi specimen dare iudicaret. Ferocem autem atque immitem esse christianum nemo est opinor, qui decere arbitretur.

Ad Lactantium autem quod spectat, certum est loqui hominem de spectaculis, muneribusque gladiatoriis in epitome, in quibus homicidia fieri solerent. Abhorrere autem ab humana natura homicidium, si illud in bello committatur, existimat, multoque magis, si neque premente bello, neque principis lege, cum id necessitas nulla reipublicae postulat. Trucidare autem hominem quis neget odiosam (3) rem esse? Ac solebant Romae magistratus, capitis in reum sententiam dicturi, praetextam deponere, ac

(1) Dionysius Petavius *loc. cit. n.* 7. *p.* 183.

(2) Confer Titum bostrensem *lib.* II. *contra manichaeos p.* 107. *seq. tom.* I. *antiquar. lection. canis. edit. novae Basnagii.*

(3) « Iuventa, *inquit ibid.*, consuetudo, quatenus « homicidium sine bello, ac sine legibus faciant, et « hoc sit voluptas, quod ut scelus vindicent. Quod si « interesse homicidio sceleris conscientia est, et eodem « facinore spectator obstrictus est, quo et admissor. « Ergo et his gladiatorum sceleribus non minus cruore perfunditur qui spectat, quam ille qui facit ».

perversam induere vestem, ut moerentes, atque invitos id se agere significarent. Cuius quidem rei testem esse Valerium Maximum, recte est observatum a Petavio viro docto, et summa cum laude versato in hoc genere studiorum. At consequens non est, nefas hoc apud romanos habitum, capitali supplicio reos afficere. Quare propterea quod execrabilia bella Lactantius esse dixerit, cum in eis sanguis fundi humanus soleat, non sequitur, ut permitti christiano bellum non oportere censuerit.

Locus alter Lactantii est huiusmodi (1). Vetus praeceptum est non occidere; quod sic accipi debet, non tamquam iubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis iubetur, manus abstinere, sed nec iussione interposita, nec verbo licebit periculum mortis inferre, nec infantem necare, aut exponere, nec seipsum voluntaria morte damnare. Atque hunc locum, quo iure Salmasius (2) ad bellum contorqueat, ne coniectura quidem assequi possum. Nam agit Lactantius de praecepto divinae legis, quo vetamur occidere. Caveri autem a Deo, scribit, non solum occidat ipse per se alterum, sed etiam, ne ministro quopiam ad occidendum utatur. Non minus autem peccare eum, qui necem inferat, quam qui iubeat, ut inferatur, si privatus uterque sit, vacetque publica potestate. Nam principem, si iubeat, non peccare. Iam vero in bello publica est principis potestas. Quocirca is Lactantii locus nihil ad rem attinet.

Tertius denique sic habet: « Iustus (3), si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animam suam liberet, stultus est ». Hanc sententiam ut sibi opposuit, respondit in eos casus iustum hominem numquam venturum, ut vel equum adimere saucio, vel tabulam naufrago necesse habeat, ut propriam tueatur vitam, quia neque bellis, neque navigationibus immiscebit se, in quibus haec evenire solent, atque « cur naviget, *inquit*, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, ac se alienius furoribus misceat, in cuius animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui nec lucrum

(1) Lactantius epitom. *cap.* LIX. *p.* 404., *et cap.* XVIII. *p.* 406. *edit. paris. an.* 1748. tom. II.

(2) Salmasius *de foen. trapezit. p.*785. *edit. an.*1640.

(3) *Lib. divinar. instit., qui est de iustitia, cap.* XVII. *p.* 404. *seq. tom.* I. *opp. edit. an.* 1748.

sciat appetere, cui sufficit victus, et non modo ipse caedem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas? Sed omitto ista, quoniam fieri potest, ut vel invitus ad haec subeunda cogatur ». Haec ille. Quod si (1) universe bello christianis interdictum, sententia Lactantii, quisquam existimet, is videat, ne, eiusdem opinione, statuendum arbitretur, nefas esse mercaturam facere christiano viro. Qua re non equidem intelligo, quid dici, excogitarive possit obtusius. Hoc igitur Lactantii decretum esto: nostris sponte, ac lucri, vel quaestus minime necessarii, vel ambitionis caussa aut navigandum, aut militandum non esse. Fieri tamen interdum posse, ut christianus, sive quia vitam aliter, quam iis artibus, tolerare nequeat, sive quia principis imperio cogitur, invitus et ad mercaturam, et ad militiam accedat. Nam quod spectat ad caedem, constringi eorum, qui navigent, quive militiae nomen dederint, aliquem quandoque posse, ut gratia conservandae propriae, adimat latroni, aut grassatori vitam. At gentiles mercaturam faciebant, animumque ad rem bellicam conferebant, ut facultates augere suas valerent, sensimque viam sibi ad honores, ac dignitates pararent, quae caussae procul esse a christiano viro christianis moribus instituto debent. Sed quoniam evenit perraro, ut quis aliam ob caussam miles, aut mercator sit, quia id non futurum est, nec ut sit oportet, negat Lactantiur omnino futurum.

Ac de Lactantii quidem sententia satis dictum est. Extremum est, ut eorum argumentum refellam, qui cum in legatione Athenagorae, atque in Origenis, aliorumque patrum libris legerint, christianum virum non solum perpetrare, sed ne aspicere

(1) Lactantius *ibid. cap. xviii. p. 405. seq.* Huius locum modo descriptum sic explicat, ut dixi, Dionysius Petavius *lib. ii. dissert. eccl. cap. ii. n. 10. seq. pag. 193., t. iv. de theologicis dogmat. edit. venet.* Salmasius, *de foen. trapezit. p. 786. et not. in Lactantium loc. cit. p. 406.*, eos tantum excusari a Lactantio censet, qui militare cogebantur. « Nam illo aevo, *inquit*, non solum sub imperatoribus gentilibus, sed etiam christianis, cum delectus tyronum ageretur, quibus militaris aetas, ac statura esset, ut qui eius erant conditionis, ut militiae vacationem non haberent, ad militare sacramentum adigebantur, nec illud deserere poterant. Qui semel autem id sacramentum dixissent, ante emerita stipendia, et nisi ex iusta, ac merita caussa impetrata missione, discedere a signis non habuere fas: qui aliter militiam deseruissent, capite plectebantur. Ergo illi sunt, quos invitos ad militiam, idest trucidandorum hominum legitimam artem subeundam ex necessitate legum cogi dixit Lactantius, et quos propterea excusandos tam ipse insinuat, quam patres concilii nicaeni can. xii. ». Haec ille. At de his in canonibus synodi nicaenae ne verbum quidem, aut vestigium ullum est, ut paullo ante vidimus. De Lactantii loco, ut sit explicandus, demonstratum iam est. Quare cesso, ne actum agam. De iis, qui definitam staturam, aetatemque haberent, cogerenturque militiae nomen dare, confer acta s. Maximiliani martyris apud Ruinartium *p. 263. seq. edit. veron.*

quidem iustam caedem posse; concludunt, communi veterum ecclesiae scriptorum consensione, nefas esse christiano militiae nomen dare.

Nam etsi responsum breviter illis est in secundo huiusce operis libro, cum de prodigio a christianis in exercitu Marci Aurelii Antonini imperatoris facto dissererem, paullo tamen copiosius esse hoc loco satisfaciendum puto. Igitur animadvertendum est, Athenagoram, Minucium, Origenem, aliosque veteres, dum haec scribunt, aut de gladiatoriis ludis, aut de iniusta nece, deque nefario infanticidii scelere, quod nostris ethnici exprobrabant, agere, non de bello, quod a principe inlatum hosti sit ad defendendam rempublicam. Itaque illas quidem caedes damnant, hanc vero non item, cum huius nullam fecerint mentionem. Atque ex iis sane, quae aliis in locis iidem ipsi patres constituunt, plane colligitur, quam recta illorum fuerit de bello iusto sententia. Laudant enim imperatores, quod hostes a finibus arceant, quod grassatores, fures, publicos denique imperii inimicos aut puniant, aut bello persequantur. Hoc Iustinus (1), hoc Athenagoras (2), hoc Origenes (3), hoc Minucius (4) Felix, uno ver-

(1) Iustinus martyr *apolog.* I. n. 4. *seq.* iure ab iis, qui publica potestate praediti sint, occidi malefactores statuit, rapique in extremum cruciatum. Quare si tales christiani essent, iure eos puniri, sin minus, libere eos in civitate versari permitterent, ut *apolog.* II. n. 2. *p.* 93. *stand. edit. an.* 1747.

(2) Hoc idem scribit Athenagoras *in legatione* n. 2. *pag.* 278. *seq. edit. opp. Iustini an.* 1747. Iustam autem caedem qui nominat, nonne is inferri eam malefico iure posse ostendit ab eo, qui publica polleat auctoritate? Quod si non decere, ut christianus privatus iustam caedem aspiciat, adiungit, is recte quidem adiungit, non quod iustam reprobet caedem, sed quod fas non esse hominem privatum saevitiae iudicium dare, et huiusmodi caedi interesse. Rursum idem ipse *legat.* n. 34. *p.* 332 « Quos sciunt ne iustae quidem caedis aspectum sustinere, qui eos accusaverit vel occisi hominis, vel vorati? Quis gladiatorum, vel ferarum ludos, praesertim si a vobis dentur, non plurimi faciat? Nos autem cum homicidium spectare pene idem esse ac perpetrare arbitremur, nonnium his spectaculis renisimus. Caedem igitur quomodo perpetrare possumus, qui eam ne spectandam quidem ducimus, ne scelus, et piaculum nobis impingamus »? *Epist. eccl. Gallicae ad eccles. Asiae, et Phrygiae de Biblide martyre* haec habentur, « Verum illa resipuit inter cruciatus, ac veluti ex altissimo somno excitata est, praesente supplicio de aeternae gehennae cruciatibus ipsam submonente, et contradicens impii, qui fieri potest, *inquit,* ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet »? *Lib.* v. *hist. eccl. apud Euseb. cap.* I. *p* 203. *edit. cantabrig.* At Vetius Epagathus, *ibid. pag.* 199., merito puniendos christianos fuisse dixit, si rei eorum scelerum essent, qui eisdem attribuebantur.

(3) Origenes *lib.* III. *contra Celsum* n. 7. *tom.* I. *opp. edit. paris. monachor.* S. *Mauri,* nullius hominis caedem licitam esse christiano dicit. Nam publica auctoritate cum carerent, neque occidere ipsi per se iure quemquam, neque iubere, ut occideretur, poterant. At recte bella inferri ab iis, qui reipublicae praesint, docet alio loco, ut supra constitit.

(4) Minucius Felix in Octav. *pag.* 399. *seq.* « Nobis homicidium nec videre fas, nec audire ». Confer etiam Arnobium *lib.* I. *pag.* 5. *edit. an.* 1651. ubi. « Quamquam ista, quae dicitis, *inquit,* bella religionis nostrae ob invidiam commoveri, non sit difficile comprobare, post auditum Christum in mundo non tantum non aucta, verum etiam maiori ex parte furiarum compressionibus imminuta. Nam cum hominum vis tanta magisteriis eius acceperimus, ac legibus, malum malo rependi non oportere, iniu-

bo, hoc omnes statuunt, nisi Tertullianum, et Origenem fortasse, de quibus supra dixi, exceperis. Sed de militibus hactenus. Sequitur, ut explicem, ulli ne christiani primis ecclesiae temporibus mercaturam facerent. Igitur qui in patria manerent, utque se, familiamque alerent, merces, quas sibi pretio comparaverant, divendere solerent, aliquos; qui vero augendae, amplificandaeque rei familiaris, magnarum opum acquirendarum caussa, itinera longa susciperent, vitamque suam multis, gravibusque periculis exponerent, aut nullos fuisse, aut sane perpaucos arbitror. Cum enim mediocri victu plerique omnes, vestituque satis modesto uterentur, atque ab avaritia, luxu, fastuque, ut paullo ante ostendimus, distarent, haberentque magistros, qui dicerent (1), indi-

» riam perpeti, quam irrogare esse praestantius, suum » potius fundere, quam alieno polluere manus, et » conscientiam cruore, habet a Christo beneficium » iamdudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita est rabies, atque hostilem manum exhibere a sanguine cognati animantis occepit. Quod si omnes » omnino, qui homines se esse non specie corporum, » sed rationis intelligunt potestate, salutaribus eius pa- » cificisque decretis aurem vellent accomodare paullisper, et non fastu, ac supercilio luminis suis potius » monitis, quam illius comminationibus crederent, » universus iamdudum orbis mitiora in opera conversis usibus ferri, tranquillitate in mollissima degeret, et in concordiam salutarem incorruptis foederum sanctionibus conveniret ». At is non negat adversus hostes arma, si pernicies reipublicae impendeat, esse ferenda. Militum autem christianorum inscriptiones sepulcrales extant apud Aringhum, Bosium, Boldettum etc. Nos unam, alteramque ex Boldetto p. 416. huc transferemus.

FELICISSIMVS MILES R. QVI HABVIT VXOREM

TECLAM IN PROVINCIA HISPANICA VIXIT

ANN. P. M. LXV. M. III. DEP. X. KAL.

OCT. IN P.

Et pag. 415.

SECVNDINO BENEMERENTI QVI VIXIT ANNOS XLII.

B. N. F. PRAEF. PRAET. QVIESCIT IN PACE VI. ID. AVG.

Reperta haec inscriptio Secundini beneficiarii praefecti praet. in coemeterio Callisti est. Atque hunc eum Secundinum esse putat Boldettus, cuius fit in martyrologio hieronyano apud Florentinium pag.740. commemoratio, quod depositionis dies conveniat. Utcumque sese res habeat, hoc certum est, beneficiarios fuisse milites. Vide Vegetium *lib.* II. *de re militari cap.* VII. *p.* 36. *edit. an.* 1670., et edictum Maximini *apud Euseb. lib.* IX. *hist. eccl. cap.* IX. *p.* 454. *edit. cantabrig.*, et acta SS. mm. *Fructuosi etc. apud Ruinartium p.*191. *edit. veron.*

(1) Tertullianus *lib. de idololatria cap.* XI. *pag.* 91. *edit. venetae an.* 1744. « Negotiatio servo Dei apta est? » Ceterum si cupiditas abscedat, quae est caussa ac- » quirendi, cessante caussa acquirendi, non erit ne- » cessitas negotiandi ». Paullo ante dixerat. « De ne- » gotiationibus cetera delictorum recogitemus, in pri- » mis cupiditatem, radicem omnium malorum, qua » quidam irretiti circa fidem naufragium sunt pas- » si etc. ». Lactantius *lib.* V. *cap.* XVIII. *divin. institut. p.* 405. *edit. an.* 1746. « Primum omnium nego ullo » modo fieri posse, ut homini, qui quidem vere iu- » stus sit, eiusmodi casus eveniat, quia iustus neque » cuiquam nato inimicus est, neque quidquam omni- » no appetit alienum. Cur enim naviget, aut quid

cia animi cupidi pecuniae dari ab his, qui rebus suis minime contenti, naves conscenderent, crebris commeatibus merces importarent et in romana, et in remota ab romanorum ditione loca, ac novas in patriam inferrent, iisque incommodis se, periculisque obiicerent, quae fortasse aut aegre religionis caussa, aut nullo modo subiissent; ab eo genere mercaturae deterrebantur. Atque hinc factum existimo, ut maximo (1) numero christiani, quamvis rebus omnibus abundarent, pauperes tamen dicerentur, et essent. Nam qui aut sponte privabant, ut commodis ecclesiarum consulerent, facultatibus suis se (2), aut iis, quas possidebant, etsi tenues essent, contenti erant, abstinebantque a mercatura, mutare statum, augereque fortunam suam qui poterant?

Venio ad medicos. Horum sive artem, sive facultatem cum maiores nostri in pretio habendam putarent (3), propterea quod in sacris litteris legissent, honorandum esse medicum propter necessitatem, numquam impedierunt, quin eam christianus profiteretur. Ac Lucam sane medicum (4) fuisse, auctor est Paulus apostolus in iis litteris, quas ad colossenses scripsit. Sunt praeterea, qui Cosmam, et Damianum martyres (5) in medicis numerandos putent; a quibus nulla est caussa, cur dissentiam. Atque, ut cetera monumenta praeteream, extant in Roma subterranea inscriptiones sepulcrales (6) aliquot iis positae, qui me-

« petet ex aliena terra, cui sufficit sua »? Mitto ceteros patres, ut Clementem alexandrinum, ut Origenem etc., ne sim longior, quam oportet.

(1) Iustinus epistola ad Diognetum n. 5. *pag.* 249. *edit. opp. an.* 1747. „ Mendici sunt, *inquit, christiani,* „ at multos ditant, rebus omnibus indigent, et omnia „ illis redundant „. Vide Tatiani locum supra descriptum *p.* 202. *not.* 2. *huius vol.*, Minucium Felicem Octav. *p.* 335. *edit. an.* 1672., et Lactantium *lib.* VI. *cap.* XII. *divin. institut. p.* 469. *tom.* I. *edit. paris. an.* 1748. Nullos autem mercatores christianos, qui in regiones a patria longe distantes proficisci solerent, memoreri a maioribus nostris dixi, eo quo coniectura concludi non posse arbitrarer, horum aliquos olim visisse, sed quo nominatim, distincteque nullos indicatos viderem. Coniectura autem haec est. Si episcopi aliqui saeculo III. in alias provincias contendere mercaturae caussa audebant, quae res cum eorum instituto, ac dignitate pugnabat, multo magis laicos, qui familiam alerent, idipsum facere coepisse, credibile est. Ac Cyprianus quidem in eo libro, qui *de lapsis* inscribitur, *pag.* 123. *edit. oxon.* „ Derelicta, *inquit,* (de episcopis quibusdam „ agens) cathedra, plebe deserta, per alienas provin„ cias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas „ aucupari *non dubitarunt* „.

(2) Minuc. Octav. p. 335.

(3) Adeundus Clemens alexandrinus *lib.* II. *paedagogi cap.* VIII. *p.* 179. *edit. paris. an.* 1641.

(4) Ad coloss. *cap.* IV. *v.* 15. *Salutat vos Lucas medicus carissimus.*

(5) Confer Leon. Allat. *syntagm. hist. pag.* 3. 5. 9. 24. *seq. edit. an.* 1660. * Vide eamed. not. in p. 238.

(6) Arnobius *lib.* II. *contra gentes pag.* 44. *edit. an.* 1651. « Nulla iam natio est tam barbari moris, et « mansuetudinem nesciens, quae non eius amore ver« sa mollіverit asperitatem suam, et in placidos sen« sus, assumpta tranquillitate migraverit ..... Magnis « ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, con« sulti iuris, ac medici, philosophiae etiam secreta « rimantes, magisteria haec expetunt, spretis quibus « paullo ante fidebant ... Ab dominis se servi crucia« tibus affici, quibus statuerint, malunt, solvi coniu« ges matrimoniis, exhaeredari a parentibus liberi, « quam fidem rumpere christianam, et salutaris mi-

dicinam exercuissent. Eas autem, etsi quo tempore sculptae fuerint non satis liquet, vetustissimas tamen esse, nemo, ut opinor, negaverit. Iam vero medicus (1) martyr, cuius est epitaphium a Boldetto descriptum, praenomen ne, aut nomen medici sortitus sit, an contra ei se facultati dediderit, mihi esse fateor incompertum. Quod si sunt, qui praenomen, aut nomen eius viri proprium esse pugnant, eis equidem non resistam.

Libertos autem Caesarum, senatorumque romanorum officiis, muneribusque fuisse perfunctos, quae propria esse eorum solerent, neminem esse arbitror posse, qui neget. Itaque horum aliqui scribae (2) fuerunt, aut a cubiculo (3), aut arca-

« litiae sacramenta deponere ... Cum genera poenarum tanta sint a vobis proposita religionis huius sequentibus leges, augetur res magis, et contra omnium minas, atque interdicta formidinum animosius populus obnititur, et ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitatur. An numquid haec fieri passim, et inaniter creditis, fortuitis incursibus adsumi has mentes? Ita ne istud non divinum, et sacrum est, aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cum carnifices, unci, aliique innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant credituris, velut quadam dulcedine, atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus praeponant amicitias Christi »? Hunc ego locum Arnobii, etsi longiusculum, descripsi, ut eius auctoritate, qui extremo saeculo III., atque ineunte IV. floruit, cognosceretur, non solum iureconsultos, grammaticos, rhetores, oratores, philosophos, ac medicos, sed etiam innumerabiles alios christianos fuisse factos, iisque moribus vixisse, de quibus hactenus dictum est. Primum enim amore erga Christum eos flagrasse; deinde, mansuetudinem, quum ante efferati, barbarique essent, coluisse; post patientes, fortesque fuisse, et studio religionis minas, suppliciaque contemnerent; omnium denique virtutum desiderio convertisse eos ad sacra christianae religionis animum, iisque fuisse initiatos plane ostendit. Extant praeterea inscriptiones quaedam sepulcrales in coemeteriis veterum christianorum repertae, ex quibus constet, medicam vel artem, vel facultatem probatam maioribus nostris fuisse. In coemeterio Gordiani inventa haec est, quam refert Boldettus p. 416.

LIMENIO MEDICO FRATRI CA
RISSIMO Q. VIXIT ANNOS XXXIII.
MNES III. DIE.

(1) Boldettus *lib. II. cap. XII. p.* 387.

☧ Ω HIC RE
Q. ESCIT ME
DICVS MR X
CVM PLVRIB.
I. P. C. Q. E. S.
T. B. A. M.

Quod epitaphium sic equidem interpretarer: *Hic requiescit Medicus martyr Christi cum pluribus in pace quiescentibus aliis martyribus.*

(2) His enim, aliisque muneribus functos plerumque libertos fuisse constat. Atque eos christianos, quos in domo Caesaris Neronis fuisse scribit Paulus *epist. ad philipp. cap.* IV. v. 22. nullum obisse munus, quis credat? In his autem Epaphroditus, ut plerique volunt, Neroni Augusto a libellis fuit, quem Epaphroditum Domitianus capitis condemnavit, ut est apud Suetonium in Domitiano *cap.* XIV. De Epaphrodito Neronis liberto caeso sub Domitiano vide etiam Dionem *lib.* LXVII. *pag.* 766. Eumdem hunc fuisse atque Epaphroditum Iosephi historici amicum existimat Pearsonus *annal. prior. episcop. p.* 172., christianum fuisse censent Daubuzius, aliique.

(3) Inscriptiones duas refert Muratorius *tom.* IV. *thesauri inscription. pag.* 1857. Sed cuius sint aetatis nescio. Prior, quam accepit ex Margarino, sic habet:

LOC. DECI. CVBICVLARI. HY....
QVIESCIT CARO MEA NO...
P. M. CREDO RESVSC...
XV. KAL. IVN. ET ITER P...

Altera, quam ad eum misit Iosephus Blanchinus vir eruditissimus, et amicus noster, extabatque in s. Martini, et Silvestri, est huiusmodi. Sed eadem haec mihi, atque superior videtur.

DESIDERI CVBICVLARI AVG...
REQVIESCIT CARO MEA NO...
PM. CREDO RESVSC
V. KAL. IVN. ET IT RR. P.

rii (1), aut curatores earum rerum, quibus praefici liberti consueverant.

Atque alios item in palatio fuisse, qui amplissimis, vel mediocribus, infimisve muneribus fungerentur, christianos, verisimile est. Quis enim prudens existimet, nullum eorum, quos Septimius Severus norat, nobilissimorum virorum, ac matronarum (2), christianis partibus studere, aut eorum, qui apud Alexandrum (3) Severum, apud (4) Philippos, apud Diocletianum (5) initio erant, christianorum, nihil in aula Caesaris egisse? Ego autem facile mihi persuadeo, nullum fere officium augustae domus fuisse, quod non sub aliquo imperatore aliquando non obtinuerint quidam eorum, qui christianam religionem profiterentur; sive ii nobiles fuerint, sive cives, sive etiam e numero libertorum.

Nutrices praeterea egisse mulieres (6) christianas, virosque munus interdum obiisse nutritorum, certa, atque explorata res est. Erant etiam inter nostros, atque ii quidem maiore numero censebantur, qui labore manuum, ut dixi, victum acquirerent.

(*) Medici re vera hi martyres fuerant: testis eamque exstitit ecclesiae vetusta traditio, et s. Sophronius, qui LXX. miracula de tot ab eisdem patrata mira religione narravit, quae nuper eminentiss. card. Maius evulgavit in tom. III. Spicilegii Romani. Quin etiam ecclesia graeca eosdem martyres ἀναργύρους vocat, eo quod *gratis* infirmos curarent. Vide Menolog. die 31. ianuarii, et die 28. iunii, et eiusdem Spicilegii tom. IV., ubi vitas martyrum a perantiquis auctoribus diversas invenies id ipsum confirmantes. = Deerat spatium in notis pag. 236., et hic abundabat; quare emendator huc unam notulam transtulit. In fine huius pag. lege potius in loco =. Emend. nota.

(1) Vide *epist. ad rom. cap.* XVI. v. 23., et interpretes in eum locum.

(2) Confer Tertullianum *lib. ad Scapulam cap.* IV. *p.* 71. *edit. venetae an.* 1744.

(3) Eusebius *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XXVIII. *p.* 293. *edit. cantabrig.*

(4) Euseb. *lib.* VI. *cap.* XXXIV. *p.* 298. *edit. eiusd.*

(5) Eusebius *lib.* VIII. *cap.* I. *p.* 376. Etsi enim monumenta desint, ex quibus efficiatur, quo quisque munere functus sit, tamen cum in domo Caesaris essent, aliquod quidem eos obtinuisse, concedendum omnino est. Saeculo IV. et V. nullum est dubium, quin christiani in primis huiusmodi officia obirent. Ego vero ne sim longus, hoc unum adscribam ex Aringho, quod est de *vestitore Honorii, tom.* I. *Romae subterr. p.* 417.

HIC POSITVS EST BENEMERITVS EL
VESTITOR IMPERATORIS QVI VIX
DEPOSITVS D. OCT. KAL. SEPTEMB
DOMINI HONOR AVG. VI COSS.

(6) Vide locum Tertulliani, quem ex libro ad Scapulam descripsi supra *t.* II. *p.* 427. *n.* 1. In eo enim Antoninum Caracallam lacte christiano educatum scribit. Apud Aringhum *tom.* II. *Romae subterr. p.* 263. inscriptio est nutritoris, quae sic habet:

ΤΟΠΟΣ ΑΝΑΠΑΥCΑΙΩC
ΑΜΜΟΝΙΟΥ ΚΑΙ ΕΥΤΙΧΕΙΟΥ
ΘΡΕΠΤΟΥ

Locus quietis Ammonii, et Eutychii nutricii. Haec accepit a Bosio, ut et alteram *ibid. pag.* 267. nutricis Paulinae insculptam sarcophago, quae est huiusmodi:

ΕΝΘΑΔΕ ΠΑΥΛΕΙΝΑ
ΚΕΙΤΑΙ ΜΑΚΑΡΩΝ
ΕΝΙ ΧΩΡΩ
ΗΝ ΚΗΘΕΥΣΕ ΠΑΚΑΤΑ
ΕΗΝ ΘΡΕΠΤΕΙΡΑΝ
ΓΛΥΚΕΡΗΝ
ΑΓΙΑΝ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ

Hic Paulina iacet beatorum in choro, quam sepelivit Pacata suam nutricem dulcem sanctam in Christo. Mitto ceteras, ne sim longus.

In his argentarii (1), purpurarii (2), sculptores (3), musivi operis (4) artifices, pictores (5), lapicidae (6), fabri ferrarii (7), figuli (8), coriarii (9), scenofactores (10), seu scenarii, texto-

(1) Confer Eusebium *lib. v. cap. xxviii. hist. eccl. p.* 253. *edit. cantabrig.* Atque argentarios, seu trapezitas, vel nummularios egisse praeterea aliquos nostrum quispiam diceret, si christianorum esset vitrum coemeteriale, quod Boldettus pag. 212. exhibet, in quo figurae nummulariorum duorum sunt depictae, et circumscriptum epigramma ab annuente eo supplet Boldettus: ARGENTARII : duo viri nummularii. Sed ethnicum esse, atque in coemeterium illatum, nescio quo casu, a christianis, idem ipse Boldettus animadvertit. Hoc nos vitrum aeri incidi, et tab. 14. huius vol. imprimi curavimus.

(2) Vide *acta apostol. cap. xvi. v.* 14. ubi Lydia πορφυρόπωλις *purpuram vendens* nominatur.

(3) Nisi enim ita se res haberet, non tot exstarent in coemeteriis christiana monumenta, neque tot sarcophagi, quot videmus. Itaque Tertullianus *in libro de idololatria cap. iii. iv. et v. p.* 86. *edit. an.* 1744. plurimos olim sculptores christianos indicat, ut qui aliquem memoret sese excusantem, quod idola fingerent, dicentesque se aliunde non posse vivere. Eutropius autem, quem Fabrettus *p.* 587. *inscript. domest.* martyrio tandem coronatum scribit, sculptor fuit. Confer Fabrett. *ibid.*, Boldett. *osserv. sopra i cimiterii de' santi martiri p.* 310. sapienter animadvertit qui ea sepulcra, quibus insculpta instrumenta alicuius artis sunt, indicare quam homo ibidem conditus artem profiteretur. Atque hunc refert lapidem, cui insculptum esse malleum, et alia quaedam instrumenta sculptoris video, et inscriptionem, quae sic habet:

MAETIO . APRILI . ARTIFICI . SIGNARIO . QVI . VIXIT.
ANNIS . XXXVII. MESES . DVO . DIES . V. BENEMERENTI . IN P.

Confer ceteras inscriptiones, quas refert pag. eadem seq. Harum similes extant apud Aringhum, Georgium, Lupium etc.

(4) Cum enim ethnici has artes colerent, numquam crediderim fuisse omnino a christianis neglectas. Etsi enim, ut alio loco dixi, idololatriae metu deterriti plerique omnes fuerint, quo minus iis sese darent, tamen aliqui easdem coluerunt, qui in hoc genere non tam excellentes, ut gentiles solebant, fuerunt. Ac de musivis quidem operibus christianorum egit Ciampinus. Speramus autem fore, ut Gorius de eodem argumento longe copiosiorem librum edat. Quin etiam illustrissimi, doctissimique praesulis Parietti sacrae congregationi concilii a secretis, de sacris, et profanis musivis operibus egregium opus propediem expectamus. Consule interea Boldettum pag. 338., qui de monogrammate Christi agens „ Nel cimitero, *inquit*, di „ Ciriaca, e di Priscilla più volte ho rinvenuto questo „ segno lavorato a mosaico sopra qualche tavola di „ terra cotta „. Et pag. 352. et 522., et Lupium *de monum. s. Severae p.* 29. Mitto Aringhum, aliosque, qui similia exhibent in coemeteriis urbis reperta.

(5) Confer Tertullianum loc. cit. Ac pictores christianos olim viguisse constat ex picturis, quae extant in coemeteriis, quasque referunt Bosius, Severanus, Aringhus, Boldettus, aliique. Tam enim sunt earum permultae recte delineatae, ut vetustissimas sese produnt. Sed de hac re alias opportune. De picturis in vitris expressis adi Bonarrotium, *praef. operis inscript.*, *osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure.*

(6) Consule Aringhum *tom.* ii. *Rom. subterr. p.* 160. *seq.*, et *pag.* 684.

(7) Muratorius *tom.* iv. *inscript. p.* 1868. n. 6. inscriptionem in coemeterio Gordiani inventam refert, quae est huiusmodi:

EVTICIO FABRO FERRIO
QVI BI QVIE
ANN XXII KAL. DICES
SIT SIT

Eutichio fabro ferrario, qui vixit ann. 22. *quievit decemb. kal.* Vide Theodoretum *serm.* viii. *Therapeu.*

(8) Confer Boldettum pag. 337. Non enim is sum, qui lucernas fictiles, quibus essent symbola christiana impressa, ab ethnicis fuisse elaboratas putem. Earum nos aliquas supra dedimus, auctoresque numeravimus, qui easdem ediderunt.

(9) Consule Eusebium *lib. v. hist. eccl. cap.* xxviii. *p.* 252. *seq.*, *act. apost. cap.* ix. 3.

(10) Baronius ad an. 329. n. 18. „ Ars scenofactoria, „ *inquit*, dicebatur, quae ex pellibus faciendo consueret „ tabernacula, quibus milites uterentur in castris „. Hanc artem professum fuisse Aquilam, apud quem mansit Paulus, auctor est Lucas *act. cap.* xviii. Confer interpretes in eumdem actor. locum. Hoc sensu intelligi inscriptionem hanc oportere censet Aringhus *t. i. p.* 446.

res (1), carbonarii (2), agricolae (3), rusticaeque totius rei (4) cultores, baiuli (5), custodes carinarum (6), sutores (7), sectores lignorum (8), piscatores, caupones etc. Itaque mirabile non est, si cerdones ab Iuvenali (9) fuerint appellati.

Quamobrem miror quid sit, quod inveniantur hoc tempore aliqui ita (10) comparati, ut ne quid eorum probare videantur, quod probatum Iohanni Lamio (11) viro eruditissimo sit, ne verisimile quidem esse putent, indicatos christianos ab Iuvenali fuisse hoc nomine. Nam id Lamius (quem ego unnm, etsi ha-

HIC IACET NOMINE MATRONA C. F. IN PACE
VXOR CORNELII PRIMICERI CENARIORUM
FILIA PORFORI PRIMICERI MONETARIO
RVM QVE VIXIT P. M. ANNIS XXIII. QVE RECESSIT
DIE MERCVRIS HORA VIII. ET DEPOSITA DIE
IOVIS IDVVM MAIARVM IN CONTRA
COLOMNA VII. CONS. FL. HERCVLIANI V. C.

Nam pro *cenariorum* legendum esse *scenariorum* putat. Sed parvi refert quoquo tandem modo legendum sit, cum inscriptio ad quintum ecclesiae saeculum spectet. Quare ad rem meam non pertinet.

(1) Confer Lupium *monum. s. Sever. p.* 28.

(2) Gregorius *opus. in vita s. Greg. neocaes. pag.* 994. *tom. II. edit. an.* 1616.

(3) Ruinart. *act. ss. mm. sinc. p.* 433. *edit. veron.*

(4) Fabrettus *inscript. domest. p.* 674.

(5) Hinc Ammonius *saccas* est dictus, quod saccalos ferret. Vide Euseb. *lib. VI. cap. XIX. p.* 821.

(6) Vide Aringhum *p.* 605. *tom. I. Rom. subterr.*

(7) Anianum episcopum alexandrinum sutorem calceamentorum fuisse aliqui putant. Vide apud Baronium an. 66. n. 16. Apostoli fuerunt piscatores, ut constat. De cauponibus vide acta s. Theodoti.

(8) Aringh. *tom. II. pag.* 168. Non me latet, aliis item artibus esse christianos olim dedisse, quibus victum sibi, vestitumque procurare possent, et qui magnam partem pauperes, atque ex plebe essent. Sed has ego numerandas censui. Nam omnes persequi longum, et laboris plenum, et ab instituto meo, qui brevitatem consector, alienum fuisset.

(9) *Satyr. IV.* 150. *seq.*

„ Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
„ Tempora saevitiae: claras, quibus abstulit urbi
„ Illustresque animas impune, et vindice nullo:
„ Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
„ Coeperat.

(10) Auctor operis inscripti „ *Storia letteraria d'Italia, vol. 2. dal settembre del* 1749. *al settembre del* 1750. „ *lib. II. cap. VIII. p.* 579. *seq.*, est vero is auctor p. Franciscus Antonius Zaccharia soc. I., sic autem scribit. „ Tra
„ tanti al cristianesimo ingiuriosi nomi tre ne scorre-
„ mo per dirne alcuna cosa. Il primo è il XVI. che noi
„ in italiano abbiamo renduto *vili persone*, ma *cerdones*
„ si dice in latino dal p. Mamachi (*quasi vero excogitatum a me fuerit hoc vocabulum*). Il moderno autore di
„ certo famoso, e contrastato libro (*est is Iohannes Lamius vir, velint, nolint eius inimici, doctissimus*) *de eruditione apostolorum* pretende, che cerdones, cioè, co-
„ m'egli spiega, *viles artifices, et qui labore suo victum quaererent*, chiamati fossero i cristiani da' gentili, ed
„ in prova ne reca quel di Giovenale (*sat. IV. v.* 150. *seq.*)
„ sopra Domiziano ... Con questo mallevadore, il quale
„ è il solo del p. Mamachi citato nella serie de' vitupe-
„ revoli nomi da' cristiani, troviam qui dato luogo a
„ questo nome di *cerdones*. Ma l'erudito domenicano
„ non si è certo avveduto di qualche incoerenza nella
„ sua dottrina ec. „

(11) Ioh. Lam. *de erudit. apost. cap. III. p.* 41. Vide quae a nobis disputata sunt *tom. I. p.* 95.

bebam alios, quos sequi (1) auctores possem, laudavi, nt qni nihil ab eo sine ratione, gravibusque momentis affirmari certo scirem) non uti compertum, atque testatum, sed ut probabile constituerat. Igitur qui recte hominem sensisse negant, necesse est statuant, ne verisimilem quidem esse eins de loco Iuvenalis sententiam. Sed iure ne sic statuant, an iniuria, disquirendum est. Quare proponam initio illorum argumenta, deinde nisi veterum auctoritate effecero, nihil ab iis proponi, quod, non dicam, evertere (nam est id omnino difficile), sed côncntere aliqua ex parte nostram interpretationem possit, tum demum et facile superatum me, et magno in errore Tillemontium, atqne Lamium versatos arbitrabor.

Primum igitur omninm pugnantia me loquutum censent. Nam ab Iuvenali, impnne quidem Domitianum in nobiles saeviisse, dici, periisse autem, posteaquam timendus cerdonibus esse coeperat. Non animadvertisse autem me τὸ *coeperat*, cum anno nonagesimo quarto aere vulgaris christianorum commotam in nostros ab Domitiano fuisse tempestatem, scriberem. Si enim anno nonagesimo quarto quaeri christiani ad necem Domitiani iussu coeperunt, ille vero imperator anno nonagesimo sexto periit, qui tandem poetam dixisse, periisse hominem, postquam *cerdonibus coeperat esse metuendus*? Fac autem, addunt, Dodwellus hoc modo argumentetur. « Cerdones ab Iuvenali memorati, fatente Mamachio, fuerunt christiani, qui Domitiano imperatore florebant. Si ergo hic imperator periit, *postquam cerdonibus esse timendus coeperat*, commota ab illo persequutio fuerit non diu ante illius mortem, necesse est. Periit autem Domitianus anno nonagesimo sexto. Non diu igitur ante nonagesimum sextum annum saeviit in christianos. Iam vero quibus inde responsis sese Mamachius expedire poterit »? Haec autem contra me; nunc quid contra Lamium, Baronium, Tillemontiumque opponant, videamus. Negant Iuvenalem ad christianos advertisse mentem, cum de cerdonibus ageret. Quid enim, aiunt, sibi eo versu poeta

(1) Baronium nempe ad an. 98. n. 9. cuius auctoritate constat, non esse recentiorem nostram annis plus 160. sententiam. Quamobrem labuntur, qui nos stridentes, novum quidpiam consectari censent; et Tillem. tom. II. monumentor. hist. eccl. de persec. Domitian. p. 120. edit. venetae.

voluisset? An indicare, periisse Domitianum christiani cuiusquam opera? At falsum id quidem est. Suetonius enim oppressum imperatorem fuisse, scribit, amicorum, libertorumque intimorum conspiratione. Coniuratorum autem hos fuisse principes, Stephanum libertum Domitillae procuratorem, Clodianum militem ex eorum ordine, quos cornicularios vocabant, Maximum libertum Parthenii, et Saturium decurionem. Incredibile vero esse, horum aliquem fuisse initiatum mysteriis christianorum. Quam rem non silentio veterum modo, sed etiam nostrorum institutione constare, qui fas non esse iniuriam ulcisci putabant. Ac ethnicos saepe, qui christianos reos maiestatis agere consuerant, numquam hoc scelus tacitos fuisse practermissuros, si a nostris perpetratum intellexissent. Age vero, quem esse hominem tam ineptum, qui animum inducat, ut existimet, Iuvenalem assentiri nostris potuisse, Domitianum, propterea quod nostram religionem delere decrevisset, Dei virtute punitum fuisse, atque extinctum aientibus? Gentilem virum ut certa sumere, quae ceteri ethnici falso iactari arbitrarentur, ne verisimile quidem videri. Itaque concludunt, cerdonum appellationem in christianos cadere nullo modo posse. Significari autem eo nomine Clodianum, Maximum, Saturium in primisque Stephanum, homines ignobiles, qui veriti, ne ab Domitiano sublatis nobilibus, ipsi tandem supplicio afficerentur, de illo interficiendo cogitarunt. Atque hoc pacto recte explicari τὸ *coeperat*, nostra autem interpretandi ratione non item. Nam Suetonium, ubi Flavium Clementem a Domitiano interfectum dixit, sic scribere: *Quo maxime facto maturavit sibi exitum.* Ab eodem scriptore traditum esse memoriae, Stephanum Domitillae fuisse libertum, quae aut uxor Clementis fuit, aut altera Domitilla Plautillae filia. Rursus in Apollonii vita tradita haec fuisse a Philostrato: « Stephanus igitur mulieris (Domitillae) libertus .... sive de interfecto Clemente cogitans, sive omnium romanorum civium conditionem miseratus, tyrannum interficere perinde aggressus est ». Esse igitur rem satis exploratam, post Flavii Clementis mortem, consilium de necando Domitiano fuisse susceptum. Mortuum autem Clementem nonagesimo sexto aerae vulgaris anno fuisse. Septem ergo menses a Clementis interitu ad illud tempus fluxisse, quo Stephanus, sociique contra Domi-

tianum coniurarunt. Dari autem, excogitarique his obseivationibus ad locum Iuvenalis explicandum aptins nihil posse.

Ego vero ut quidquam eo in loco (1) aut contrarium, aut prima specie pugnans loquerer, etsi fieri potuit, tamen factum nego. Neque enim puguat, ut qui diu in nobiles saevierat, biennioque fere, ante quam decederet, christianos vexare, cruciare, occidere incoeperat, idem dicatur, *periisse postquam christianis coeperat esse metuendus*. Nam incoeptum id quidem fuit, si diuturni temporis ratio habeatur, quo in senatores, virosque consulares ab imperatore saevitum est. Itaque argumentum, quo me maxime premi, exagitarique potuisse, adversarii putant, si propositum sit, tam est inane, ut non solutum modo, sed etiam funditus eversum esse videatur. Ac si septem menses nihil impediunt, adversariorum quidem opinione, quo minus periisse Domitianus credatur, *postquam metuendus cerdonibus esse coeperat*; cur impedient anni duo, mensesque aliquot, quin idem ipsum affirmari possit? Namque, a concitata in nostros ab Domitiano tempestate ad eius imperatoris exitum, integrum biennium, mensesque aliquot excurrisse, dixi, ferreque ratio videbatur, ut (2) dicerem. Sed fac anni ipsi excurrerint tres. Quid? an usquam Iuvenalis *statim* ac in cerdones saevire coeperat, periisse Domitianum scripsit? Si enim ita scripsisset, faterer equidem, ne septem quidem menses excurrisse. Verum cum non *statim*, sed *posteaquam* iniquus esse nostris *coeperat*, sublatum eum imperatorem fuisse tradiderit; quid est, quod τὸ *coeperat* implicare nos posse videatur, impedireque, quo minus quisquam annos duos fluxisse ab eo tempore, quo exagitari coeperunt nostri, ad interitum usque Domitiani putet? Neque ita esse animatos adversarios censeo, ut τῷ *postquam* eamdem vim inesse, atque τῷ *statim* arbitrentur. Si enim ita se res haberet, ne contra christianos quidem coepta anno nonagesimo quarto persequutio fuisset. Namque id omnino Lucii Caecilii ex eo libro, qui de mortibus persecutorum inscribitur, locus posceret (3). Quid? si non

(1) Confer quae dixi *tom.* I. *huiusce operis pag.* 95. *seq., et p.* 422., indeque colliges haeccine prospexerim, atque composuerim, an non, quae p. Zacharias pugnantia esse arbitratur.

(2) Vide locum Brutii veteris scriptoris, quem descripsi *tom.* I. *huius operis p.* 421. *not.* 6.

(3) Consule integrum Lucii Caecilii locum, quem descripsi *tom.* I. *lib.* I. *cap.* VIII. §. II. *p.* 420. *not.* 1.

minus diuturnam fuisse tempestatem in cerdones ab Domitiano concitatam Iuvenalis indicet, quam ea fuerit, quam Caecilius commotam in christianos scribit? Habet enim Caecilius hoc modo: « Postquam vero ad persequendum iustum populum instinctu daemonum incitatus (Domitianus) est, *tunc* traditus in manus inimicorum luit poenas ». Annon τὸ *postquam*, et τὸ *tunc* apud Caecilium aut eamdem vim, atque τὸ *postquam coeperat* ab Iuvenali usurpatum, aut maiorem ad coarctandum tempus obtinet? Non enim Iuvenalis, *postquam coeperat*, *neque postquam manus in nostros tetenderat*, *tunc* luisse Domitianum poenas statuit; id quod statutum a Caecilio est. Igitur si τὸ *tunc* Caecilii nihil movet adversarios (1), qui initia domitianeae persecutionis in annum nonagesimum tertium aerae vulgaris christianorum revocant, cur me τὸ *postquam coeperat* ab Iuvenali adhibitum deterruisset, quo minus in *cerdones*, hoc est christianos saeviri anno nonagesimo quarto coeptum existimarem? Ac Iuvenalis quidem neque *diu post*, neque *postquam* furere in hos coepit, *tunc* Domitianum sublatum affirmavit, ita ut anceps sit illius de temporis brevitate, diuturnitateve indicium; contra vero Caecilius affirmavit. Quare si expedire me ex Caecilii loco potui, ac Dodwellum eo abutentem reprimere (2), cur non repressissem, si, ita ut ipsi adversarii faciunt, abusus etiam Iuvenalis versibus (3) fuisset?

At enim τὸ *coeperat*, dicent, ab Iuvenali usurpatum magnum negotium nobis exhibet. Mihi vero, ut aperte dicam quod sentio, nullum exhibet. Nam τὸ incipere sic est comparatum, ut non solum in tempus, sed etiam in rem, de qua agitur, interdum cadat, quae res nisi diuturna aut ipsa per se, aut comparatione

(1) P. Zacharias p. 381. „ Ma come poteva il „ p. Mamachi valersene, se non nel XCIII. col Pagi, „ e col Ruinart, *come noi vorremmo*, certo nel princi„ pio del XCIV. col Toinard afferma, che cominciasse „ quella persecuzione etc. „.

(2) Ut fatetur ibid. Zacharias, qui statim post descripta verba, subdit „ E le deboli contrarie ragio„ ni dell'inglese nemico de' martiri con molta forza „ ribatte, ed annulla „.

(3) Idem *ibid.* „ Se il Dodwello argomenterà così „ contro di lui: I *cerdones* di Giovenale sono, per voi, „ i cristiani de' tempi di Domiziano, dunque se que„ sto imperatore *periit postquam cerdonibus esse timen„ dus coeperat*, la persecuzione di Domiziano comin„ ciò non molto innanzi la sua morte; ma Domizia„ no morì nel XCVI., dunque non molto innanzi del „ XCVI. infierì contro i cristiani Domiziano. Se dun„ que il Dodwello contro di lui argomenterà così, noi „ preveggiamo difficil cosa, che il p. Mamachi, come„ chè di fino ingegno fornito, sen esca felicemente „ d'impaccio „. At quemadmodum expedire me hisce laqueis, quamque facile possem, prospexisset, neque iam tanto metu is auctor liberasset, si quibus momentis Dodwello Caecilii locum obiectanti respondissem, tom. 1. *huiusce operis p.* 422. legisset.

diuturnioris sit, *coepta* dici commode potest. Quamobrem Tertullianus Domitiani adversus christianos persequutionem (1) *coeptum* appellavit, quin coegerit adversarios, ut eius persequutionis initia ab anno nonagesimo tertio removenda, atque in annum sextum ac nonagesimum transferenda censerent. Quae cum ita sint, confirmarique etiam atque etiam Eusebii caesariensis gravissimi, vetustissimique historici auctoritate (2) possint; nulla erat caussa, cur τὸ *coeperat* Iuvenali obiiceretur, quasi *cerdonum* nomen non fuisse indicatos christianos demonstraret. Ac, si qui adversus me disputant, animos ad ea, quae secundo huiusce operis libro de Caecilii loco dixeram, advertissent, numquam profecto, modo bona fide agerent, τὸ *coeperat* Iuvenalis mihi obiiciendum putassent.

Verum si nonagesimo, inquiunt, et quinto anno saevitum ab Domitiano in christianos est, ne tum quidem Iuvenalem suspicari possumus, *cerdonum* nomine indicasse nostros. Quamobrem autem? Quia, sic enim sumunt, nullas in caede Domitiani habuere christiani partes. Ridiculum! Quasi vero quisquam nostrum interfectum imperatorem fuisse dixerit opera christianorum. Nempe hoc etiam restabat, ut Lucii Caecilii testimonio adversarii efficerent, a christianis fuisse interemtum Domitianum. Tam enim est similis Caecilii locus testimonio Iuvenalis, quam ovum ovo. Quandoquidem ut hic impune tulisse hominem, quoad nobiles insectatus est, periisseque postquam cerdonibus timendus coepisset esse, ita ille prodit, *iniustam* eumdem *dominationem exercuisse, diutissimeque subiectorum cervicibus incubavisse, tutumque regnasse*; *sed tunc tamen luisse poenas, postquam instinctu daemonum ad persequendum iustum Dei populum incitatus est*. Non sum autem nescius, a Stephano liberto, et Domitillae

(1) Locum Tertulliani integrum retuli *tom.* I. *huius operis* VIII. §. II. n. 2. *p.* 419. *not.* 6.

(2) Eusebius caesariensis *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XVII. *p.* 108. *edit. cantabrig.* „ Domitianus, *inquit*, cum iam „ multa in multos crudelitatis suae specimina edidis„ set, nec paucos nobilium, atque illustrium virorum „ Romae iniuste interemisset, alios praeterea innume„ rabiles summae dignitatis viros, licet insontes, exsi„ lio, et bonorum proscriptione mulctasset; τελευτῶν „ *tandem* neronianae impietatis, belliquе, et odii ad„ versus Deum successorem seipsum professus est. Quip„ pe hic secundus τὸν καθ' ἡμῶν ἀνεκίνει διωγμὸν „ *persecutionem in nos movebat*, quamvis pater ipsius Ve„ spasianus nullam unquam iniuriam nobis inferre „ tentasset „. Consideret etiam Zacharias τὸ τελευτῶν, et imperfectum τὸ ἀνεκίνει, nempe τὸ *tandem*, seu *postremo*, et τὸ *movebat*, ac nisi contentionis studio ducatur, facile quidem certe intelliget, confirmari, his τὸ *coeptum* Tertulliani, et τὸ *coeperat* Iuvenalis posse in biennii, atque triennii etiam intervallum competere.

procuratore, a Clodiano milite, a Maximo Parthenii liberto, a Saturio decurione cubiculariorum, ab aliisque coniuratis, qui sane non erant christiani, ademtam fuisse Domitiano vitam. Quare non erat opus, ut res communes, ac pervulgatas adversarii me docerent; nisi existimarint, quae trita omnium sermone sunt, ita ab ceteris ignorari, ut ab ipsis fortasse ignorabantur. Sed de his dicam paullo post. Nunc cetera persequar.

Subdunt igitur, incredibile videri, persuadere sibi potuisse Iuvenalem, vera esse, quae christiani de sublato divinae vindictae ratione Domitiano, praedicare solebant, quum ethnicus esset, viveretque ethnicis moribus. Sit quidem ita, ut volunt. Sed cur rem, ut gesta est, poeta non descripsisset, qui caussam, cur ita sit gesta, commemoraret? Neque video quam ob rem qui tuto vixisse Domitianum sciret, quoad nobiles exagitavit, periisseque brevi post tempore, quam saevire in christianos aggressus est; idem rem omnem ita, ut evenit, narrare nequiverit, sive ethnicorum, sive iudaeorum institutis addictus esset. Sed qui incredibile videri aiunt, ut ethnico in cogitationem veniret, vera esse, quae divina virtute christiani facta contenderent, caveant, ne certa quae sint, vel malevolentia in nos sua, vel pugnandi voluntate incerta facere conentur. Est enim ab Eusebio traditum (1), persuasisse sibi Galerium Maximianum nostrae religionis hostem in morbum incidisse se, propterea quod lacerari christianos, delerique funditus imperasset. Mitto reliqua, ne sim longior, quam pati brevitas operis videatur.

Nihilo gravius est, quod adiungunt, inventos ab se esse cerdones, quornm est ab Iuvenali facta in satyra mentio. Non enim

(1) Lucius Caecilius *libro de mortibus persecutor. cap. xxxiii. p. 226. seq. tom. ii. opp. edit. an.* 1748., *et p.* 229. „ Tandem, *inquit*, malis domitus Deum coa„ ctus est confiteri: novi doloris urgentia per inter„ valla exclamat, se restiturum Dei templum, satisque „ pro scelere facturum „. Refert mox edictum Galerii, quod etiam describitur ab Eusebio *lib. viii. hist. eccl. cap. xvii. p.* 403. *edit. cantabrig.*, ubi „ Tandem „ vero, *inquit*, adversus tot aerumnas conflictans intel„ ligere coepit quae in cultores Dei admiserat scele„ ra, totaque mentis acie in semetipsum conversa, „ primum quidem conditori omnium Deo errorem „ suum confessus est. Convocatis deinde palatii sui „ proceribus, absque ulla dilatione persecutionem „ christianorum cohibere eos iubet etc. „. Quid? si precibus christianorum impetratum fuisse prodigium de pluvia, cum adversus quados bellum romani gererent, sibi Marcus Antoninus imperator persuaserat, et *lib. ii. huiusce operis tom. i. p.* 365. *seq.*, auctoritate Tertulliani ostensum est? Rursum Iulianus nonne ethnicus cum esset, putavit, Deum christianorum ulcisci iniurias suis illatas, propterea quod nostri dicerent, supplicium de illo sumpturum Deum? Vide Theodoretum *lib. iii. cap. xxv. pag.* 143. *edit. cantabrig.* Sed quod Lamium sequutus de Iuvenali dixi, dubitans, et vir ille doctissimus, dixi, quare addidi τὸ *fortasse*, ne quis me rem dubiam pro comperta iactare arbitretur.

moror Silvestrum comitem (1), qui eosdem ipsos censet, atque illos, a quibus Suetonius scribit fuisse caesum Domitianum. Nam etsi virum eruditissimum faciam, ut debeo, plurimi, tamen illius auctoritate non moveor, si quod dicit, nullo vetere monumento confirmare potest. Ecquod autem ille monumentum affert, quo statuat, opinionem suam ad similitudinem veritatis accedere? Nam si cerdones dicuntur ii, qui cum ex infima plebe sint, tum suopte labore victum parant, ut demonstratum alio loco (2) est, quemadmodum Clodianus cornicularius miles, Maximus libertus Parthenii, Stephanus libertus, et Domitillae principis feminae procurator, Saturius decurio cubiculariorum, uxor ipsa Domitiani, intimi denique, familiaresque eiusdem imperatoris (3) appellari cerdones potuerunt? Neque vero minus proprie fuisse loquutum Iuvenalem cerdones memorantem, dicent. Nulla enim ratio est, quae eos, ut ita sentiant, hortetur. Quod si ad originem coniuratorum plebeiam respexisse poetam responderint, quibus tandem id efficient monumentis? Ecquis enim veterum Clodianum scripsit, humili loco fuisse natum? Ad libertos autem quod attinet, quis neget, ortos aliquos fuisse non modo nobilibus atavis, sed etiam regibus? Ac si contumeliosis verbis uti Iuvenalis in coniuratos voluisset, non deerant vocabula, quae aptiora esse viderentur. Iam vero cadere apte in multitudinem christianorum eius aetatis, qua Iuvenalis florebat, *cerdonum* appel-

(1) In modo indicatam Iuvenalis satyram l. c.

(2) *Tom.* i. *p.* 95.

(3) Suetonius in Domitiano *p.* 308. *cap.* xiv. *edit. Lugdun. an.* 1660. ,, Per haec terribilis cunctis, et invi- ,, sus, tandem oppressus est amicorum, libertorumque ,, intimorum conspiratione, simul et uxoris ,,. *Cap.* xv. *pag.* 309. ,, Denique Flavium Clementem patruelem ,, suum contemptissimae inertiae, cuius filios etiam ,, tum parvulos successores palam destinaverat, et abo- ,, lito priore nomine, alterum Vespasianum appellari ,, iusserat, alterum Domitianum, repente ex tenuissi- ,, ma suspicione tantum non in ipso eius consulatu ,, interemit; *quo maxime facto maturavit sibi exitium* ,,. *Cap.* xvi. *pag.* 310. ,, Parthenius cubiculo praepositus ,, converterit: nuncium esse, qui magnum nescio quid ,, afferret, nec differendum. Itaque summotis omni- ,, bus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est ,,. *Cap.* xvii. *pag.* 314. ,, De insidiarum caedisque genere ,, haec fere divulgata sunt. Cunctantibus conspiratis, ,, quando et quomodo, idest, lavantemne, an coenan- ,, tem aggrederentur, Stephanus Domitillae procura- ,, tor, et tunc interceptarum pecuniarum reus consi- ,, lium operamque obtulit. Brachio velut aegro lanis, ,, fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicio- ,, nem obvoluto, ad ipsam horam dolum interiecit, ,, professusque conspirationis indicium, et ob hoc ad- ,, missus, legenti traditum a se libellum, et attonito ,, suffodit inguina. Saucium, ac repugnantem adorti ,, Clodianus cornicularius, et Maximus Parthenii liber- ,, tus, et Saturius decurio cubiculariorum, et quidam ,, e gladiatorio ludo, vulneribus septem contrucidave- ,, runt ,,. At in hos quos umquam irae suae indicia dedit Domitianus, ut eosdem timendos esse inciperet? Nullum sane, quod sciamus. Non igitur hi erant cerdones. Nam si interceptarum pecuniarum Domitillae reus actus Stephanus erat, is quidem non Domitiano, sed iudicibus, a quibus erat damnandus, poenas dare debebat. Sed fac uni Stephano *timendus esse coepisset*, an continuo etiam ceteris coniuratis, ut ii cerdones dicerentur, quibus metuendus esse Domitianus coepisset? Non ergo hi erant cerdones, quos memorat Iuvenalis.

lationem potuisse, nemo, mea sententia, negabit, qui sciat eos tertio etiam saeculo fuisse ab ethnicis contumelia vocatos (1) *pistores, et plautinam prosapiam*; quamquam tunc (2) inter eos multi, et summo genere nati, et illustres dignitate homines numerabantur. Atque etsi nullas in Domitiani caede partes habuerunt nostri, tamen eorum caussa fuisse illi ab Stephano ereptam vitam, qui dubitent, haud equidem intelligo, cur non iidem, sit ne Suetonio, Dioni, Philostrato in ceteris credendum, an non sit, dubitare possint. Quorum enim nece, Stephani in se, coniuratorumque odium concitavit Domitianus, nisi Domitillae, Glabrionis, Clementis, et aliorum hominum sine dubio christianorum? Suetonius namque, ubi interfectum fuisse imperatoris iussu Clementem dixit, continuo addidit: *Quo maxime facto maturavit sibi exitum* (3). Dio autem Cassius cum Glabrionem, Clementem, Domitillam, aliosque atheismi, superstitionisve accusatos aut supplicio affectos fuisse, aut in exilium pulsos (4) narrasset, ἐκ τούτων *ex his, vel propter haec*, ait, metuere imperatorem, familiariumque fidem habere suspectam coepisse. Si licet hortor equidem adversarios, ut τὸ ἐκ τούτων etiam, atque etiam considerent, cognoscantque tandem, vis ne ulla eiusmodi vocibus insit et ad evertendam eorum sententiam, et ad confirmandam, stabiliendamque nostram. Nam si christianorum eorum caedes minime commoverunt coniuratos, cur Dio iisdem caedibus memoratis, propter eas ἐκ τούτων vereri, metuereque ab suis Domitianum tradidisset? Philostratus denique, cuius locum adversarii implicando

(1) Vide *tom. I. huius operis p.* 95.

(2) Confer *tom. II. huius operis p.* 427. *seq.*

(3) Loco modo descripto.

(4) Dio *lib.* LXVII. *p.* 766. *edit. an.* 1606. „ Eodem „ anno, *inquit*, Domitianus cum alios multos, tum „ vero Fabium Clementem consulem (etsi patruelis „ eius erat, ac Flaviam Domitillam, et ipsam Domi„ tiani consanguineam uxorem habebat) morte affe„ cit, illato ambobus crimine impietatis. Cuius rei „ caussa καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη „ ἐξοκέλλοντες, πολλοὶ κατεδικάσθησαν, καὶ „ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν „ ἐστερήθησαν, *et alii in iudaeorum mores transeuntes „ multi damnati sunt; et alii quidem obierunt, alii autem „ substantiis privati sunt.* Domitilla autem solum rele„ gata est in Pandateriam. Glabrionem quoque, qui „ cum Traiano magistratum gesserat, accusatum prae„ ter caetera *superioris criminis*, et quod cum bestiis „ pugnavisset, interfici iussit, cui praesertim propter „ invidiam infensus erat. Nam cum eum consulem in „ Albanum vocasset ad Iuvenalia, coegissetque imma„ nem leonem expugnare, Glabrio non solum e leone „ laesus non est, sed etiam eum egregie confecit. „ Ὑποπτεύων οὖν ἐκ τούτων, *propter haec* Domi„ tiano omnes homines *suspecti esse* coeperunt. Non „ enim amplius in libertis, non in praefectis praeto„ rio, quos etiam in ipsa praefectura curabat dam„ nari, spem firmam habebat. Nam et *Epaphroditum* „ libertum Neronis, quem antea relegaverat, tunc in„ terfecit, criminatus, eum opem Neroni non tulisse, „ ut sumto de illo supplicio, libertos suos, ne quid „ tale committere auderent, multo ante deterreret. „ Quae res tamen nihil ei profuit etc. „

pervertere conantur, de Stephano agens testatur ipsum, quum ferro aggressus Domitianum esset, haec (1) dixisse: *In te se iacit, seu in te irruit* Clemens.

At ego, inquit adversarius, post Clementis interitum cogitari de morte Domitiani coeptum facile patiar. Quid? post Clementis solum? Annon etiam post Glabrionis, et *aliorum*, quos Dio religionis caussa interfectos narrat? Cogitatum igitur de caede Domitiani est, postquam ille saevire in christianos coepit. Sed dicet quispiam: tunc igitur Clementem, Glabrionem, Domitillam fuisse cerdones appellatos putas, quos et nobiles, et dignitate illustres fuisse constat? Egone illos per se? Minime. Verum cur illi sociorum religionis ratione, qui maximam partem viles, abiecti, artificesque essent, appellari probro, contumeliaque huiusmodi nomine non potuerint, ne suspicari quidem possum. An Octavius, contra quem Caecilius ethnicus apud Minucium disputat, pistor erat? Cur igitur *pistorum praecipuus, et plautina prosapia* ab inimico christiani nominis vocatur, nisi caussa humilium, vilisque conditionis sociorum? Hoc enim sibi in animum hostes christianorum induxerant, ut anus (2), pueros, uno verbo, plebeios vilesque homines libenter a nobis recipi in societatem putarent; nobiles autem, sapientes, philosophos non item. Cum autem plebeii, artificesque suopte labore victum sibi vestitumque comparare soleant, factum, ut arbitror, hinc est, ut quos alii agrestes, pistoresque, eosdem Iuvenalis cerdones appellaret. Ac de cerdonibus quidem hactenus, de quibus est his diebus paucis epistola ab Iohanne Lamio viro eruditissimo italice ad me scripta, qua egregie, uti quidem solet, suam, Tillemontii, meamque tuetur, ostenditque graviter, longe distare a veritate adversariorum sententiam (3).

(1) Philostratus *in vita Apollonii tyanaei lib.* VIII. *cap.* X. *p.* 424. *edit. an.* 1608. „ Tunc Stephanus, non „ est, *inquit*, mortuus, ut arbitraris, inimicissimus tibi „ Clemens, sed vivit adhuc, egoque id optime scio, „ et ipse est, qui nunc adversus te irruit. Clementis „ autem regis, et ob ea, quae audierat, perturbati, „ Stephanus ab alligato brachio gladium educens femur perfodit etc. „.

(2) Vide *tom.* I. *huius op. p.* 92., *et tom.* II. *p.* 424. *seq.*

(3) Iohannes Lamius *epist. de hoc argum.*, quam inseruit *nunciis litterariis florentin. an.* 1751. n. 12. 13. 14. *p.* 178. *seq.*

CAPUT V.

DE PACE VETERUM CHRISTIANORUM, DE PATIENTIA, EORUMQUE IN ADVERSIS REBUS PERFERENDIS CONSTANTIA, ET FORTITUDINE.

Non solum autem res omnes, quae intercidereut, contemnebant christiani, liberalitatemque colendam arbitrabantur, sed etiam sibi ab ira (1) cavebant, dabautque operam, ut pace, tranquillitateque animi fruerentur. Cum enim a Christo pacem (2) apostolis, iisque magnopere commendatam scirent, qui novi testamenti se legibns obligassent, curandum etiam, atque etiam putabant, ut ne quid facerent, ex quo oriri vexatio ulla animorum, perturbatioque posset. Id quod perfacile illis erat, ut qui tanta in Deum, quanta dictum est, charitate flagrarent. Oritur enim animi ex amore, studioque rerum divinarum (3) tranquillitas. Itaque multis calamitatibus afflicti, bonis omnibus expoliati, suppliciisque atrocissimis lacerati, non modo non perturbabantur (4), verum etiam gratias agere consueverant. Existebat

(1) Clemens alexandrinus *lib.* v. *stromateon p.* 559. *edit. an.* 1641. « Tacite significabat (Pythagoras), *inquit*, non solum delendum esse fastum, et superbiam, sed ne *irae* quidem esse relinquendum vestigium. Cum autem ebullire cessaverit, eam esse componendam, et omnem esse delendam iniuriae memoriam. Sol autem vobis non occidat super iracundiam vestram, inquit scriptura. (Epist. Paul. ad ephes. cap. v.) Et qui dixit, non concupisces, sustulit omnem acceptae iniuriae recordationem. Ira enim invenitur impulsio cupiditatis mansuetae animae ultionem ultra rationem supra modum desiderans, etc. ». Arnobius *lib.* I. *pag.* 10. *edit. an.* 1651. « Quid aliud est irasci, quam insanire, quam furere, quam in ultionis libidinem ferri, et in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari »? Confer Tertullianum *lib. de patient. cap.* v. *p.* 143. *edit. an.* 1744.

(2) Vide *evang. Iohann. cap.* xiv. v. 27.

(3) Cyprianus *de bono patientiae p.* 216. *edit. oxon.* « Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas, ac firmitas unitatis, quae et spe, et fide maior est, quae et opera, et martyria praecedit, quae nobiscum semper aeterna apud Deum in regnis caelestibus permanebit ».

(4) Athenagor. *legat. pro christian. n.* 11. *pag.* 306. *seq.* « Apud nos reperietis imperitos homines, et opifices, et anus, si minus verbis praestare possint eam, quae ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, at factis eam, quae ex animi inductione proficiscitur, demonstrare. Neque enim verba declamitant, sed recte facta exhibent, *percutientem non repercutere, rapienti litem non scribere, petentibus dare, proximum ut se ipsum diligere* ..... Moderatam, et *humanitatis plenam, et aspernabilem vitam sectamur, nihil his mali, etiamsi quis vitam eripiat, passuros arbitrati; quod quidem cum iis conferendum sit, quae illic a magno iudice ob vitam mansuete, et benigne, et moderate actam consequemur* ». Eusebius caesariensis *lib.* I. *praep. evang. cap.* iv. *p.* 13. *edit. an.* 1628. « Quod infinita virorum, mulierum, ac puerorum, servorum pariter, atque liberorum, ignobilium, et nobilium, nec non barbarorum simul, et graecorum omnibus in locis, oppidis, regionibus, et, quotquot soli subiectae sunt, nationibus ad subeundam eorum praeceptorum, quibus nuper informati sumus, disciplinam, denso agmine multitudo confluat, eiusmodique sermonibus aures praebeat, quibus ad coercendam non actionum modo petulantiam, verum etiam earum, quae in sola mente versantur, cogitationum turpitudinem, omnesque tum ventris, tum quae sub ventrem sunt,

autem ex aequitate, paceque animorum mansuetudo (1). De qua quidem virtute, quoniam ad alios refertur, in tertia huius libri parte agendum est.

Sed non minus pace, quam patientia christiano est opus. Quare sancitum lege a Christo est, ut res quasque adversas aequo animo christianus (2) ferat. Atque est sane patientia nostris hominibus cnm Deo (3) communis. Nam ut ille iniustos patitur, ita hi ferre debent inimicorum, non ulcisci, quamquam sit gravis, iniuriam. Haec quum maioribus nostris explorata essent, etsi privatos rebus omnibus se, vexatos, in carcerem coniectos, exquisitissimisque suppliciis excruciatos, dilaceratosque (4) vide-

voluptatem domandam excitentur, quodque nullum non genus hominum divinae doctrinae praeceptionibus imbuatur, vel lacessentium inimicorum iniurias excelso animo ferre, non mutuis, ac similibus improbos homines ulcisci velit, et iracundiae vim fraenare conetur etc. ».

(1) De pace cum aliis colenda dicam tertia huiusce libri parte.

(2) Cyprianus *de bono patientiae p.* 212. *edit. eiusd.* „ Ut plenius intelligere possimus, fratres dilectissimi, quia patientia Dei res est, et quisquis lenis, et patiens, et mitis est, Dei patris imitator est; cum in evangelio suo Dominus praecepta in salutem daret, et divina monita depromens ad perfectum discipulos erudiret, posuit, et dixit: *Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, et orate pro eis, qui vos persequuntur, ut sitis filii patris vestri, qui in caelis est* „. Eadem fere scribit Tertullianus in eo libro, qui inscribitur de patientia *cap.* II. *p.* 143. *seq. edit. venetae an.* 1744.

(3) Consule s. Cyprianum *ibid.*, *et p.* 211. „ Est nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius, et dignitas caput sumit. Origo, et magnitudo patientiae Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quae Deo cara est. Bonum, quod amat maiestas divina, commendat. Si dominus nobis, et pater Deus est, sectemur patientiam domini pariter et patris, quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres. Qualis vero in Deo, et quanta patientia, quod in contumeliam suae maiestatis, et honoris instituta ab hominibus profana templa, et terrena figmenta, et sacra sacrilega patientissime sustinens, super bonos, et malos aequaliter facit diem nasci, et lumen solis oriri, et cum imbribus terras rigat, nemo a beneficiis eius excluditur, quo minus iustis similiter, et iniustis indiscretas pluvias largiatur etc. „. Vide etiam Tertullianum *de patientia cap.* III. *p.* 144.

(4) Vide quae disputavimus supra *p.* 113. *seqq.* Iustinus autem *apolog.* I. *n.* 16. *pag.* 54. « Non reluctari oportet, neque nos imitatores esse malorum vult Deus, sed ut patientia, et lenitate omnes a dedecore, et cupiditate malorum abducamus, hortatus est. Quod quidem et de multis, qui apud vos fuerunt demonstrare possumus, qui ex violentis, et tyrannis immutati sunt, vel vestigata vicinorum constantia victi, vel prospecta vitae sociorum in iniuriis perferendis *mira patientia*, vel exploratis eorum moribus, quibuscum contrahebant ». Athenagoras *legat. p.* 332. *n.* 34 *edit. venetae an.* 1747. « Quae diis suis attribuunt (ethnici) tamquam de praeclare factis, ea deorum propriis gloriantes, ea nobis convicii loco obiiciunt; sicque adulteri, et puerorum amatores eunuchos, et semel nuptos vituperant, et qui instar piscium vivunt, nam et ipsi obvium quemque devorant, et infirmum fortior insectatur, idque carnes humanas attingere est, contra legem a vobis, et maioribus vestris ad omnem aequitatem descriptas vim, et impressionem exercere; ita ut missi a vobis provinciarum praesides causarum audiendarum onus vix sustineant, ii, inquam, qui ita vivunt, in eos invehuntur, quibus nec percussis seipsos non tradere, nec male audientibus fas est non benedicere. Neque enim satis est iustum esse (iustitia enim est par pari referre), sed illud etiam propositum nobis est, ut boni, et patientes malorum simus ». Clemens alexandrinus *lib.* I. *paedagogi cap.* V. *pag.* 90. *seq.* « Ridet (Isaac), *inquit*, a morte solutus ludens, et exultans cum sponsa, quae nostra est ad salutem auxiliatrix ecclesia, cui firmum ac solidum nomen impositum est ἡ ὑπομονὴ *patientia*, vel quod constet ex ὑπομονῇ *patientia* credentium, qui sumus membra Christi, et eorum, qui ad finem sustinuerunt, testimonium, et quae fit propterea gratiarum actio ». Vide Athenagoram *legat. num.* 1. *pag.* 295. *edit. venetae an.* 1747., et Arnobium *lib.* I. *p.* 14. *edit. an.* 1651.

rent; tamen, quoniam solida sempiternae vitae spe (1) ducebantur, omnia agebant inflammati amore (2) divinarum rerum, et sustinebant aequo animo, et magnopere laetabantur, propterea quod digni essent, qui Christi caussa exagitarentur. Accedebat eorum integritas, castitas, innocentiaque morum, quae illis spiritus (3) adderet. Nam hoc se gratiores esse Deo cognorant, quo libenter, quas non essent meriti, poenas luerent. Ac modo illi placerent, contumelias perferendas, subeunda pericula, deferendam patriam, rem familiarem, salutem corporis, vitam ipsam amittendam (4) putabant. In hisce rebus adversis victores eos fore, qui comitem (5) patientiam haberent, qua in virtute ac fide confirma-

(1) S. Cyprianus *lib. de bono patientiae pag.* 215. « Tolerandum, et perseverandum est, fratres dilectissimi, ut ad spem veritatis, et libertatis admissi, ad » veritatem, et libertatem ipsam pervenire possimus: » quia hoc ipsum, quod christiani sumus, fidei, et spei » res est; ut autem spes, et fides ad fructum sui possint devenire, patientia opus est. Non enim praesentem gloriam sequimur, sed futuram ». Confer Tertullianum *lib.* IV. *contra Marcionem cap.* XV. *seqq. pag.* 428, epistolam Antonini Pii augusti ad *commune Asiae*, quae extat *in extrema prima apolog. Iustini mart. p.* 97. *seq. edit. venetae*, et apud Eusebium *lib.* IV. *c.* XIII. *hist. eccl.* ubi sic habetur. « Quibus quidem (christianis) » vos molestiam exhibetis, et eorum sententiam, tamquam si essent athei, accusatis, et alia nonnulla impingitis, quae probare non possumus. Illis autem iis » fuerit ob id, cuius nomine accusantur, mortem videri » oppetere, ac nos vincunt, dum animas suas proiiciunt » potius, quam illis parcant, quae ab eis fieri postulatis... Sunt illi fidentiores, quam vos apud Deum. Ac » vos quidem per illud tempus deos omittere videmini, » et templa negligitis, nec Dei colendi rationem nostis. » Unde et illis, qui eum colunt, invidetis, et ad mortem » usque insectamini »; Lucianum *dialogo de morte peregrini p.* 338. *tom.* III. *opp. edit. an.* 1743., Tertullianum *lib. ad Scapulam cap.* III. *pag.* 70., et *apologetic. cap.* I. *p.* 100., quo loco sic scribit. « Ergo inquitis, cur queri» mini, quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis per quos patimini, quod vultis. Plane » volumus pati, verum eo more, quo et bellum nemo » quidem libens patitur, cum trepidare, et periclitari » sit necesse, tamen et praeliator omnibus viribus, et » vincens in praelio gaudet, qui de praelio querebatur, » qui et gloriam consequitur, et praedam. Praelium est » nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub » discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est » autem pro quo certaveris obtinere. Ea victoria habet » et gloriam placendi Deo, et praedam vivendi in aeternum »; Origenem *lib.* III. *contra Celsum n.* 17. *p.* 229. *tom.* I. *edit. venetae*, qui scribit « Multi e nostris quamvis probe scirent, se, si in confitendo christianismo » persisterent, morituros; contra absolutum iri, et suam » facultatem recuperaturos, si desisterent; tamen despecta vita volentem mortem pietatis causa occubuerunt »: S. Cyprianum *epist.* XX. *pag.* 23. *seq.*, et LX. *al.* LVIII. *p.* 141., LXXX. *al.* LXXXII. *p.* 237. *seq.*, Eusebium *lib.* I. *praeparat. evang. cap.* IV. *p.* 13. *edit. an.* 1628.

(2) Vide Arnobium loco supra descripto *pag. huius vol.* 336. *not.* 6.

(3) Confer *acta apost. cap.* V. *v.* 41., Tertullianum *lib. ad Scapulam cap.* I. *p.* 68. *edit. venetae* 1744. « Nos » neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quae » ab ignorantibus patimur, cum ad hanc sectam, utique suscepta conditione eius pacti, venerimus, ut » etiam animas nostras auctoritati in has pugnas accedamus, ea, quae Deus repromittit, consequi optantes, » et ea, quae diversae vitae comminatur, pati timentes. » Denique cum omni saevitia vestra concertemus, etiam » ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti » gaudemus ».

(4) Clemens alexandrinus *lib.* IV. *stromateon p.* 505. *edit. an.* 1641., « Noluit, *inquit*, Christus nos pati persecutionem, sed ea quae passuri sumus prius significavit » per eam, quod sint eventura, praedictionem, exercens ad tolerantiam, cui promisit haereditatem. » Quamquam non soli, sed cum multis supplicio afficimur. At illi, inquiunt, cum sint malefici, iure luunt » poenas. Ergo vel inviti nobis iustitiam suo testimonio » tribuunt, qui iniuste propter iustitiam punimur etc. ». Vide Tertullianum *apologet. cap.* II. *pag.* 7. *seq. edit. an.* 1744. *in append.* Cyprianus autem *lib. ad Demetrianum p.* 192. « Patientes, *inquit*, facit de secutura ultione securitas. Innocentes nocentibus cedunt. Insontes poenis, et cruciatibus acquiescunt, certi et fidentes, » quod inultum non remaneat quodcumque perpetimur etc. ».

(5) Lactantius *lib.* V. *cap.* XXII. *p.* 393. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1748. « Stultos arbitrantur esse, qui cum be-

rentur. Sic enim illi, quin se ostentarent (1), vivebant, confidebantque iniuriam, quam dedecori esse ethnici dicerent, gloriae sibi in extremo (2) iudicio, ac felicitati futuram. Quare ubi se oppressos intuebantur, gratias agebant Deo, ac verbis, factisque (3) indicabant, rem nullam sibi accidere potuisse (4) iucundiorem. Quin etiam carnifices, a quibus occidendos se esse certo norant, amplecti, osculari, quibusque poterant rebus iuvare solebant, quasi ab iis aut omnia ex sententia futura, aut magnum quidpiam sese consequuturos sperassent. Quod cum alii plerique, tum Cyprianus episcopus carthaginiensium in primis fecit. Nam ut dictam ab iudice sententiam ex tabella recitari (5) intellexit (ea vero sic habebat: Thascium Cyprianum gladio animadverti placet), hoc unum respondit: *Deo gratias*. In locum deinde supplicii adductus, carnificem sibi ostendi voluit, visumque pecunia donavit, quod huius opera celerius ipse migraturus in patriam beatorum esset. His patientis animi significationibus plane demonstrabant, discipulos se, atque imitatores Christi esse, qui nostri caussa cum conspueretur, derideretur, torqueretur, non modo conquestus de inimicis non est, sed incredibili etiam virtute cruciatus pertulit, ac pro inimicis, satellitibus, carnificibus, quos sane crudeles in se experiebatur, oravit.

„ beant in sua potestate supplicia vitare, cruciari tamen, et emori malunt, cum possint ea eo ipso pervidere non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per orbem totum una, et pari mente consentiant... si enim feminae mens infirmitate labentur, viri certe sapiunt. Si pueri, si adolescentes improvidi sunt per aetatem, maturi certe, ac senes habent stabile iudicium. Si una civitas desipit, ceterae aliquae innumerabiles stultae esse non possunt. Si una provincia, una natio prudentia caret, ceteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, et omnis sexus, omnis aetas, et gens, et regio unis, ac paribus animis Deo serviant, eadem sit ubique *patientia*, idem *contemtus* mortis, intelligere debuerant aliquid in ea re esse rationis etc. „.

(1) Vide Cyprian. *lib. de bono patient. p.* 215. *edit. oxon.*

(2) Athenag. *legat. pro christ. n.* 11. *p.* 307. *edit. venetae an.* 1747. „ Neque enim verba declamitant „ (christiani), sed recte facta exhibent, percutientem „ non repercutere etc. „. Cyprianum *lib. de bono patientiae p.* 211. „ Nos autem, fratres dilectissimi, qui philo„ sophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapien„ tiam, sed veritate praeferimus, qui virtutum con„ scientiam magis, quam iactantiam novimus, qui non „ loquimur magna, sed vivimus quasi servi, et cultores „ Dei, patientiam, quam magisteriis coelestibus disci„ mus, obsequiis spiritualibus praebeamus „.

(3) Cyprianus *ibid. p.* 219.

(4) Tertullianus *apologet. cap.* 1. *p.* 7. *append. opp. edit. an.* 1744. „ Christiano vero quid simile? Nemi„ nem pudet, neminem poenitet, nisi plane retro „ (christianum se) non fuisse. Si denotatur, gloriatur, „ si accusatur, non defendit; interrogatus vel ultro „ confitetur, damnatus gratias agit. Quid hoc mali est, „ quod naturalia mali non habet, timorem, pudorem, „ tergiversationem, poenitentiam, deplorationem? Quid „ hoc mali est, cuius reus gaudet, cuius accusatio vo„ tum est, et poena felicitas „?

(5) Confer vitam s. Cypriani a Pontio diacono descriptam n. 16. *seq. p.* 186. *actor. ss. mm. edit. Ruinart. veron.*, *et acta proconsular. ibid. p.* 169., ubi haec habentur. „ Decretum ex tabella recitavit: Thascium Cypria„ num gladio animadverti placet. Cyprianus episcopus „ dixit: *Deo gratias* „. Et paullo post: „ Coepit specu„ latorem sustinere. Cum venisset autem speculator, ius„ sit suis, ut eidem speculatori vigintiquinque aureos „ darent etc. „.

Ac de patientia quidem hactenus. Nunc de fortitudine animi dicendum est, cuius speciem veteres putabant esse patientiam (1). Est autem fortitudo considerata, rationeque suscepta laborum (2), periculorumque perpessio. Quamobrem cum non temere se fortis, imprudenterque in discrimen aut rei familiaris, aut vitae amittendae, sed sapienter, prudenter, interdum autem instinctu quodam, afflatuque Dei coniici sinat, factum hinc est, ut fortitudinem aliqui esse dicerent rerum tolerandarum (3) scientiam. Esse enim quaedam intelligebant, a quibus viri fortes vel obeundis, vel sustinendis abhorrerent. Ergo maiores nostri non solum circulatores illos vituperare (4), qui lucri gratia contorquere, rotareque in gladios se, verum etiam arguere sacerdotes inanium deorum, qui pectora ferirent sua (5), flagellisque se ipsos (6) caederent, quasi contra naturae legem peccarent, solebant. Quin etiam etsi experiundo cognoverant, impulsu quodam divino nostrum aliquos vel sponte (7) iudicibus obtulisse se, ut propter religionem, quam profitebantur, interimi, martyresque obire, vel in ignem, flumenve se coniecisse, ut custodire virginitatem, celeriusque vitam sempiternam consequi valerent; tamen, quod inveniri nonnullos scirent, qui nulla virtute, incita-

(1) Clemens alexandrinus *lib. VII. stromateon, p. 709. edit. an.* 1741. Εἴδη δὲ τῆς ἀνδρείας καρτερία, μεγαλοφροσύνη etc. Species autem fortitudinis tolerantia, mentis sublimitas etc.

(2) Cicero II. *de inventione cap.* LIV. *n.* 163. *p.* 465. *tom.* I. *opp. edit. venetae an.* 1731.

(3) Aullus Gellius *lib.* XII. *cap.* V. *pag.* 323. *edit. delph. an.* 1681.

(4) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromateon p.* 738. *edit. paris. an.* 1641. „ Nullus ergo citra rationem fortis, est cognitione praeditus. Nam pueros quoque „ sic dixerit aliquis fortes, qui quae sunt formidabi„ lia sustinent, propter eorum, quae sunt gravia, igno„ rationem : ignem quidem certe sic tangunt. Sed et „ feras, quae in hastas incurrunt, cum sint fortes ci„ tra rationem, ratione quis praeditas vocaverit. For„ tasse autem hi quoque fortes dicent praestigiatores „ se in gladios rotantes, qui ex quadam experientia, „ propter vilem mercedem, malam artem exercent. „ Qui est autem revera fortis, cum propter multo„ rum invidiam, et aemulationem, manifestum videat „ periculum, quod occurrit, confidenter accipit : hac „ ratione separatus ab iis, qui dicuntur martyres, quod „ alii quidem sibi ipsis praebeant occasionem, at se, „ nescio quomodo, in ipsa pericula coniiciant (si lo„ qui sic fas est), hi vero se ex recta ratione compo„ nentes, deinde cum Deus vocaverit, prompto, et „ alacri animo se tradentes, et confirmant vocatio„ nem ex eo, quod nihil temere, et praecipitanter „ de se constituerint, et virum praebent examinan„ dum in ea, quae est ex veritate, rationali fortitu„ dine. Neque ergo metu maiorum tolerant, ut reli„ qui, neque timentes, ne vituperentur ab iis, qui „ sunt eiusdem loci, et sententiae, in confessione per„ sistunt vocationis, sed propter suam in Deum charita„ *tem* lubentes parent vocationi, nullum alium sibi „ scopum proponentes, nisi ut Deo placeant etc. „.

(5) Athenagoras *legat. pro christianis n.* 14. *p.* 309. *edit. venetae an.* 1748.

(6) *Ibid. n.* 26. *p.* 324.

(7) Confer Lucianum *loc. cit.*, Tertullianum *libro ad Scapulam cap.* IV. *pag.* 71. ubi „ Arrius Antoninus in „ Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civita„ tis christiani ante tribunalia eius se manu facta obtu„ lerunt, cum ille, paucis duci iussis, reliquis ait, „ ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρημνοὺς „ ἔχετε. *O miseri, si vultis mori praecipitia, ... habe*„ *tis* „. Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* XII. *pag.* 391. *seq. edit. cantabrig.*

tioneque superiore inducti simile quidpiam audere possent, ne quis in publicum christianus prodiret, suamque religionem non quaesitus (1) enunciaret, cavebant. Hoc enim non fortitudinis in eis esse aiebant, sed temeritatis indicium. Quid? si ne philosophos quidem laudandos (2) censerent, qui famem tolerarent, qui humile, abiectumque vitae genus consectarentur, qui contumelias interdum, iniuriasque non moleste ferrent, propterea quod non verae, solidaeque, sed inanis gloriae cupiditate permoti, haec facerent, vel se, post mortem, omnino interituros arbitrarentur? Contra christianos fortes et appellari, et esse, qui studio, amoreque divinarum rerum, ac spe sempiternae gloriae incitati, maledicta nihili penderent, proscriptiones, direptiones bonorum, consaguineorum aut odium, si imbuti superstitione erant, aut mortem, quam ob christianam religionem obiissent, magno animo sustinerent, et neque verberum, neque cruciatuum, suppliciorumque (3) acerbitate terrerentur. Id vero tam erat conspicuum,

(1) Consule s. Cyprianum *lib. de lapsis p.* 125. *edit. oxon.*

(2) Clemens alexandrinus *ibid. p.* 756. ,, Hac ergo ratione labores, et tormenta et afflictiones sustinet, non ut qui sunt fortes apud philosophos, propter spem, quod praesentes quidem sunt cessaturi dolores, sint autem rursum iucundorum futuri participes, sed cognitio ei persuasionem ingeneravit firmissimam, futurum, ut recipiat, quae sperat. Quocirca non solum, quae hic sunt, supplicia, sed etiam iucunda contemnit omnia ... Est ergo in quovis casu fortis, ac valida anima eius, qui est cognitione praeditus, quae veluti corpus athletae, et optime est habitudine, et maximas habet vires. Est enim optimi quidem consilii in iis, quae ad hominum pertinent, quod sit iusto faciendum per sententiam exponens: principio enim caelitus, et in primis ut divinitati sit similis, lenitatem quamdam, ac moderationem in voluptatibus corporis, doloribusque sibi comparat. Audacter autem insurgit adversus metus in Deo habens fiduciam. Revera ergo terrestris divinae virtutis imago est anima cognitione praedita, perfecta virtute exornata, ex his omnibus, simul natura exercitatione, et quae simul cum ea crevit, ratione ... Qui est eiusmodi insurgit adversus omnem metum, omne periculum, et quidquid est formidabile, non solum mortem, sed etiam paupertatem, et morbum, et ignominiam, et quaecumque sunt huius generis, ut qui et a voluptate vinci nequeat, et rationis expertibus dominetur cupiditatibus. Bene enim novit, quae sint agenda, et quae non, ut qui strenue noverit, quaenam sint revera gravia, ac pertimescenda, et quae non. Unde scienter ea sustinet, quae oportet, et quae decere ei dictat oratio, scienter distinguens ea, de quibus habenda est fiducia, hoc est ea, quae sunt bona ab iis, quae videntur, et terribilia ab iis, quae apparent, morte scilicet, morbo, et paupertate. Quae quidem sunt opinionis potius, quam veritatis. Hic est, qui revera est vir bonus, qui per habitum vel dispositionem animae virtute praeditae, remotus ab animi perturbationibus, universam vitam superavit perturbationibus obnoxiam ,,.

(3) S. Iustinus martyr *apolog.* II. n. 12. *pag.* 100 ,, Et ipse ego cum Platonis doctrina delectarer, ac de criminibus in christianos coniectis audirem, eos autem ad mortem, et ad alia omnia, quae videntur metuenda, impavidos cernerem, fieri non posse intelligebam, ut in nequitia, et in voluptatum amore viverent ,,. Minucius Felix in Octav. *p.* 337. *edit.* an. 1672. ,, Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas saepius disciplina virtutis est, et vires denique, et mentis, et corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum praedicatis, aerumnis suis incliti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit, cum sit et omnium rector, et amator suorum, sed in adversis unumquemque explorat, et examinat, ingenium singulorum periculis pensitat, usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur: nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

atque manifestum, ut ne ethnicos quidem (1) fugeret. Norant enim nostros, tametsi possent periculum vitae declinare, si vellent; in arenam tamen libenter descendere, feris obiici, ignibus tradi consuesse, ut fortiter pugnantes cum hoste generis humani, veluti spectaculo, atque oblectamento Deo essent, palmamque vincentes ferrent. Hoc autem non primo, seenndo, tertioque saeculo modo, sed etiam quarto; tum quoque, cum Valens arianus imperio populi romani potiretur, apud christianos orthodoxos obtinuisse testata res est. Namque ut olim, cum Nero (2), cum Domitianus, cum Hadrianus, Antonini, Septimius Severus, Caracalla, Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, atque collegae, Licinius, postremoque Iulianus gentiles, no-

„ Quam pulcrum spectaculum Deo, cum christia- „ nus cum dolore congreditur, cum adversus mi- „ nas, et supplicia, et tormenta componitur, cum „ strepitum mortis, et horrorem carnificis irridens „ insultat, cum libertatem suam adversus reges, et „ principes erigit, soli Deo, cuius est, cedit, cum trium- „ phator, et victor, ipsi, qui adversum se sententiam „ dixit, insultat! Vicit enim, qui, quod contendit, ob- „ tinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris auda- „ cius periculum provocet? Nemo enim praemium „ percipit ante experimentum, et imperator tamen, „ quod non habet, non dat. Non potest propagare „ vitam, potest honestare militiam. At enim Dei mi- „ les nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic „ christianus miser videri potest, non potest inveniri. „ Vos ipsi calamitosos viros fertis ad caelum Mucium „ Scaevolam, qui cum errasset in regem, periisset in „ hostibus, nisi dexteram perdidisset: et quot ex no- „ stris non dexteram solum, sed totum corpus uri, „ cremari, sine ullis eiulatibus pertulerunt, cum di- „ mitti praesertim haberent in sua potestate etc. „? Confer Arnobium *lib. II. adversus gentes pag.* 44. *edit.* an.1651., Lactantium, et Eusebium *locis supra indicatis.* Eadem fere habet s. Cyprianus *epist.* LX. *p.* 141. „ Pro- „ silierat adversarius, *inquit,* terrore violento Christi ca- „ stra turbare, sed quo impetu venerat, eodem impetu „ pulsus, et quantum formidinis, et terroris attulit, „ tantum fortitudinis invenit, et roboris. Supplantare „ se iterum posse crediderat Dei servos, et veluti tyro- „ nes, et rudes quasi minus paratos, et minus cautos so- „ lito suo more concutere. Unum primo aggressus ut lu- „ pus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam „ ab agmine volantium separare tentaverat. Nam cui „ non est adversus omnes satis virium, circumvenire „ quaerit solitudinem singulorum, sed retusus adunati „ exercitus fide pariter, et vigore, intellexit milites „ Christi vigilare iam sobrios, et armatos ad praelium „ stare, vinci non posse, mori posse, et hoc ipso invi- „ ctos esse, quia mori non timent, nec repugnare con- „ tra impugnantes, cum occidere innocentibus nec „ nocentem liceat, sed prompte et animam, et san- „ guinem tradere, ut cum tanta in saeculo malitia, et „ saevitia grassetur, a malis et saevis velocius recedatur. „ Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum glorio- „ sum? Quale in conspectu Christi ecclesiae suae gau- „ dium, ad pugnam, quam tentaverat hostis inferre, „ non singulos milites, sed tota simul castra prodiisse? „ Omnes enim constat venturos fuisse, si audire potuis- „ sent, quando accurrerit properanter, et venerit quis- „ quis audivit. Quot illic lapsi gloriosa confessione sunt „ restituti? Steterunt fortes, et ipso dolore poenitentiae „ facti ad praelium fortiores, ut appareat nuper subita- „ tos esse, et novam, atque insuetae rei pavore trepidas- „ se, rediisse ad se postmodum fidem veram, et vires „ suas de Dei timore collectas ad omnem patientiam „ constanter, et firmiter roborasse, nec iam stare ad „ criminis veniam, sed ad passionis coronam „.

(1) Confer Luciani, Marci Aurelii, Arriani, et aliorum ethnicorum testimonia, quae mox indicabo.

(2) Vide *tom.* I. *huiusce operis p.* 415. *seq.* Mirabile sane est, quod in Africa, imperatore Septimio Severo, contigit. Ex eo namque facto plane intelligitur, non vi naturae, sed virtute divina fortes christianos evadere ad supplicia magno animo perferenda consuevisse. In actis ss. *Perpetuae, Felicitatis, et socior. p.* 86. *edit. Ruinart. veron.* n.15., haec de Felicitate leguntur. „ Statim post „ orationem, dolores (partus) eam invaserunt. Et cum „ pro naturali difficultate octavi mensis in partu labo- „ rans doleret, ait illi quidam ex ministris cataractorio- „ rum, *quae sic modo doles, quid facies obiecta bestiis, „ quas contempsisti, cum sacrificare noluisti?* Et illa re- „ spondit: *Modo ego patior, quod patior, illic autem alius „ erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo pas- „ sura sum* „.

strisque infesti, atque inimici imperabant; ita ubi Valens arianae factioni suam obligavit fidem, videre viros, mulieresque licebat tanta animi magnitudine, ut religionis servandae canssa in summam rerum omnium egestatem, extremumque cruciatum venire non paterentur modo, sed etiam optarent. Atque ut mittam de tot martyribus dicere, quorum sunt res egregie, praeclareque gestae monumentis mandatae litterarum, utque Origenis Adamantii, quod sane est singulare, exemplum praeteream, quod est ab Eusebio eleganter, diligenterque in historia descriptum, ne longior, quam mecum ipse statuerim, esse videar; illud unum commemorabo, quod ad rem maxime pertinet, evenitque Edessae in Syria, cum ariani, freti Valentis (1) auctoritate, ecclesiam infestarent. Nam in eam urbem cum imperator venisset, cognovissetque plenam esse orthodoxorum, qui omnes fere quotidie in unum locum oratum convenirent, praefectum vehementer accusavit, eique mox, ut catholicorum gentem deleret, iussit. Praefectus etsi arianis partibus studebat, tamen committendum non putavit, ut sua opera multitudo tanta civium edessenorum periret. Itaque clam ad nostros misit, qui dicerent, imperatorem conventus eiusmodi indigne ferre. Sibi esse in mandatis datum, ut de iis, qui congregari deinceps non dubitassent, supplicium sumeret. Quamobrem cauto esse opus. Comminatione namque poenae sperabat fore, ut nostri incoeptis desisterent. Sed frustra. Maiore namque numero sequente die in eumdem locum concurrerunt, quam antea consuessent. Quapropter ut imperatori obtemperaret, praefectus eo se cum milite conferre, omnesque trucidare constituit. Cum aliquanto processisset, in mulierem quamdam humili veste indutam incidit, quae puerum secum in coetum nostrorum duceret. Quaesivit ex ea, quo, quam ob caussam, quos tandem inventum properaret? Cum ire se mulier ad orthodoxorum conventum respondisset, tum ille, an te, inquit, latet, quid consilii praefectus coeperit? Ea vero, esse sibi omnia comperta dixit. Idcirco se festinanter ire. Periculum enim esse, ne si serius faceret, quam posset, se ipsa a praemio, et corona martyrii remoraretur. Ne miraretur praefectus, quod puerum secum duceret. Non aequum esse, ut quem ipsa magnopere amaret,

(1) Vide Sozomenum *lib. vi. hist. eccl. cap. xviii. p. 240. edit. cantabrig.*

tantae felicitatis expertem esse pateretur. Praefectus magnitudinem animi, constantiam, fortitudinemque mulieris admiratus, prospiciensque futurum, ut orthodoxi ceteri, si non maiore, at aequali saltem virtute magno cum arianae factionis dedecore supplicia perferrent, ad Valentem revertit, reque, ut acciderat, narrata, ei, ut mutaret consilium, persuasit.

Sic igitur animati cum plerique omnes christiani essent, mirabile nemini videri debet, quod illi capti, atque vel in vincula coniecti, catenas suas, quasi ornamenta (1) quaedam essent, contemplarentur; vel ad iudices adducti, numquam sese demitterent, sed fidenter confiterentur se christianos esse, ac supplicia non modo non aversari se, verum etiam expetere affirmarent; vel ab humani generis hoste, qui si imbecilles, ut ipse putabat, adortus esset, confideret fore, ut victoriam pararet, incredibili furore appetiti, ita confligerent, ut senes (2), mulieres, pueri satis in hoc praelii genere exercitati esse, novosque spiritus, Christi virtute, continenter sumere viderentur. Quae res cum multis exemplis, quae sanctorum martyrum actis, aliisque veteribus monumentis, in primisque libris apologeticis patrum, historiisque Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoriti continentur, liqueat, tum Marci Aurelii Antonini (3) imperatoris, Arriani (4) philosophi, Luciani (5), Iuliani (6) Augusti, hominum ethnicorum, hostium-

(1) Eusebius *lib. v. hist. eccl. cap. 1. pag.* 204. de martyribus lugdunensibus agens ,, Illos, *inquit*, gaudium ,, martyrii, spesque promissae beatitudinis, et charitas ,, erga Christum, et Dei patris spiritus recreabat ..... ,, Quippe illi quidem hilares accedebant, maiestatem ,, quamdam venustati intermistam vultibus praeferen- ,, tes, adeo ut τὰ δεσμὰ κόσμον *vincula ornatum* ipsis ,, addidisse viderentur, instar sponsae fimbriis aureis va- ,, riegatis ornatae ,,. Tertullianus *apologet. cap.* 1. *p.* 161. *edit. venetae an.* 1744. in *append.* ,, Hic est, *inquit*, habi- ,, tus victoriae nostrae, haec palmata vestis. Tali curru ,, triumphamus etc. ,,

(2) Eusebius *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXXII. de Simeone episcopo Hierosolymorum disserens, *p.* 127. *edit. cantab.* ,, Per multos dies, *inquit*, acerbissimis tormentis excru- ,, ciatus, fidem Christi constantissime professus est, adeo ,, ut consularis ipse, et omnes, qui aderant, magnopere ,, mirarentur, qua ratione vir centum ac viginti annos ,, natus tot tormenta perferre potuisset ,,. Idem ipse Eusebius *praeparat. evang. lib.* I. *cap.* IV. *pag.* 13. *edit. an.* 1628. ,, Ipsae quoque, *inquit*, apud nos puellae, te- ,, nerique pusiones, adeoque barbari homines, iidem- ,, que, si oculis existimarentur, viles, et abiecti, Serva- ,, toris nostri viribus, auxilioque freti, huius de anima- ,, rum immortalitate doctrinae veritatem reipsa potius, ,, quam oratione comprobarunt ,,. Vide supra descriptum Lactantii Firmiani locum ex *lib.* v. *cap.* XIII. *divinar. institut. p.* 393. *seq.*, quo etiam *capite p.* 395. *tom.* I. sic habet: ,, Nostri (ut de viris taceam) pueri, ac mulier- ,, culae tortores suos taciti vincunt, et exprimere illis ,, gemitum nec ignis potest ... Ecce sexus infirmus, et ,, fragilis aetas dilacerari se toto corpore, urique perpe- ,, titur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, ,, sed voluntate, quia confidunt Deo ,,.

(3) Vide *tomum primum huius operis p.* 433. *not.* 2.

(4) Confer *tomum eumdem primum huius op. p.* 403. *not.* 2.

(5) Adeundus Lucianus *loc. cit. dialogi de morte peregrini.*

(6) *Fragm. epist. opp. par.* I. *p.* 529. *edit. an.* 1630. Caecilius praeterea apud Minucium Felicem in Octav. p. 79. ,, Proh mira, *inquit*, stultitia, et incredibilis au- ,, dacia! Spernunt tormenta praesentia, dum incerta ,, metuunt, et futura, et dum mori post mortem ti-

que christianae religionis testimoniis confirmari etiam, atque etiam, demonstrarique ad veritatem plane potest. Sed quoniam brevitas operis, quominus eadem persequar, est impedimento; eadem missa faciam, aggrediarque de temperantia veterum christianorum, ita ut proposueram, dicere.

CAPUT VI.

DE TEMPERANTIA VETERUM CHRISTIANORUM.

Temperantiam autem appello, non in epulas, neque in libidinem modo, sed etiam in omnes non rectos impetus firmam animi, moderatamque dominationem. Quamobrem latius patet virtutis, de qua aggredior dicere, quam vulgi sententia ferat (1), notio. Ac impetus quidem non recti partim in animo sive ignoratione, sive mala institutione, propensioneve ex originis peccato profecta; partim ex corporis, animique coniunctione oriri solent. Incitari namque homines ad inanem gloriam, ad fastum, ad invidiam possunt: quae sane vitia animum quidem, cui inhaerent, et in quo nascuntur, inficiunt. Sed quoniam de virtutibus veterum christianorum, quae hisce vitiis opponuntur disputatum est; restat, ut de ceteris agendum videatur, quae sunt moderatrices commotionum, originem ex animi, corporisque coniunctione ducentium. Ordiar autem a sobrietate, qua sane virtute qui praestant, hos licebit temperantes in cibo, ac potu dicere. Nam sobrietatem voco virtutem, quae vitio gulae, hoc est voracitati, opponitur.

„ ment, interim mori non timent. Ita illis pavor, et „ fallax spes solatio redivivo blanditur „. Sic ethnici nos, cum aut imperiti rerum nostrarum, aut malevolentia incitati essent, insectabantur. Sed de testimoniis ethnicorum satis dictum est. Atque aliis quidem in locis Taciti quoque, ac Plinii verba de christianis descripsimus, ut non sit opus eadem huc transferre.

(1) Clemens alexandrinus *lib.* II. *stromateon p.* 395. temperantiam dicit esse *habitum, qui eligendo, et vitando servat iudicia prudentiae.* Pag. autem sequente hanc ipsam virtutem esse sine *fortitudine* posse negat. Quamobrem cum dictum de fortitudine sit cap. superiore, dicendum hoc loco existimavi de temperantia.

§. I.

De maiorum nostrorum sobrietate.

Cum ergo sibi maiores nostri persuasissent, nos virtuti, et sempiternae gloriae natos esse, uti quemque nostrum cibo, ac potu oportere aiebant, non oblectationis capiundae, sed sustentandae vitae caussa, ut exercere se in virtute, aliisque adiumento esse, atque utilitati possit. Seligenda propterea alimenta esse statuebant, quae simplicia, non nimio studio composita ad voluptatem sint. Nam haec ad curandam valetudinem minime conferre (1). Immo vero fuisse olim, esseque iam medicos, et hos quidem magnos, ac nobiles, qui ciborum varietatem morborum esse defendant caussam. Itaque christiano dandam esse operam, ut imperet, non ut indulgeat gulae. Atque apostolum quidem instinctu Dei, afflatuque incitatum, non (2) optandos esse cibos divitum constituisse. Divitum autem nomine ethnicos, qui ventri, abdominique suo nati viderentur, opesque suas in cibis eiusmodi comparandis consumerent, indicabat. Quare Petrus aposto-

(1) Clemens *paedag. lib.* II. *cap.* I. *p.*139. „ Atque alii quidem homines vivunt, ut comedant, quod certe etiam rationis expertibus evenit animantibus, quibus nihil aliud, quam venter vita est: nobis autem paedagogus praecipit comedere, ut vivamus. Neque enim nostrum nutritio munus est, neque institutum noster voluptas; sed ea nutritio est propter nostram hic mansionem, quam ad incorruptionem ratio instituit. Et ideo secernitur, ac eligitur alimentum. Est autem ipsum simplex, et non nimio studio comparanda, nimisve curiose, sed simplicibus, et minime curiosis pueris apta, ut apposite varietas, utpote quod ad vivendum non ad lautitias, deliciasque aptum sit. Ipsum autem vivere ex duobus sanitate scilicet, et viribus constituitur, quibus maxime convenit alimenti facilitas, ut quod et ad digestionem, et ad corporis levitatem sit utile, ex quibus incrementum, sanitas, et iustae vires, non autem iniustae, lubricae, et miserae, qualis sunt, quae athletis ex illa sua edendi necessitate obveniunt. Sunt igitur multiplices qualitates respuendae, quae varia detrimenta pariunt, malas corporum habitudines, stomachorum subversiones, cum corruptus, et constupratus sit gustus misera, et infausta quadam condiendi arte, et inani in faciendis bellariis artificio. Audent enim appellare nutritionem studium deliciarum, quod in noxias voluptates dilabitur. Antiphanes autem delius medicus vel unam hanc dixit esse morborum caussam, ciborum varietatem, quam qui veritatem aegre ferunt, multiplici, nescio qua, vana gloria frugalem, et moderatum victum abiurent, et transmarinas escas anxie perquirunt. Ac mihi quidem morbi eorum misereri lubet, ipsos autem non pudet suas decantare delicias. Cum enim in freto sunt siculo, muraenas anxie, et sollicito animo perquirunt, et Maeandri anguillas, et qui in Melo sunt haedos, et qui in Sciatho mugiles, Pelori conchas etc. „

(2) Clemens *ibid. p.*141. „ At mihi quidem videtur homo, qui est eiusmodi, nihil esse aliud, quam bucca, aut maxilla. *Ne desideres autem*, inquit scriptura (I. *cor.* 6.) *cibos divitum*, ii enim vitae non verae, et turpi coniuncti sunt. Illi enim dant operam obsoniis, quae fimus paullo post excipit, nobis autem cibum caelestem venerantibus necesse est ventri, qui est sub caelo, imperare, et multo magis iis, quae ei amica, et grata sunt, *quae Deus abolebit*, inquit apostolus, *veraces gulae cupiditates iure execrans. Escae enim ventri*, ex quibus haec carnalis, et quae interitum affert, vita dependet etc. „

lorum a Christo servatore princeps dictus in priore (1) epistola, sobrios nos esse, ac vigilare oportere iubet, nisi circumveniri, vincique a diabolo velimus, qui circuit quaerens, quem devoret. Ex crapula enim, ingluvieque cupiditates pravae oriuntur, quibus velut armis abuti hostis generis humani solet, ut inferat animis extremam perniciem, atque interitum sempiternum. Noverant autem veteres christiani conditos cibos quoscumque (2) a Deo esse, ut iisdem mortales uterentur; sed cavendum esse, ne quis intemperanter uteretur, perinde noverant. Neque enim extolli eorum mentes (3), qui cibo oppressi sint, convertere in Deum cogitationem, precibusque instare posse. Itaque id etiam, atque etiam curabant, ut sua quoque convivia exigua, sobriaque (4) essent. Haec agapas appellabant. Quod si aliquos esse intelligebant,

(1) *Cap.* v. v. 8.

(2) Ecclesiae lugdunensis, atque viennensis in ea epistola, quam ad ecclesias Asiae, Phrygiaeque scripserunt, *apud Eusebium lib.* v. *hist. cap.* iii. *pag.* 212. *edit. cantabrig.*, de Alcibiade loquentes, sic habent: ,, Alcibiades quidam ex illorum martyrum numero durum, et squallidum vivendi genus sectabatur, nullumque omnino cibum admittens, solo pane, et aqua ad id usque temporis vesci consueverat. Cumque in carcere positus eamdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post primum, quod in amphitheatro certamen fecerat, revelatum est, non recte, neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaturis Dei minime uteretur, et aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, et cunctis deinceps cibis promiscue uti coepit, gratias agens Deo ,,.

(3) S. Cyprianus epistola xi. *pag.* 26. *edit. oxon.* ,, Sed et de victu parco, et sobrio potu divinis dignationibus admonemur, scilicet, ne vigore coelesti sublime iam pectus illecebra saecularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata, minus ad preces orationis evigilet ,,. Confer Tertullianum initio *lib. ad martyras.*

(4) Tertullianus apologetici *cap.* xxxix. *p.*121. *edit. venetae an.* 1744. *in append.* ,, Non epulis, neque potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque etc. ,,. Pag. 122. ,, Nam et coenulas nostras, praeterquam sceleris infames, ut prodigas sugillatis ... Sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quam in suo trabem ... De solo triclinio christianorum retractatur. Coena nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur, quod dilectio penes graecos est. Quantiscumque sumtibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumtum, siquidem inopes quosque refrigerio isto iuvamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandae libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta caussa est convivii, reliquum ordinem disciplinae aestimate, qui sit de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodestiae. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur. Editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum *pudicis* est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam pro noctem adorandum Deum sibi esse, ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire. Post aquam manualem, et lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit: atque oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas caesionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiae, et pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam. Haec coitio christianorum merito sane illicita, si illicitis par, merito damnanda, si non dissimilis damnandis ,,. Minucius Felix in Octav. *pag.* 309. *edit. an.* 1672. ,, Convivia, *inquit*, non tantum pudica colimus, sed et sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus ,,. Plinius iunior *epist.* xcvii. *lib.* x. ,, Morem (christianorum) fuisse, *inquit*, coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen, et innoxium ,,. Etsi vero innoxium dicat, quod repellere vellet de caede infantis accusationem, tamen satis etiam indicat, nihil in eo cibi genere gustando intemperantiae fuisse.

qui cum delicata obsonia conquisissent (1), parassentque, tum haec agapas dicere auderent, eos vehementer redarguebant, propterea quod *amori*, *dilectionique sanctae*, quam *agapes* vocabulum indicat, irrogarent insignem iniuriam. Maxima vero pars nostrorum hominum ita erat affecta, atque instituta, ut abstinentia, temperantiaque (2) carnem rationi subigere conaretur. Quae res tam erat manifesta, ut ab illis, cum contra ethnicos agerent, palam praedicaretur. Id quod numquam fecissent, si res se, contra atque ipsi dicerent, habuisset. Accedit hostium christiani nominis auctoritas, qui cum minime nostros laudarent, tum maxime statuebant, moderate illos temperanterque vivere. In his est auctor Philopatridos (3). Haec igitur, quoniam inimicis etiam religionis christianae explorata erant, patres iure quodam suo ad repellendam calumniam sumebant, concludebantque errare vehementer eos, qui Christum, eiusque discipulos inanem quamdam, impuramque sectam in genus hominum invexisse, dicerent. Factum enim doctrina servatoris Christi fuisse animadvertebant, ut graeci, barbarique unum, omnipotentem, nullisque aut huius universitatis rerum, aut temporum finibus comprehensum, caeli, terraeque conditorem Deum venerarentur, ac celebrarent, continerent in officio se, nihil non temperanter, pudiceque agerent, omnesque tum ventris, tum rerum earum, quae sub ventre sunt, voluptates aversarentur, ac fugerent (4). Quae sane res in caus-

(1) Clemens alexandrinus loc. cit. ,, Caenolia vita, *inquit*, quam audent quidam agapen vocare, effrenate linguae utentes, nempe quaedam prandiola nidorem, et ius redolentia pulcrum, ac salutare verbi opus: sacram *agapen* ollis oscio quibus, et liquido iure dedecorantes, potuque deliciis, et fumo illud nomen maledicto persequentes: falluntur existimatione, ut qui Dei promissum prandiolis se posse emere expectaverint ,,. Atque apostolus quoque in *epist. I. ad corinth. cap.* XI. v. 20. *seq.* eos redarguit, qui *coenam suam praesumerent ad manducandum*, et in coetum venirent, pauperesque, cum lauta ipsi sese tractarent, confunderent.

(2) Origenes *lib.* v. *contra Celsum n.* 49. *p.*319. *edit. opp. venetae tom.* I. ,, Nec iudaeos, nec nos ferit, quod Celsus de sacerdotibus aegyptiis refert, eos non modo suibus, sed etiam capris, ovibus, bobus, et piscibus abstinere, quum id, quod in os intrat, non coinquinet hominem, nec esca nos commendet Deo, abstinentia non gloriamur, *neque gula ad comedendum adducimur*. Igitur valeant, per nos licet, pythagorici, qui animatis abstinent. Video autem, quam dispar sit pythagoricorum animatis abstinentium, et nostrorum ascetarum ratio. Illi enim animatis abstinent propter fabulam de migratione animae in varia corpora ... nos vero, si quando abstinemus, id a nobis fit, ut castigetur corpus, et in servitutem redigatur. Quippe volumus *mortificare membra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam malam*, et nihil non experimur, ut facta carnis mortificemus ,,.

(3) *Tom.* III. *opp. Luciani n.* 23. 26. *pag.* 612. *seq. edit. an.* 1743.

(4) Eusebius caesariensis *praeparat. evang. lib.* I. *cap.* IV. *p.* 12. *seq.* ,, Per unam hanc evangelicam Servatoris nostri doctrinam effectum est, ut ex graecis pariter, ac barbaris, quotquot eius verbum sincero animo, non simulatione quadam, et inani ostentatione suscipiunt, cum supremum philosophiae gradum attingant, ut unum eumdemque summum

sa erant, cur illorum permulti pallidi, macilentique essent (1). Quum enim carnem vigiliis, continentique abstinentia, temperantiaque domare, ac rationi subiicere studerent, vigere ita corpus non poterat, ut colorem servaret (2). Neque enim metus suppliciorum, quae nostris ethnici minarentur, sic eos commovebat, ut pallere cogeret. Nulla namque res ipsis optabilior cruciatu erat, quo se gratos Deo futuros prospicerent. Est autem in actis Procopii martyris a vetere scriptore monumentis traditum litterarum, virum optimum iam usque a teneris, ut aiunt, unguiculis, id unum maxime laborasse, ut temperate, sobrie, caste, integreque, velut Christi imitatorem, atque discipulum decebat, viveret. Itaque sic fatigasse, attenuasse, ac pene macerasse corpus, ut brevi, qui eum videbant, moriturum arbitrarentur. Cibus namque illi, ac potus panis tantummodo, et aqua erat. His autem adeo parce utebatur, ut ieiunium ad duos saepe, interdum vero ad tres quoque dies produceret. Ergo cupiditate rerum caducarum superata, subactaque rationi carne, dabat operam, ut ab se precum nulla intermissio fieret. Diuturna autem prece, exercitationeque virtutis, cum illud esset consequutus, uti se optime nosceret, demissum animum praeseferret, submitteret ceteris se, atque erga illos mitis, benignusque esset, tandem martyr decessit, praemiumque obtinuit abstinentiae, atque laborum. Fuerunt praeterea maiorum nostrorum nonnulli tanta sobrietate, ut cum domandi corporis caussa sibi a vino, a sicera, a carnibus, a rebus denique universis, quae afferre delectationem pos-

„ Deum, nullis huius aut universitatis, aut aevi finibus comprehensum, praepotentem caeli, terrarumque regem, ac dominum, solis, astrorum, totiusque mundi procreatorem venerantur, celebrent, Deumque fateantur: ita porro vitam, quasi adamussim exigere, conformareque studeant, ut ipsum etiam oculorum sensum disciplinae legibus contineant, nihilque non temperatum ex aspectu cum cupiditate coniunctu in animum subire patiantur, ac vel ipsa excogitatione radicitus genus omne foedae perturbationis excidant. Haec omnia quis plurimum omnibus hominibus ad bene, beateque vivendum momenti afferre non videat? Ad haec quod infinita virorum, mulierum, ac puerorum, servorum pariter, atque liberorum, ignobilium, et nobilium, nec non barbarorum simul, atque graecorum, omnibus in locis, oppidis, regionibus, et quotquot soli subiectae sunt, nationibus, ad subeundam eorum praeceptorum, quibus nuper informati sumus, disciplinam, denso agmine multitudo confluat, eiusmodique sermonibus aures praebeat, quibus ad coercendam non actionum modo petulantiam, verum etiam earum, quae in sola mente versantur, cogitationum turpitudinem, omnesque tum ventris, tum, quae sub ventrem sedem habent, voluptates domandas excitetur „.

(1) Hos ut derideret auctor dialogi Philopatridos, cum in coetum christianorum admissus esset, vidisse homines dixit se ἐπὶ γῆν κεκυφότας, καὶ κατωχριωμένους, *vultibus in terra pronis, pallidisque. Tom. III. opp. p.* 642. *num.* 23.

(2) Acta s. Procopii *apud Ruinartium pag.* 310. *seq. edit. veron.*

sent, temperarent, non christianis reliquis modo, sed iudaeis etiam admirationi essent (1).

Ac de tenui quidem, sobrioque victu veterum christianorum satis est disputatum. De ieiuniis erunt fortasse, qui agendum hoc loco putent: quoniam tamen singularis est a nobis perscribendus de sacris temporibus liber, transferenda eodem visa est omnis de illa ipsa re disputatio. Ad ciborum delectum quod attinet, primum omnium satis constat, maiores nostros (quamquam lege ceremoniarum iudaicarum solutos se a Christo servatore esse scirent, cognitumque haberent, re nulla, quae in os immitteretur, inquinari hominem posse; tamen, quod traditum ab Luca *in actis* esset, cautum a Petro, iisque Christi (2) discipulis, qui Hierosolymam sedandarum controversiarum caussa convenerant, fuisse, ut quicumque christianae religioni dedissent nomen, a certis destinatisque quibusdam cibis abstinerent) diu multumque eam disciplinam colere consuesse, ut ne soffocatis (3)

(1) Eusebius caesariensis *lib.* II. *hist. cap.* XXIII. *p.* 78. *edit. cantabrig.* de Iacobo apostolo minore agens ,, Hic, ,, *inquit*, ab ipso matris utero sanctus fuit, nec vinum ,, nunquam bibit, nec *siceram*: ab animantium carnibus ,, penitus abstinuit ,,.

(2) *Act. apost. cap.* XV. v. 6. *seq.*

(3) Ecclesiae lugdunensis, et viennensis apud Eusebium *lib.* V. *hist. cap.* I. *p.* 203. de Bibliade martyre ad eccl. Asiae, Phrygiaeque saeculo secundo scribentes, sic ,, habent: ,, Contradicens impiis, qui fieri potest, in- ,, quit, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem ,, quidem animantium degustare licet ,, ? Tertullianus extremo saeculo secundo *in apolog. cap.* IX. *p.* 38. *edit. venetae an.* 1744. *in append.* scripsit hoc modo: ,, Eru- ,, bescat error vester christianis, qui ne animalium qui- ,, dem sanguinem in epulis esculentis habemus. Qui ,, propterea quoque suffocatis, et morticinis abstine- ,, mus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra vi- ,, scera sepulto ,,. Minucius Felix III. saeculi scriptor in Octav. *pag.* 300. *edit. an.* 1672. ,, Tantum ab humano ,, sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ,, sanguinem noverimus ,,. Clemens alexandrinus *l.* III. *paedagogi cap.* III. *p.* 228. *edit. paris. an.* 1641. ,, Quod ,, si potus barbaris defecerit, lac mulgent. Exinanita ,, autem nutrimento, ne sanguini quidem parcunt, ut ,, fertur de lupis rabie agitatis. Illae vero barbaris man- ,, suetiores, etiam iniuria affectae, mali accepti non re- ,, cordantur, sed solitudinem confidenter percurrunt, ,, dominos simul portantes, et alentes. Pereant ergo ,, immanes belluae, quibus est cibus sanguis. Neque ,, enim hominibus fas est tangere sanguinem, quibus ,, corpus nihil est aliud, quam caro sanguine ,,. Origenes *lib.* VIII. *contra Celsum* n. 30. *tom.* I. *opp. edit. monach. s. Mauri*, ,, Namque idolothytum, *inquit*, dae- ,, moniis immolatur, et hominem Dei non oportet ,, mensae daemoniorum fieri participem. Ad suffocata ,, quod attinet, cum sanguis ex eis non expressus fuerit, ,, et sanguinem ferant alimentum esse daemonum, qui ,, partibus ex illo exhalantibus nutriuntur, illis intercidit ,, nobis scriptura, ut ne nos daemonum cibo nutria- ,, mur. Fortasse enim si suffocatis vesceremur, quidam ,, huiusmodi spiritus eisdem nobiscum vescerentur. ,, Item vero ex iis, quae de suffocatis diximus, patet ,, causa cur e sanguine abstineamus ,,. Canon ex iis, qui dicuntur apostolici, LV. *tom.* I. *pp. apostolicor. p.* 450. *edit. an.* 1724. ,, Si quis episcopus, aut presbyter, aut ,, diaconus, aut omnino ex catalogo clericorum man- ,, ducaverit carnem in sanguine animae eius, vel ca- ,, ptum a bestia, vel morticinum, deponatur; id enim ,, lex quoque interdixit ,,. Saeculo IV. eadem fere, at- que Tertullianus, scripsit auctor *apostolic. constitut. lib.* VI. *cap.* XII. *p.* 345. *tom.* I. *pp. apost. edit. eiusd.* Prudentius *cathemer. hymn.* III. *p.* 17. *edit. an.* 1687. *Delph.*

,, Fundit opes ager ingenuas,
,, Dives aristiferae segetis;
,, Hic ubi vitea pampineo
,, Brachia palmite luxuriant,
,, Pacis alumna ubi bacca viret.
,, Haec opulentia christicolis
,, Servit, et omnia suppeditat.
,, Absit enim procul illa fames,

animantibus, eorumque sanguine, neque rebus, quae immolatae idolis essent, vescereutur. Atque ad sanguinem quod spectat, etsi fuerunt aliqui, et ii quidem docti, ac veteres, qui secus esse actorum apostolicorum locum explicandum, ac nostra ferat opinio, putarent (1); tamen hi aut corruptis codicibus usi sunt, aut vim verborum, quibus res omnis a Luca expressa est, assequi nequiverunt. Itaque Cyprianus (2), qui non esum, sed effusionem sanguinis synodi hierosolymitanae ab apostolis celebratae decreto vetitam arbitratur, quidquid tandem in caussa fuerit cur deciperetur, deceptus tamen est, descivitque a communi ec-

„ Caedibus et pecudum libest
„ Sanguineas lacerare dapes.
„ Sint fere gentibus indomitis
„ Prandia de nece quadrupedum;
„ Nos oleris coma, nos siliquae
„ Foeto legumine multimodo
„ Paverit innocuis epulis.

Cyrillus hierosolymitanus *catech.* IV. *p.* 34. *edit. an.* 1640. „ Ac de cibis haec vobis dogmata serventur, quandoquidem et multi in hoc genere peccant. Nam quidem sunt, qui sine discrimine immolata idolis attingunt, alii abstinent quidem, verum eos, qui vescuntur iis, damnant, et ita variis quorumdam animae in hac quaestione de cibis inquinatur, ignorantium utiles, et commodas cum vescendi, tum abstinendi caussas. Ieiunamus enim, et vino carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem captantes, ut dum sensibus grata contemnimus, spirituali, coelestique mensa fruamur; atque nunc seminantes cum lacrimis, cum exultatione metamus in saeculo venturo. Ne igitur parvipendas eos, qui vescuntur, et ob corporum imbecillitatem sumunt, neque culpes, qui pauco vino utuntur propter stomachum, et crebras infirmitates, neque carnes ut alienas oderis: cuiusmodi nonnullos noverat apostolus, cum diceret (*Timoth.* I. *cap.* IV, *v.* 3.) prohibentium nuptias, abstinentiam a cibis, quos Deus creavit percipiendos fidelibus cum gratiarum actione. Qui ergo te ab his abstines, non quasi ab abominandis, et nefariis abstine, alioqui mercede cares: sed cum bona sint, praetermitte ob illa spiritalia meliora tibi proposita. Animum tuum obfirma, ne quid umquam edas eorum, quae sint idolis oblata. Nam de his non mihi solum, sed etiam apostolis, et Iacobo huius ecclesiae olim episcopo curae fuit, scribuntque apostoli, et seniores omnibus gentibus communem catholicam epistolam, ut in primis idolothytis abstineant, deinde et sanguine, atque suffocato. Nam hominum multi feri, et immanes, moreque canino viventes sanguinem lambunt, agrestium, et ferociam belluarum imitati, suffocata devorant abunde. Tu autem Christi servus comedens, reverentia, modestiaque adhibita comede „. S. Iohannes chrysostomus *homilia* LI. *in Matthaeum tom.* VII. *app. edit. paris. Montfauconi p.* 524. „ Tanta cura, *inquit*, ciborum observatio defendebatur, tanta existimatione hominum muniebatur, ut vel post resurrectionem Petrus diserit: Nequaquam, domine, quia numquam commune, aut immundum quid comedi „. Confer eumdem in *cap.* XV. *actor. apostolic. homil.* XXXIII. *p.* 256. *tom.* IX. At quae de suffocato, et sanguine non comedendis praescripta ab apostolis sunt, ita refert Cyprianus in III. *testimoniorum libro p.* 91. *edit. oxon.*, ut rem quampiam omnino discrepantem indicare videantur. Nam de effusione sanguinis, de idololatria, deque fornicatione fugienda, ea intelligi oportere putat, contra atque locus actorum postulat. Scribit autem Cyprianus hoc modo. „ Item in actibus apostolorum: Visum est Spiritui sancto et nobis nullam vobis imponere sarcinam, quam ista, quae ex necessitate sunt, abstinere vos ab idololatriis, et sanguinis effusione, et fornicatione „. Graeca autem verba Lucae sunt huiusmodi, et abstinere christianos eorum temporum significant oportere, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, *et sanguine, et suffocato*. Sed de veterum christianorum sententia, quae ad abstinentiam a sanguine, et suffocato pertinet, satis haec sunto.

(1) Ridicula est Origenis opinio: Idcirco enim a *sanguine* ut nobis temperamus praescriptum esse putat, quod eius exhalationibus, ac nidore daemones alerentur. Vide *loc. descript. not. sup.*

(2) Cypriani locum descripsi *extrem. not.* 3. *super.* Eodem fere modo loquitur s. Pacianus episcopus barchinonensis paraenesi ad *poenitentiam* n. 101. *tom.* II. *concilior. hispan. edit. Aguirrii p.* 95., ubi recitato *actor.* e *cap.* XV. loco, *ut abstineatis vos ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione*. „ Quid aget, *inquit*, sanguinarius? „ Quod remedium capiet fornicator? Numquid eos „ placere domino desertor ipsius potuit? Aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum? etc. „.

clesiae pervulgataque sententia. Quamobrem Augustinus (3), qui sanctum martyrem, si quis alius umquam, venerabatur, magnoque in pretio, atque in honore habebat, impetrare ab se nullo modo potuit, ut ipsi assentiretur. *Abstinentia* enim a *sanguine*, quam apostoli praescripserunt, quid est aliud obsecro, nisi cautio, ne quis sanguine vesceretur? Ergo Irenaeus (4), qui in actorum apostolicorum codicem incidit, qui similis esset eius, quem habuit Cyprianus, quod attinet ad decretum de sanguine, sic omnino rem explicavit, ut patres ceteri consueverant.

Quae autem caussae fuerint, cur apostoli, ne quis sanguine vesceretur, sive ex iudaeis, sive ex ethnicis ad christianam religionem accessisset, caverent, demonstrandum est. Principio magnis in erratis Origenis (1) sententia est, qui fas non esse ait sanguinem animantis comedere, propterea quod eius nidore daemones alerentur. Quemadmodum enim ali sanguine potest immortalis natura vacans corpore? Quod si vixisse olim christianos constat, qui nidore delectari daemonas (2) iudicarent, nullus tamen, quod sciam, in eam opinionem descendit, ut eam ob caus-

(1) S. Augustinus *lib.* XXXII. *contra Faustum* c. XIII. *p.* 457. *edit. paris. monachor. s. Mauri tom.* VIII. „ Et in „ actibus apostolorum hoc lege praeceptum ab apostolis, ut abstinerent gentes tantum a fornicatione, et „ ab immolatis, et a sanguine, idest ne quidquam „ ederent carnis, cuius sanguis non esset effusus. Quod „ alii non sic intelligunt, sed a sanguine praeceptum „ esse abstinendum, ne quis homicidio se contami- „ net „.

(2) Irenaeus *lib.* III. *contra haereses cap.* XII. *p.* 199. *edit. paris. Massueti monach. s. Mauri*, sic legit. „ Ut ab- „ stineatis ab idolothytis, et fornicatione, et quaecum- „ que non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis etc. „.

(3) Vide Orig. locum supra descriptum.

(4) Consule Tatianum *orat. contra graecos num.* 13. *p.* 254. *edit. paris. monachor. s. Mauri*. „ Daemones, *in-* „ *quit*, cum se materia compacti fuissent, et spiritum „ ea in traxissent, intemperantes, et gulosi evaserunt; „ alii quidem ad puriorem materiam conversi, alii au- „ tem viliorem eligentes, et ad illius similitudinem vi- „ tam instituentes „. Athenagoram *legat. pro christianis n.* 27. *edit. opp. Iust. paris. an.* 1742. „ Daemonum, qui „ circa materiam versantur, et nidores, ac victimarum „ sanguinem liguriunt etc. „. Tertullianum *lib. ad Scapulam cap.* II. *pag.* 69. *edit. opp. an.* 1675. „ Non eget „ Deus conditor universitatis odoris, ut sanguinis alicu- „ ius. Haec daemoniorum pabula sunt „. S. Cyprianus *lib. de idolorum vanitate num.* 5. *pag.* 10. *edit. amstelod. an.* 1700. „ Hi spiritus sub statuis, atque imaginibus „ consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora „ inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gu- „ bernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris „ semper involvunt. Nam et falluntur, vitam turbant, „ somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus „ occulte mentes terrent, membra distorquent, valetu- „ dinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui „ cogant; ut nidore altarium, et rogis pecorum sagi- „ nati, remissis, quae constrinxerant, curasse videan- „ tur „. Minucius Felix in Octavio *pag.* 30. *edit. Lugd. Batav. an.* 1652. „ Sic a caelo deorsum gravant, et a „ Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, som- „ nos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, „ ut spiritus tenues: morbos fingunt, terrent mentes, „ membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut ni- „ dore altarium, vel hostiis pecudum saginati, remissis, „ quae constrinxerant, curasse videantur „. Confer Iulium Firmicum *de error. prophanar. relig. p.* 19. *edit. an.* 1652., Lactantium *lib.* II. *cap.* XV. *p.* 175. *seq. edit. paris. an.* 1748., Eusebium *praeparat. evang. lib.* IV. *cap.* XV. *p.* 154. *edit. an.* 1628., s. Gregorium nazianzenum *orat.* IV. *advers. Iulian. p.* 127. *edit. paris. an.* 1609. *tom.* I. *opp.*, s. Augustinum *lib.* III. *de civ. Dei cap.* XX. *p.* 78. *tom.* VII. *opp. edit. paris. monach. s. Mauri*, Theodoritum *serm.* III. *de curand. affect. graecor. tom.* IV. *opp. edit. Sirmondi an.* 1642. *p.* 533. *seq.*

sam fuisse sanguinis esu nostris interdictum contenderet. Deinde quamquam observatam diu eam fuisse in ecclesia disciplinam facile patiar, ut omnes sibi ab sanguine temperarent, tamen hoc sive praecepti, sive institutionis genus, in moralibus numerari oportere numquam concedam. Neque enim Grotius (1), Salmasius (2), Becmannus (3), Curcellaeus (4), Vossius (5), aliique, qui hanc opinionem esse ad veritatem censent propensiorem, utut eruditione praestent, extorquere a nobis assensionem possunt. Nam leviora sunt argumenta, quibus omnis eorum oratio nititur, quam ut viro in sacris litteris exercitato exhibere negotium videantur. Ac primum quidem, quod ex vetustate concluditur, inane est. Parvi namque refert, si Noemo, eiusque filiis, a quibus omnes deinceps (6) homines sunt profecti, imposita a Deo lex fuerit, ut sibi ab esu sanguinis caverent. Quid enim obstabat, quo minus praeceptum ex eorum genere aliquod, quae *ceremonialia* vocamus, dari divinitus Noemo posset? Annon iam usque ab eius patriarchae tempore lata lex *de immundis, mundisque* (7) animantibus fuerat? Quotus autem quisque est, qui in moralibus esse illam ponendam putet? Iam vero sacrificia (8) fuisse a Noemo, filiisque oblata quis neget? At *morale* ullum de re divina immolatione animalium faciunda praeceptum esse, nemo sane christianus concesserit. Nam alterum, quod ex Mosis verbis colligitur, simile est profecto superioris. Etsi enim *animam* (9) *cuiusque carnis in sanguine esse* dictum a Mose propheta est, non eo est dictum, quo nemini, propter morale praeceptum, vesci sanguine hircorum, vitulorumque fas esset, sed

(1) *Annotat, in genes. cap.* IX. *p.*9. *seq. tom.* I. *opp. edit. an.* 1679.

(2) De trapezitico foenore *pag.* 449. *seqq. edit. an.* 1640.

(3) Christianus Becmannus *exercit.* 26. *theolog.*

(4) Diatriba de esu sanguinis *cap.* XIII.

(5) Curcellaeus *ibid.* „ Quam opinionem, *inquit,* „ defendi non semel audivi a Gerardo Vossio ... in pu„ blicis suis lectionibus Amstelodami, cum historiam „ ecclesiasticam explicaret „.

(6) Curcellaeus *ibid.*

(7) *Genes. cap.* VII. *v.* 2.

(8) *Ibid. cap.* VIII. *v.* 20. *seq.*

(9) Levitici *cap.* XVII. *v.* 10. *seq.* „ Homo quilibet „ de domo Israel, et de advenis, qui peregrinantur „ inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo fa„ ciem meam contra animam illius, et disperdam „ eam de populo suo: quia anima carnis in sangui„ ne est, et ego dedi illum vobis, ut super altare in „ eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro „ animae piaculo sit. Idcirco dixi filiis Israel, omnis „ anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex „ advenis, qui peregrinantur apud vos. Homo qui„ cumque de filiis Israel, et de advenis, qui peregri„ nantur apud vos, si venatione, aut aucupio ceperit feram, vel avem, quibus vesci licitum est, fun„ dat sanguinem, et operiat illum terra; anima enim „ omnis carnis in sanguine est; unde dixi filiis Israel, „ sanguinem universae carnis non comedetis: quia „ anima carnis in sanguine est, et quicumque come„ derit illum interibit „.

quo intelligeretur, recte, atque ordine piandis scelcribus destinari altari eiusmodi hostias consuesse. Quandoquidem cum anima illius hominis, qui peccasset, iustitiae Dei addicta esset, anima scilicet altera opus erat, qua numen divinum (1) placaretur. Quare eximendus sanguis e censu alimentorum fuit, ut qui Deo sacer esset (2), ac veluti vadis munere fungeretur. Sanguis igitur a Mose non ipse per se considerabatur, sed habita officii, cui destinatus erat, ratione; cum idem ipse sanguis, hoc est ea res, in qua anima inesse dicitur, loco humanae animae offerretur ad placandum Deum. Ceterum si sanguis per se ipse consideretur, nihil est quod obstet, quin eo mortalibus vesci liceat. Ac si manducare cor nihil prohibet, quod est principium αἱματώσεως, quam nos *sanguificationem* dicere possumus, quid est, quod uti sanguine prohibeamur? Extremum, quo maxime Becmannus confidit, quale tandem est? Cautum est, inquit, ne quis sanguinem comedat, ut mortales deterrerentur ab homicidii (3) scelere. Verumtamen non animadvertit, numerari omnia in praeceptis moralibus non oportere, quorum est caussa moralis. Annon caussa moralis est vitandae offensionis ratio? Quis autem tam est absurdo ingenio, ut moralem esse praeceptionem putet de abstinentia a certis quibusdam, destinatisque cibis, quibus si vesci interdum maiores nostri voluissent, scandalo simplicibus fuissent? Sed nego caussam, cur abstinentia ab sanguine praescriberetur, fuisse talem, qualem Becmannus, eiusque symmystae vellent. Non enim Moses, ex iure naturae, sed ex umbris, figurisque eam legem repetendam putavit, quae omnes adventu Christi servatoris ablatae sunt. Quod si ratione homicidii vitandi lata eiusmodi a

(1) Vide notationem superiorem.

(2) Vide locum supra descriptum levitici. Apostolus Paulus *epist. ad haebreos cap.* ix. v. 19. *seq.* „ Lecto „ enim omni mandato legis a Mose universo populo, „ accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum „ aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque „ librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic „ sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. „ Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii san„ guine similiter aspersit: et omnia pene in san„ guine secundum legem mundantur, et sine sangui„ nis effusione non fit remissio „. Vide et v. 13. Itaque constat ad usus sacros sanguinem a Mose fuisse adhibitum.

(3) Fortasse moveri quis ad eam opinionem tuendam poterit *cap.* ix. *geneseos* v. 4. *seq.* auctoritate. Nam sic habet: „ Excepto quod carnem cum sanguine „ non comedetis. Sanguinem enim animarum vestra„ rum requiram de manu cunctarum bestiarum, et „ de manu hominis, de manu viri, et de manu eius „ requiram animam hominis. Quicumque effuderit „ humanum sanguinem, fundetur sanguis illius „. Coniuncta enim lex de non comedendo sanguine cum lege de non perpetrando homicidio eo in geneseos loco est. Sed non est necesse, ut una ex altera sequatur. Alioquin quae sequuntur de *pactis*, ex lege de non comedendo sanguine, deque non perpetrando homicidio sequerentur, quare nihil dici potest obtusius.

Mose lex est, cur non item praescriptum fuit, ne quis oves, bovesque interficere anderet? An sanguinis esus magis ad occidendum hominem incendit, quam caedes animalium ratione carentium?

Ego autem sic existimo: praeceptionis apostolicae caussas fuisse duas, quarum altera certa est, altera etsi non certa, sic tamen comparata, ut accedat ad veritatis similitudinem. Atque ut a postremo ducam huiusce orationis exordium, nullum dubium est, quin apostoli, eorumque auditores id laborarent, idque vehementer eniterentur, ut a superstitione christianos deterrerent. Quoniam vero in sacris, ceremoniisque deorum ethnici interdum sanguine vesci (1) solebant, mirabile non est, si eam quoque ob caussam esum sanguinis gentilibus christianis factis prohibendum existimarint, ut ne qua in re illis cum idololatris conveniret. Prior est caussa, eaque iam certa, ut diximus, atque testata, exque ceremoniis iudaicis profecta, quarum aliquae permissae ab apostolis sint, studio tollendarum dissensionum. Sancitum enim

(1) Ezech. *cap.* xxxiii. v. 25. „ Qui in sanguine „ comeditis, et oculos vestros levatis ad *immunditias* „ *vestras* „ : alia versio ad *idola vestra*. Confer Clementem alexandrinum in *admonit. ad gentes pag.* 9. *edit. an.* 1641., Arnobium *lib.* v. *pag.* 169. *edit. an.* 1651. „ Bacchanalia etiam permittamus immania, quibus „ nomen omophagiis graecum est, in quibus furore „ mentito, et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine, ac maiestate doceatis, caprorum reclamantium „ viscera cruentatis oribus dissipatis „. Curcellaeus *ibid.*, atque Heidegerus *de libert. a lege cibar.* ix. *cap.* xx. Maimonidem reprehendunt aientem: „ Quoniam ea „ saeculo facere solebant gentilium reges, etiam idololatriae causa ita faciebant, scilicet animali abscindebant membrum aliquod, atque ita comedebant „. Sed omophagia Bacchi eos revincere facile potest. Confer Prudentium i. *contra Symmachum pag.* 212. *edit. an.* 1625. Quin etiam s. Thomas 1. 2. *quaest.* 102. *art.* 3. „ Hoc, *inquit*, generaliter observabatur, quod sanguis, „ et adeps non veniebant, neque in usum sacerdotum, neque in usum offerentium, sed sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, „ adeps vero adurebatur igne, cuius una quidem causa „ fuit ad excludendam idololatriam. Idololatrae enim „ bibebant de sanguine victimarum, et comedebant „ adipes „. Prudentius hymno x., qui est de Romano martyre *pag.* 135. *edit. an.* 1625., de superstitione taurobolii agens, quo se magnae matri ethnici devovebant, sic habet:

„ Hic ut statuta est immolanda bellua,
„ Pectus sacrato dividunt venabulo,
„ Eructat amplum vulnus undam sanguinis
„ Ferventis, inque texta pontis subditi
„ Fundit vaporum flumen, et late aestuat.
„ Tum per frequentes mille rimarum vias
„ Illapsus imber tabidum rorem pluit,
„ Defossus intus, quem sacerdos excipit,
„ Guttas ad omnes turpe subiectans caput,
„ Et veste, et omni putrefactus corpore.
„ Quin os *supinat*, obvias offert genas,
„ Supponit aures, labra, nares obiicit,
„ Oculos et ipsos perluit liquoribus,
„ *Nec iam palato parcit, et linguam riget,*
„ *Donec cruorem totus atrum combibat.*

Scio esse aliquos, qui hunc ritum non esse Marci Antonini aetate antiquiorem putent. De qua re consuli poterit Antonius Vandalenus *antiq. marm. dissert. de orig. et ritib. sacri taurobolii cap.* i. *p.* 7. *edit. an.* 1702. Sed etsi monumenta Marci aetate antiquiora, quae rem eamdem statuant, non essent in promptu, tamen concludi inde non potest, tum primum eadem sacra coepisse. Ac dominus de Boze quindecim annis vetustiore monumenta nobis suppetere affirmat. *Dissert. sur les tauroboles hist. acad. inscript. tom.* ix. *p.* 121. *edit. amstelod.* Itaque haec sacra translata ex Phrygia una cum reliquis Cybeles ceremoniis putat Moshemius *dissert. historico theologica de studio ethnicorum christianos imitandi* §. xx. *p.* 385. Sed de taurobolio consulendus

ceremoniali lege in vetere testamento fuerat, ut ne quis (1) sanguinem, neque adipem, ut qui consecrati essent, manducaret. Cumque iudaeorum aliqui nostris sacris, mysteriisque initiati, adeo essent addicti mosaicae legi, ut ne ethnicos christianos factos salutem consequi posse dicerent, qui praecepta, quae pentateucho continerentur, non observarent (2); ut ea omnis dissensio tolleretur, hac sunt usi apostoli (3) oeconomia, ut omni-

etiam est Philippus a Turre episcopus adriensis *epist. ad Gisbertum Cuperum*, quae extat apud Iohannem Clericum tom. XVII. *bibl. choisie p.*468.

(1) Confer locum e levitico supra descriptum.

(2) Vide acta apostol. *cap.* xv. v. 5.

(3) Salmasius *loc. cit. pag.* 450. negat, primo per prohibitionem sanguinis canone apostolico firmatam tamquam ἀδιάφορον sibi interdictum primos christianos existimasse, sed propter συγκατάβασιν iudaeorum. Secundo vel apostolos in gratiam iudaeorum christianorum hoc e se descendentia quadam prohibitum praestituisse, ut qui prohibuerint tamquam re a qua necesse esset abstinere, quod de re indifferente non dixissent. Tertio vel aliter accepisse primitivam ecclesiam, quae etiam sublata συγκαταβάσεως caussa, cum metui locus non esset, ne offenderentur animi iudaeorum christianorum, aeque sibi temperandum sanguinis esu putavit, ac sacrificiis, ut synodorum gangrensis, et trullanae, et patrum Tertulliani, aliorumque etiam recentiorum auctoritate statui potest. Eo autem magis in sententia sese confirmari scribit, quo apostoli in hunc prohibitorum censum retulerint etiam fornicationem. Nam si illa, inquit, indifferentia sunt, certe et haec. Si non haec, certe nec illa. Atque ea, quae necessaria observatu visa apostolis sunt, referri in res adiaphoras inficiatur posse. Sed de patrum sententia dicam paullo post. Quod ad apostolos attinet, etsi fornicationem non *condescendentia*, sed necessitate inducti vetuerint quod natura prohibita sit, tamen συγκαταβάσει usi prohibere suffocatorum, sanguinisque esum, et idolothyta putarunt. Quamobrem Paulus *in epist.* I. *ad corinthios cap.* VIII. v. 1. *seq.* „De iis, *inquit*, quae idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus ... De escis autem, quae idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est deus nisi unus ... sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant, et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis, si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia, frater propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem „. Et *cap.* x. v. 25. „Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes, propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea iudicabitur ab aliena conscientia? ... Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote iudaeis, et gentibus, et ecclesiae Dei etc. „. Quod si remoto scandalo *fas* erat, ut Pauli auctoritate plane liquet, immolatis esci, multo magis suffocatis, et sanguine. Atque ut *necessaria* dicta est abstinentia a suffocato, et sanguine, sic necessaria est abstinentia ab immolatis, apostolorum decreto, appellata. Iam vero remota offensione simplicium, nihil, auctore Paulo, obstabat, quin immolata comederentur. Cur igitur, remota simplicium offensione, dissensionum periculo, *suffocata, et sanguinem* comedere nemini licuisset? Non ergo τὸ ἀναγκαῖον *necessarium* eiusmodi fuit, ut per se *ipsum sit necessarium*, sed habita *iudaeorum, ethnicorum, simpliciumque* ratione, quorum animi, si haec fuissent adhibita, offendebantur. Quod Salmasius scripsit, eadem ratione praecipi ab apostolis abstinentiam a sanguine, qua abstinentia a fornicatione praecipitur, leve est. Nam etsi iisdem verbis, iure tamen eodem non item. Neque id frustra dicitur. Quis enim putet iure eodem fornicationem, atque esum immolatorum vetari? An fornicatio, sublato scandalo, cuiquam licet? Minime vero. At esus immolatorum, teste Paulo, si scandali periculum nullum sit, licet. Quamobrem non eodem iure *necessariae res* eiusmodi

bus, quicumque tandem essent, id oneris imponendum arbitrarentur, ne qui scilicet sanguine, suffocato, rebusque immolatis daemoni vesci auderent. Ac merito quidem onus est appellatum, quod usum eorum, quae per se vetita non essent, auferebat unius dissensionis vitandae, removendique *scandali*, offensionisque imperitorum tollendae caussa. Quamquam autem sibi christiani a quadrupedum, tamen a piscium sanguine (1) non temperabant.

Sequitur, ut de rebus idolo immolatis dicam. Erant ea quidem generum duorum. Unum genus erat eorum, quibus velut iudiciis, tesserisque quibusdam venire se quisquam significabat in idololatrarum (2) societatem. Atque ab his scilicet abstinendum omnino christianis erat. Quamobrem Paulus apostolus in prioribus ad corinthios (3) litteris, nolle se, inquit, ut nostrum quisquam daemoniis consocietur, propterea quod nemini fas sit poculo Domini, et poculo daemoniorum uti, et ad mensam Domini, ac mensam daemoniorum accedere. Pocula autem proponere graeci solebant tria, primum, ut diis olympiis, alterum ut heroibus, tertium ut Iovi servatori cultum, honoremque (4) adhiberent. Haec vero illa fortasse sunt pocula, quorum participes esse nostri, Pauli sententia, nullo modo possunt. At mensae daemoniorum vocibus, epulas ille ipse apostolus indicat, quae in deorum honorem parabantur. Quo sane tempore inanium numinum laudes ethnici persequi (5) consueverant. Alterum genus communium idolothytorum erat. Communia autem dicimus, quae partes erant oblationum, quae quidem partes aut sacerdotibus, offerentibusve dabantur, aut mensis apponebantur, aut venales

appellantur. Altera enim suapte natura, altera tollendi scandali ratione est *necessaria*. Nihil autem impedit, quo minus eodem praecepto res variae ob diversas caussas praescribantur.

(1) Contra sentit Heidegerus *de libertate a lege ciborum cap.* VI. Sed refellitur a Samuele Basnagio ad *an.* 50. n. 33., *levit.* autem *cap.* VII. v. 26. sancita lex est, ut iudaei „ nullius animalis sanguinem sumerent in cibo „ tam de avibus, quam de pecoribus „. At si de piscium sanguine intelligenda lex esset, cur non additum est *de piscibus?* Confer s. *Thom.* 2. 2. *quaest.* 102. *art.* 3. Si vero suffocato, et sanguine piscis integrum iudaeis erat vesci, cur non etiam christianis?

(2) Vide Exodi *cap.* XXXIV. v. 15.

(3) I. *ad Cor. cap.* X. v. 21.

(4) Stephanus Moyuius *observat. in var. sacra ad Polycarpi epist. p.* 96. *edit. an.* 1685. *tom.* II.

(5) Clemens alexandrinus *lib.* III. *stromateon p.* 428. *edit. an.* 1641. de Epiphane Carpocratis filio in deos relato agens. „ Samae, *inquit*, quae est urbs Cephaleniae, ut deus est honore affectus. Quo in loco „ templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, „ museum aedificatum est, et consecratum, et cum „ est nova luna, convenientes cephalenei, tempore, „ quo natus, et in deos relatus est Epiphanes, *sacrificant, libantque, et conviuantur, et hymnos canunt* „. Mitto cetera exempla, ne lectori molestus sim.

in macellis (1) prostabant. Prioris igitur generis idolothyta nostris adhibere non (2) licebat, cum id indicium idololatriae es-

(1) Quare Paulus loc. cit. „ Quidquid in macello venit, *inquit*, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam etc. ,,

(2) Ita factum est, ut magna consensione a patribus reprobentur. Ergo Irenaeus *lib.* I. *contra haereses cap.* VI. *p.* 30. *edit. paris. Massueti n.* 3. „ Intimorate, *inquit*, omnia, quae vetantur, hi qui sunt ipsorum haereticorum perfecti, operantur, de quibus scripturae confirmant, *quoniam qui faciunt ea, regnum Dei non haereditabunt*. Etenim idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes, et in omnem diem festum ethnicorum, pro voluptate in honore idolorum factum, primi conveniunt, uti in nihilo quidem abstineant, quod est apud Deum, et apud homines odiosum ,,. Clemens alexandrinus *lib.* IV. *stromateon n.* 15. *p.* 606. *tom.* I. *edit. opp. oxon.* utriusque generis idolothyta reiicere omnino videtur. Quare multo magis primi. Sic autem scribit: „ Scimus autem, quod omnes habemus cognitionem communem, quae est in communibus, et quod unus sit Deus ... Sunt autem qui dicunt eam, quae deest idolothytis, cognitionem, non afferre inter omnem, ne forte potestas nostra fiat offendiculum infirmis, perit enim infirmus tua cognitione. Κᾂν φάσκωσι, πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἀγοράζειν δεῖ; κατὰ πεῦσιν, ἐπάγοντας, τὸ μηδὲν ἀνακρίναντες, ἐπ' ἴσης τῷ μὴ ἀνακρίναντος, *et si dicant, quidquid in macello venditur emere oportet? per interrogationem; subiungentes,* nihil interrogantes, *quod perinde est, ac non interrogantes* (id facite) ridiculam afferent interpretationem. Dicit enim apostolus: omnia alia ex macello emite (sed τὸ *alia* ἄλλα *de suo addit Clemens, nam apud Paulum non extat. At Paulus quidem de idolothytis, quae in macello prostabant venalia loquitur, ut legenti patebit*) nihil interrogantes, convenienter exceptioni eorum, quae ostenduntur in generali omnium apostolorum epistola, quae quod ita visum sit Spiritui sancto, scripta quidem est in actis apostolorum. Lata autem fuit ad fideles per ipsum Paulum, qui ministrabat. Significaverunt enim oportere necessario abstinere ab immolatis, et sanguine, et suffocatis, et fornicatione, a quibus se conservantes, recte esse facturos etc. ,,. Quin etiam in II. *paedagogi libro cap.* I. *p.* 143. *edit. an.* 1641. „ De idolothytis quoque, *inquit*, mentio facienda est, quonam modo praecipiat ab iis esse abstinendum, Illa mihi videntur execranda, et abominanda, quorum sanguinem supervolent animae ex erebo nunc lumine cassae. *Nolo enim vos fieri participes daemoniorum* (I. *cor.* X.), dicit apostolus. Eorum enim qui servantur, et eorum, qui pereunt, separata sunt nutrimenta. Ab his ergo abstinendum est, non quod pertimescamus, non est enim in eis aliqua potentia, sed quod propter nostram conscientiam, quae sancta est, et propter daemonum odium, quibus illa sunt dedicata, aversemur, et propter eorum, qui multa proclivitur decernunt, ac vertuntur, imbecillitatem, quibus infirma polluitur conscientia. *Cibus enim nos non commendabit Deo, neque quae intrant, coinquinant hominem, sed quae ex ore*, inquit, *exeunt*. Usus ergo naturalis nutrimenti est indifferens, *neque enim si comedamus*, inquit, *plus habemus, neque si non comedamus, deficimus*. Sed non est consentaneum, ut sint mensae daemoniorum participes, qui divino, ac spiritali nutrimento digni sunt habiti ,,. Haec ille. Sed quod *propter nostram conscientiam* dicit, scriptum nusquam a Paulo est, qui contra, *propter conscientiam*, inquit, *dico non tuam etc.* Hoc item nostris exprobat Celsus apud Origenem *lib.* VIII. *n.* 28. *tom.* I. *opp.* Confer praeterea Tertullianum *lib. de corona militis* X. c. *p.* 106. *edit. venetae an.* 1744., Origenem *loc. cit. supra p.* 264. *huius vol.* S. Cyprianus *lib. de lapsis p.* 132. *edit. oxon.* idem ipsum demonstraturus, nempe christianos, qui idolothyta ex altaribus comedissent, haberi in lapsorum numero oportere, sic scribit: „ Praesente, ac teste me ipso accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt. Relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per aetatem, panem mero mixtum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis, eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostrae, et orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis aestu coepit fluctuabunda iactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis, conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus caeteris eius locus advenit, faciem suam parvula instinctu divinae maiestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Persistit tamen diaconus, et reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, et vomitus. In corpore, atque ore violato eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit etc. ,,. Synodus cangrensis *can.* II. *p.* 534. *tom.* I. *concilior. edit. Harduin.* „ Si quis, *inquit*, edentem, praeter sanguinem, et idolis immolatum,

set. Nam, ut sapienter animadversum a s. Thoma (1) est, non verba solum, sed etiam facta signa religionis sunt, quam quisquam colere instituerit. Quamquam non video, cur cogente necessitate, modo nemo aspiceret, periculumque scandali nullum esset, fas non fuerit immolatum in idolio positum (2) manducare. Contra idolothyta, quae appellamus *communia*, si necessitas urgeret, quin se in ullum idololatriae committendae discrimen coniicerent, maiores nostri adhibenda arbitrabantur (3).

et suffocatum, cum religione, et fide condemnet, velut spem propter huiusmodi perceptionem non habentem, anathema sit „. In actis ss. Probi, Tarachi, et Andronici, qui passi sunt an. 304., haec habentur, *apud Ruinart. p.* 357. *edit. veron.* „ Maximus dixit: Infundite illi vinum, et carnes de ara mittite illi in os. Probus dixit: *Videat Dominus, et respiciat de altissimis sedibus suis vim, quam patior, et iudicet iudicium meum.* Maximus dixit: Multa sustinuisti, miser; ecce iam de sacrificio accepisti, quid habes facere? Probus dixit: *Nihil magnum fecisti mittens mihi de inquinamentis vestris, et infudisti mihi vinum vim faciens. Deus scit voluntatem meam.* Maximus dixit: Manducasti, et bibisti inde. Sed profitere hoc te facturum, ut a vinculis istis libereris. Probus dixit: *Numquam tibi bene sit ut vincas propositum meum, et inquines confessionem meam. Hoc enim scire debes, quoniam etsi omne inquinamentum ararum tuarum totum liquas, et infundis mihi, nihil inde inquinabor. Scit enim Deus, et videt vim, quam patior* „. Synodus aurelianensis celebrata an. 533. *tom.* II. *concilior. edit. Hard. p.* 1176. *can.* 20. „ Catholici, qui ad idolorum cultum, non custodita ad integrum accepti baptismi gratia, revertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitae praesumptionis utuntur, ab ecclesiae coetibus arceantur „. Et synodus IV. *celebr.* an. 541. *aurel. ibid. p.* 1438. *can.* 15. „ Si quis post acceptum baptismi sacramentum ad immolata daemonibus sumenda tamquam ad vomitum revertitur, si commonitus a sacerdotibus ab hac praevaricatione se noluerit revocare, a communione catholica pro emendatione sacrilegii suspendatur „. Confer quae de Luciano martyre scribit Baron. ad an. 211. num. 6., Iustinum mart. *dial. cum Tryph.* n. 34. *seq. pag.* 138., Cyrillum hierosolymit. *catech.* 19. *num.* 7., *catech.* 3. n. 3. *edit. Touttaei*, s. Ioh. chrysost. *homil.* 25. *in loc. cit. ad corinth. p.* 219. *seq. tom.* X., *et homil.* 12. *in epist. ad Timoth.* I. *p.* 611. *tom.* XI., s. Hieron. *comment. in cap.* XV. *Matth. p.* 67. *tom.* IV. *edit. Martian.*

(1) *S. Thom.* 2. 2. *quaest.* 55. *art.* IV. *ad* 2.

(2) Consule Natalem Alexandrum *hist. eccl. saec.* I. *part.* I. *dissert.* 9. *p.* 419. *edit. an.* 1676. Atque id quidem apostoli locus poscit, quem supra descripsi. Idque iam disertis verbis statuunt Cyrillus alexandrinus in VII. *contra Iulianum libro p.* 233. *edit. an.* 1696., et Ambrosiaster in I. *ad corinth. cap.* X. *p.* 145. *tom.* II. *app.* s. *Ambrosii edit. paris. an.* 1690.

(3) Theodoritus *lib.* III. *hist. cap.* XV. *p.* 135. *edit. cantabrig.* de Iuliano agens „ Fontes, *inquit*, qui in urbe Antiochia, tum qui in suburbano antiochensi erant, abominandis sacrificiis inquinavit, ut quicumque aquam gustassent, communione sceleris inficerentur. Deinde cuncta, quae in foro erant, similiter contaminavit. Panes enim, et carnes, olera item, ac poma, cuncta denique cibaria lustrali aqua aspergebantur. Quae cum viderent christiani, gemebant ipsi quidem, ac lamentabantur, talia abominantes, edebant tamen obtemperantes legi apostolicae „. Ac persuadere mihi non possum, veteres patres potuisse hanc antiochenorum rationem respuere, cum Paulus omne quod in macello venit, manducari posse affirmasset, modo nihil scandali frater pateretur. Nam quod Augustinus *epist.* XLVII. n. 6. *tom.* II. *opp. p.* 113. *edit. paris. monach. s. Mauri*, quae in idolio posita sunt, et immolata esse cognoscuntur, negat fas esse attingere, nullum nobis negotium exhibet. Mox enim addit: *Si certum est* (immolatum), *melius christiana virtute respuitur* (non inquit, *necesse est ut respuatur si necessitas cogat*). „ Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo necessitatis scrupulo in usum necessitatis sumitur „. Atque huc spectat s. Leonis magni *ex epist. ad Nicetam aquileiensem cap.* V. *tom.* I. *concilior. edit. Harduini p.* 1771. locus. Sic enim habet: „ De his autem christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi charitatis tuae hoc etiam respondendum esse credidimus, ut poenitentiae satisfactione purgentur, quae non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est. Et sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum; cum huiusmodi cibus, pro metu, aut indigentia, non pro religionis veneratione sit sumtus „. Idcirco autem eos poenitentiae subiiciendos statuit, vel quod res perspicua non esset, liceat ne fame inductis immolatitiis vesci, quae vitoribus imposita sint: ut propterea ab episcopo aquileiensi interrogatus, tutiorem sequi sententiam in dubio voluit, vel quod scandalum simplicium non esset seclusum, adeo-

Ad suffocatum quod attinet, intelligo esse aliquos, qui ex actis apostolicis (1) delendum putent. Sed hi, ne gravius dicam, labuntur. Neque enim quia praetermissum ab Irenaeo (2), et Cypriano (3) est, idcirco nominatum ab synodo apostolorum non fuit. Tertullianus (4) ecce, qui in eo libro, qui *de pudicitia* inscribitur, nullam *suffocati* mentionem fecit, in apologetico tamen fecit, quasi eius abstinentia fuerit lege ab apostolis in synodo constituta. Quod si corruptis codicibus usos Irenaeum, et Cyprianum fuisse dicam, mihi quidem certo crimini verti non poterit. Atque alterutrum sane concedatur necesse est, vel vitiatos fuisse eorum codices aut improbitate, aut oscitantia librariorum, vel consulto eos (quod ad rem fortasse, de qua instituerant agere non pertineret) vocem eiusmodi tacitos praeterisse. Nam quod omnibus codicibus (5), quorum sunt aliqui vetustate insignes, continetur, quis umquam prudens Irenaei, Cyprianique silentio solum, ex sacris bibliis delendum putet?

Sed quoniam nos de veterum christianorum, quod ad esum suffocati, sanguinisque spectat, opinione dicturos promisimus, age nunc cuiusmodi fuerit, videamus. Ego igitur etsi aliquos ita fuisse institutos facile concedam, ut non oeconomia quadam, quae temporaria esset, sed constanti, stabilique lege prescriptam abstinentiam a sanguine, et suffocato in hierosolymitana synodo ab apostolis (6) fuisse arbitrarentur, nego tamen eam omnium ecclesiarum consensione fuisse firmatam sententiam. Si enim traditione apostolica constitisset, numquam ecclesiae, patresque commisissent, ut lex tanta diuturnitate temporum (7) tolleretur. Ne-

que illi peccassent. Quo etiam sensu intelligenda sunt Gregorii secundi pontificis maximi verba, *epist.* XII. *ad Bonifacium tom.* III. *concilior. edit. Harduini pag.* 1859. *cap.* VI. „ De immolatitiis autem escis consuluisti, si a „ fidelibus superductum fuerit vivificae crucis signum, „ edi liceret, an non. Illud sufficit respondere, quod „ beatus Paulus apostolus dicit: *Si quis dixerit, quia hoc* „ *immolatitium est, nolite edere propter eum, qui indica-* „ *vit, et propter conscientiam* nempe aliorum, ut Paulus „ subdit „.

(1) Ita quidem censet Curcellaeus loc. cit.

(2) S. Irenaeus *lib.* III. *contra haereses cap.* XII. *p.* 199. *edit. paris. Massueti.*

(3) Vide Cypriani locum *p.* 265. *huiusce vol.*

(4) Tertullianus *lib. de pudicitia cap.* XII. *pag.* 563. *edit. an.* 1744. „ Necesse est abstineri a sacrificiis, et a „ fornicationibus, et sanguine „. Contra vero nominat suffocatum *loc. cit. p.* 264. *huius vol.* not. 3.

(5) Nominat item suffocatum Clemens alexandrinus *lib.* IV. *stromat.*, quem locum supra descripsi *pag.* 272. *huius vol.*, Origenes *loc. cit. p.* 264. *huius vol.*, Cyrillus hierosolymitanus *loc. cit. eod. p.* 264. Et ut codices mittam, quos citat Millius *in not. ad cap.* XV. *actor. apostol. p.* 364. *edit. nov. test. an.* 1707., synodi cengrensis, cuius canonem paullo ante descripsi, et trullana *can.* 66. *p.* 1686. *tom.* III. *concilior. edit. Harduin.* idem statuere videntur. Atque trullanae canon sic habet: „ Divina „ nobis scriptura mandavit a sanguine, et suffocato, et „ fornicatione abstinere etc. „.

(6) Vide Clementis supra *ex lib.* IV. *stromateon descriptum locum*, et Origenis testimonium *cit. p.* 264.

(7) S. Augustinus *lib.* XXXII. *contra Faustum cap.* XIII.

que verò propter orientalium ecclesiarum consuetudinem legis loco habendum est, quod veteres, dissensionum sedandarum caussa, fuisse sancitum affirmarunt, existimaruntque scandalo, dissensionibusque sublatis, vim nullam obtinere (1) praecepti

pag. 457. *edit. paris. monachor. s. Mauri tom.* VIII. *opp.* „ Si hoc tunc apostoli praeceperant, ut ab animalium „ sanguine abstinerent christiani, ne praefocatis car- „ nibus vescerentur, elegisse mihi videntur *pro tempore* „ rem facilem, et observantibus nequaquam onero- „ sam, in qua cum israelitis etiam gentes, propter „ angularem illum lapidem parietes in se condentem, „ aliquid communiter observarent, simul et admone- „ rentur in ipsa arca Noe, quando Deus hoc iussit, „ ecclesiam gentium fuisse praefiguratam, cuius facti „ prophetia iam gentibus ad fidem accedentibus in- „ cipiebat impleri; *transacto vero illo tempore,* quo illi „ duo parietes, quamvis in angulari lapide concor- „ darent, tamen suis quibusdam proprietatibus, distin- „ ctius eminebant. At ubi ecclesia gentium talis effe- „ cta est, ut in ea nullus israelita carnalis appareat, „ *quis hoc iam christianus observat,* ut turdos, vel minu- „ tiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis „ effusus est, aut leporem non edat, si manu in cer- „ vice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? „ *et qui forte pauci* adhuc tangere ista reformidant, „ a *ceteris irridentur.* Ita omnium animos in hac re „ tenuit illa sententia veritatis, non quod intrat in os „ vestrum vos coinquinat, sed quod exit „. Obsoleve- rat igitur apud perplures christianos ea lex, quin eo- rum ab ulla ecclesia v. saeculo, quo Augustinus flore- bat, erroris damnaretur sententia. Ex quo etiam Au- gustini loco facile intelligitur, magno in errore versari Salmasium, qui primos christianos existimasse scri- bit, vetitum sibi esum sanguinis etc. non tamquam ἀδιάφορον quidpiam, sed ut necessarium. Quid? si canon apostolicus, quem dedi *supra p.* 264., presbyte- ris solum, clericisque ceteris esum sanguinis vetat? Cur non etiam reliquis christianis, si res erat ab apo- stolis necessario constituta, non tollendarum dissen- sionum caussa? Neque synodus cangrensis abstinendum omnino a sanguine, et suffocato praescribit. Hoc unum statuit, eum qui condemnet edentes carnem (modo illa suffocati animalis etc. non sit) separari a com- munione ecclesiae oportere. Neque me synodi Trulla- nae auctoritas movet, quae segregari laicos, deponi autem clericos iubet, qui haec comederint. Nam ei ego Augustinum, consuetudinemque maximae partis christianorum, quae v. saeculo invaluerat, oppono sy- nodo minime probatae.

(2) Vide s. Augustini locum supra descriptum. Sed dicet quispiam, ea lex quarto, quintoque saeculis, et diu in ecclesia post Augustini tempora viguit. Hie- ronymus sane, qui floruit extremo IV., et ineunte v. sae- culo, *in commentar. in cap.* XLIV. *Ezechielis tom.* III. *opp.* *p.* 1034. *edit. Martianaei,* „ Proprie, *inquit,* ad christia- „ nos refertur ... ut morticinum non comedent .... „ Quod in actibus apostolorum dicitur suffocatum, et „ quae necessario observanda apostolorum de Hieru- „ salem epistola monet „. Idem sancit synodus aure- lianensis secunda *can.* 20. *pag.* 1176. *tom.* II. *concilior. edit. Harduin.* „ Similiter et hi, qui bestiarum morsi- „ bus extincta, vel quolibet morbo, aut casu suffoca- „ ta vescuntur, *ab ecclesiae coetibus arceantur* „. Praeterea synod. wormatiensis an. 868. *can.* 64. *p.* 746. *tom.* V. *concilior. edit. Harduin.*, qui canon eadem fere, atque aurelianensis continet. Ei autem praeivit Zacharias pon- tifex, qui *epist.* XII. *ad Bonifacium moguntinum p.* 1918. *tom.* III. *edit. eiusd.* abstinendum a *graculis, et corniculis, atque ciconiis etc.* sanxit. Leo imperator, *novell.* 58. *ad Stylianum pag.* 260. *corp. iuris civ. ab Heineccio curatae an.* 1735. *tom.* II. „ Sanguine, *inquit,* vescendum non „ esse mandavit Deus, simul ab istiusmodi cibo absti- „ neri debere a praeconibus gratiae est constitutum. „ Et quamquam tum veteris, tum novae gratiae tem- „ pore illa res vilis habita sit, et nefaria, eo tamen con- „ tumaciae, immo vecordiae homines processere, ut „ neutri legi aurem praestent morigeram „. Humber- tus praeterea cardinalis Silvae Candidae, qui floruit XI. saeculo, contra graecos agens, *bibl. pp. tom.* XVIII. *p.* 403. *edit. an.* 1667., abstinentiam a *sanguine et suffocato* tradi- tione maiorum niti, ita ut qui apud latinos, sine extre- ma necessitate iis uti auderent, hi poenitentiae subii- cientur, affirmat. Abbas urspergensis ad *an.* 1124. *p.* 206. *edit. an.* 1609., ab Ottone bambergensi fuisse pomeranis praescriptum tradit, ut ne suffocata, neque idolothyta, neque sanguinem animalium manducarent. Sed haec omnia expedire nihil negotii est. Nam Hieronymus non explicat, quid sit illud, *necessaria observanda.* Atque is sane ignorare non poterat, quid sua aetate maior pars christianorum observarat. Cum autem Augustinus per- plures fuisse, qui haec comederent, scribat, et non co- medentes irriderent, neque eos erroris Hieronymus ar- guat, indicio est, de *necessitate* doctorem maximum age- re, quae oeconomica esset, ortaque ex dissensione iu- daeorum, et ethnicorum, qui ad christiana sacra acces- serant, qua sublata, nihil impediret, quin *suffocatum et sanguis* comederentur. Synodi autem aurelianensis, wor- matiensis etc., et pontifex Zacharias, renovanda forte ea decreta putarunt, ut magnos ab se in honore aposto- lorum statuta haberi ostenderent, quamvis scirent, iis neminem adstrictum *necessitate* fuisse: quare ecclesias, quae secus agerent, numquam condemnandas censue- runt. Quid? si vitandi scandali caussa, sanciri haec item ab synodis potuerunt? *Simplices* enim tunc item

posse. Traditionis autem auctoritas inesse his rebus qui poterit, quas omnium patrum, ecclesiarumque non confirmavit consensio (1)?

§. II.

De castitate, seu pudicitia veterum christianorum.

Cum igitur christiani plerique omnes tam essent sobrii, tantaque diligentia carnem rationi subiicere studerent, mirabile nemini videri debet, si castam, pudicam, beneque moratam vitam ducerent. At vero quod statim atque nostris sacris, mysteriisque initiatus quisquam esset, mores continuo mutaret, castitatisque laude floreret (2), id singulare, mirabileque non solum nostris

in ecclesia fuisse, credibile est, qui usu eiusmodi rerum offenderentur. Ad Leonem sextum imperatorem, quod attinet, qui post Iustinianum annis plus 300. floruit, certum est, eius novellis nullam fuisse adiunctam auctoritatem. Confer Cuiacium *observ. lib.* xvii. 31. Deinde minus eum tribuisse imperatoribus, qui ante se floruerant, quam eorum dignitas posceret. Postremo fateri ipsum eam sive legem, sive oeconomiam obsolevisse, cum se, dicat, *socordiae homines processere*, ut *nostri legi aurem praestent morigeram*. Extremum est, ut animadvertam, non omnia, quae maiores nostri aut tradita a patribus dixerunt, aut ipsi statuerunt, legis vim obtinere semper oportere. Alioqui sabbato semper *feriari* christiani *deberent*, propterea quod a patribus id traditum, praescriptumque fuisse ferunt auctor *constitut. apost. lib.* vii. *cap.* xxiv., Asterius *hom. an liceat dimitt. uxor.*, Eusebius, Gregorius nyssen., aliique. Itaque etsi Minucius Felix, Clemens alexandrinus, Tertullianus *locc. citt.*, et *lib. ieiuniis cap.* iv. *p.* 546. *edit. venet. an.* 1744., Biblis martyr, canones apostolorum, et caogrensis temperare sibi christianos ab esu sanguinis etc., consuesse scribunt, non sequitur continuo legem eam semper vigere, observarique ab omnibus debere. Quamquam Tertulliani tunc temporis montanistae, qui superstitiosa quadam de ieiuniis sententia ducerentur, nullius momenti sit auctoritas. At ne canonis quidem apostolici, quem ecclesia romana numquam recepit, cum eius neque aetas comperta sit, neque cogniti institutores, auctoritas ullius momenti est.

(1) Adeundi de hoc argumento interpretes *in act. apost. cap.* xv., et *in* i. *epist. Pauli ad corinth. cap.* viii. et x., Baronius *ad an.* 51. *n.* 12. *seq.*, Natalis Alexander *dissert.* xi. *saec.* i. *hist. eccl. tom.* i. *par.* 1. *p.* 417. *seq. edit. an.* 1676. De re eadem praeter Basnagium, Grotium, Salmasium, Curcellaeum, Heideggerum, egerunt ex instituto protestantes Iohannes Georgius Dorschaeus, *dissert. de sanguine, et suffocato ad act.* 15. *v.* 20., *quae extat p.* 45. *seq. tom.* ii. *thesauri theologici philolog. edit. amstel. an.* 1702., et Iohannes Andreas Danzius *diss. de esu sang. edit. Ienae an.* 1709.

(2) Iustinus martyr *dialog. cum Tryphone pag.* 116. *n.* 11. *edit. venetae an.* 1747. „Videmus autem, ac persuasum habemus per nomen ipsius crucifixi Iesu Christi a simulacris, et ab *alia nequitia* καὶ τῆς ἄλλης ἀδικίας homines ad Deum accedere, ac ne morte quidem proposita a confessione, et pietate discedere: tum *ex operibus*, tum ex consequentibus miraculis licet omnibus intelligere, hunc (Christum) esse novam legem, et novum testamentum, et expectationem eorum, qui ex omnibus gentibus a Deo bona expectant". Et *apologia* i. *num.* 15. *pag.* 53. „Quid enim innumerabilem eorum multitudinem dicam, qui ex lascivia sese receperunt, atque haec didicerunt? Non enim iustos, neque castos ad poenitentiam vocavit Christus, sed impios, et incontinentes, et iniustos". Tertullianus *lib.* i. *ad nationes cap.* iv. *p.* 43. *edit. an.* 1744. „Aliquos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos norant (ethnici), emendatos repente mirantur, et tamen mirari, quam assequi norunt. Tanta obstinatione certant, ut cum suis utilitatibus depugnent, quas de commercio istius nominis capere possunt: scio maritum unum, atque alium anxium retro de uxoris suae moribus, qui ne mures quidem in cubiculum irrepentes, sine gemitu suspicionis sustinebat, comperta causa novae sedulitatis, et insolitae captivitatis, omnem uxori patientiam obtulisse, negasse zelotypum, maluisse lupae, quam christianae ma-

est visum, sed etiam hostibus christianae religionis (1) commemorandum. Conspiciebant enim gentiles quotidie homines, quos ante scelestos, impurosque cognoverant, repente immutari, tamque pudice, temperanterque vivere, ut qui olim invisi omnibus, tum exemplo, atque admirationi (2) essent. Itaque etsi Christi virtutem confiteri nolebant, tamen impetrare ab se, ne mirarentur, non poterant. Verumtamen patres, quibus maxime curae erat augere reipublicae christianae opes, eos, ut ad haec adverterent animum, ratione cogebant, multosque inducebant, ut contemtis inanibus diis (3), se totos Christo servatori dederent, cuius tantam esse perspicerent potestatem. Immo vero qui hostes pertinacia non desistebant, nosque calumnia insectabantur, iisque flagitiis esse implicatos iactabant, quae ne narrare quidem fas esset, ut in nos ipsos imperitum, profanumque vulgus concitarent; iidem de feminis christianis supplicium sumturi, quo illas ab orthodoxae religionis, pietatisque cultu deterrerent, rapi ipsas ad lenonem (4) iubebant. Qua quidem agendi ratione satis in-

„ situm. Ipsi suam licuit in perversum demutare naturam, mulieri non permisit in melius reformari „. Origenes *lib. 1. contra Celsum num. 26. tom. 1. opp. edit. paris. monach. s. Mauri.* „ Quod si quis haec prudenter recogitans, concesserit, nihil boni sine Deo hominibus accidere, quanto fidentius id fide Ime affirmabit, cum eorum, qui Christi doctrinae adhaeserint pristinos cum novis mores comparabit, animadvertetque, quantis spurcitiis, quantis iniustitiis, quantis cupiditatibus dediti illi ante fuerint, quam decepti, ut Celsus, suique similes loquuntur, fuissent, hancque amplexi essent doctrinam, quae illorum iudicio est humanae vitae pernicies. Quanto autem ex quo illi doctrinae se dociles praebuere, aequiores, graviores, constantioresque sint redditi, ut eorum quidem cum eximiae puritatis amore, tum quo castius, ad cultum divinum accedant, venereis voluptatibus, etiam lege permissis abstineant,„. Eusebius *lib. 1. praep. evang. cap. iv. p. 11. edit. paris. an.* 1628. „ Illius autem utilitatis, quae palam doctrinae huius praedicationem consequuta est, cuivis rem secum attente reputanti, clarum hoc in primis, et illustre specimen intueri liceat; quod nec alias umquam ex omni hominum memoria, nec ab eorum ullo, qui fama quondam nominis, et existimatione floruerunt; sed tantum ex quo ipsius doctrinae per universum orbem diffusae verbis, et concionibus hominum aures afflari coepere, continuo factum sit, ut qui ferini prius, ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus, et humanioribus institutis mansuescerent. Itaque nec persae, qui semel eius disciplinae nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt .... Nec alia barbarorum genera incesto filiarum, ac sororum concubitu polluuntur, nec ad mares furioso libidinis aestu mares ipsi rapiuntur, nec ceteras, quae naturae leges violant corporis voluptates persequuntur ... Haec nimirum illa sunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infesta quondam hominum vita habebatur etc. ...

(1) Confer Iustinum martyrem *apolog. 1. num. 16. p. 54. edit. venetae an.* 1747., *et apolog. II. n. 2. p. 91. seq. edit. eiusd.* Vide infra not. 4.

(2) Consule modo descriptum Tertulliani locum.

(3) Hac ratione permotus Iustinus martyr (*apol. II. n. 12. p.* 100.) christianus est factus.

(4) Plinius iunior *epist. xcvii. lib. x. pag.*630. *edit. an.* 1711. *convenire christianos* solitos fuisse ait, *seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent.* Neque Plinius solum, sed etiam imperatores idem ipsum confitebantur. Placet enim mihi, quod Athenagorae auctoritate statuunt monachi benedictini s. Mauri. Sic enim legunt, *legat. pro christian. p. 299. edit. venetae num. 3.* „ Tria nobis affingunt crimina (ethnici) atheismum, thyesteas coenas, oedipodeos concubitus. Quae si vera sunt, nulli parcite generi, poenam scelerum repetite, radicitus nos cum uxoribus, et pueris delete, si quis ferarum ritu vivit. Quamquam belluae generis sui belluas non tangunt, ac lege naturae, et ad

dicabant, nihil esse nostris carius castitate. Neque enim cadere cuiquam in cogitationem potest, aversari (1) eos prostibula, qui turpissimis moribus viverent. Quin etiam si maximam iniuriam conflari christiano arbitrabantur, qui illudendus traditus lenoni esset, in ea fuerint persuasione necesse est, ut quod ille potissimum servare conaretur, id esse castitatem putarent. Quae res animadversa ab Tertulliano vetere in primis scriptore est, qui libere, quae sentiret, aperteque non dicere modo, sed etiam litterarum mandare monumentis, et publicare solebat. Christianorum igitur castae, integraeque vitae degendae haec erat ratio. Alii virgines manebant, alii, qui coelibes vivere nollent, matrimonii sese legi subiiciebant, ac si uxor viro, aut vir uxori mortuus esset, secundas nuptias minime celebrabant. Omnes autem non opere solum, ac verbo nihil in ea re, sed ne cogitatione quidem peccare consuerant. Sed age de his quoque rebus ordine agamus, ne qua oriatur ex brevitate confusio.

I.

De iis, qui studio tuendae castitatis permoti, virgines manere, quam obligare se matrimonii legibus malebant.

Intellexerant autem apostoli a Christo, idque iam litteris commendarant, utque in posteros permanarent, curaverant, *eunuchos* esse quosdam, *qui se* (2) *propter regnum caelorum ca-*

„ solum procreandae sobolis tempus, non ad omnem „ licentiam miscentur, ac est etiam, a quibus sibi „ bene fit, agnoscunt. Si quis ergo etiam belluis immanior; quamnam ille talium scelerum poenam „ persolvens, vel pro meritis puniri censebitur? Sin „ autem haec verba sunt, et inanes calumniae, quae „ inde oriuntur, quod vitium virtuti adversetur naturali quadam lege, et contraria divina quadam lege „ inter se pugnent; si nihil horum a nobis admitti „ *vos testes* ὑμεῖς μάρτυρές *estis, praecipientes ne nomen nostrum deferatur* κελεύοντες μὴ ὁμολογεῖν, „ vestrum iam fuerit de moribus nostris, de doctrina, de nostro in vos, ac domum vestram, et imperium studio, et obsequio inquirere etc. „. Fatebantur igitur imperatores nostros reos criminis impudicitiae non esse. De criminibus christianis obiectis, confer quae dixi *tom. 1. p. 161. huiusce operis.* At quo tempore nos ethnici impudicos esse aiebant, eodem pudicitiae nomine nostros maxime celebrabant. Ergo Tertullianus *capite 1. apologetici p. 162.* „ Nam et proxime, *inquit,* ad lenonem damnando christianam „ potius, quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena, et omni „ morte reputari „. Quae res multis exemplis confirmari poterit, quae nos libenter praeterimus.

(1) Confer Tertullianum *ibidem.*

(2) Matth. *cap. xix. v. 12.* Confer praeterea Paulum *epist. ad cor. 1. cap. vii. v. 1. seq.* Ac locum quidem Matthaei sic intellexerunt christiani veteres iam usque a primis ecclesiae temporibus. Igitur Tertullianus eodem spectans *lib. 1. ad uxor. cap. vi. p. 164., voluntarios spadones virgines* vocat. Vide Athenagoram *legat. pro christ. n. 33. p. 331. edit. opp. Iust. an. 1747.*

strarunt, quibus verbis virgines indicari certo sciebant; quare perplures (1) christiani, ut sempiternam in caelo gloriam, felicitatemque consequerentur, quae iis esset promissa, qui sibi ab eiusmodi oblectationibus temperassent, quae iunctis matrimonio licerent, coelibem vitam perpetuo agere constituebant. Quo in statu magno numero viros, mulieresque iam inde (2) a primis

(1) Iustinus martyr *apolog.* I. n. 14. *pag.* 52. *edit. venetae an.* 1747. „ Quemadmodum et nos, *inquit*, postquam verbo credidimus, ab istis quidem descivimus, ac solum ingenitum Deum per eius filium sequimur, et qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur „. Et *num.* 15. *pag.* 53. „ καὶ πολλοί τινες, καὶ πολλαὶ *et multi quidam, et multae annos sexaginta, et septuaginta* nati, qui e pueris Christi disciplina imbuti sunt, incorrupti perseverant, talesque in omni hominum genere monstraturum me profiteor „. Et *num.* 29. *p.* 62. „ Vel omnino matrimonium non inimus, nisi ad liberorum educationem, vel si a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus „. Athenagoras *legat. pro christ.* n. 33. *p.* 330. *edit. opp. Iustin. an.* 1747. „ Multos πολλοὺς etiam apud nos reperire est, tum viros, tum mulieres, qui coelibes consenescant, spe arctius se cum Deo coniunctum iri. Quod si in virginitate, et eunuchi statu manere magis Deo coniungit, ab eo autem vel sola cogitatio, et cupiditas abducit, quorum cogitationem fugimus, eorum actiones multo magis aversamur „. Tatianus *orat. contra graecos* n. 53. *p.* 257. „ At omnes pudicae apud nos sunt, et circum colo virgines, multo praeclarius, quam vestra illa puella divina oracula loquuntur „. Quamobrem Theophilus antiochenus *lib.* III. *ad Autolycum cap.* XV. *p.* 416. „ Apud christianos, *inquit*, adest temperantia, continentia colitur, unum matrimonium servatur, castimonia custoditur etc. „. Tertullianus *apologet. cap.* IX. *p.* 40. *edit. opp. venetae an.* 1744. „ Quidam multo securiores totam vim huius erroris virgine continentia depellunt, senes pueri „. Et *lib.* I. *ad uxor. cap.* VI. *pag.* 164. „ Quot sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant?..... voluntarii spadones pro cupiditate regni caelestis „. Et *lib. de virginibus velandis cap.* X. *p.* 178. „ Ceterum satis inhumanum, si feminae quidem per omnia viris subditae honorigeram notam virginitatis suae praeferant, quasi suspiciantur, et circumspiciantur, et magnificentur a fratribus, viri autem tot virgines, tot spadones voluntarii, caeco bono suo incedant, nihil gestantes, quod et ipsos faceret illustres „. Et *lib. de praescript. cap.* III. *pag.* 203. Rursum *lib.* I. *cap.* IV. *ad uxorem p.* 163. „ Adhibe sororum nostrarum exempla, quae nulla formae, vel aetatis occasione maritis sanctitatem anteponunt; malunt enim Deo nubere, Deo speciosae, Deo sunt puellae. Cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus et noctibus tractant ... Sic aeternum sibi bonum Domini occupaverunt, ac iam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur „. Origenes *lib.* VII. *contra Celsum* n. 48. *pag.* 367. *edit. venetae an.* 1743. „ Et apud illos inquit, qui dii habentur, virgines sunt paucae, quae custoditae ab hominibus, aut non custoditae ... videntur colendi numinis causa integram vitae servare puritatem; sed apud christianos non propter humanos honores, non propter mercedem pecuniariam, non propter gloriolam perfectam virginitatem colunt, et sicut probaverunt Deum habere in notitia, conservantur a Deo in mente probata, ita ut quae decent, faciant, repletae omni iustitia, et bonitate „. Minucius Felix in Octav. *p.* 310. *edit. an.* 1672. „ Plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur „. S. Cyprianus *epist.* LIV. *p.* 109. *edit. oxon.* „ Floret ecclesia tot virginibus coronata, et castitas ac pudicitia tenorem gloriae suae servat, nec quia adultero poenitentia, et venia laxatur, continentiae vigor frangitur „. Saeculo quoque quarto virginum magno numero floruisse, earumque coetus in posteriore tempore propagatos fuisse, certe res est. Nos unius Eusebii testimonio contenti erimus, qui *lib.* IV. *de vita Constantini cap.* XXVIII. *pag.* 641. „ Prae ceteris, *inquit*, eos maxime honorabat (Constantinus), qui se totos divinae philosophiae addixissent. Ipsum quidem sanctissimum perpetuarum virginum coetum tantum non venerabatur, cum ipsum, cui se consecraverat, Deum in earum mentibus habitare, pro certo haberet „.

(2) Iam usque ab initio ecclesiae virgines in ecclesia floruisse, testata res est. Lucas in *act. apost. cap.* XXI. v. 9. de Philippo diacono: *Huic*, inquit, *erant quatuor filiae virgines prophetantes*. Quare Hieronymus *lib.* I. *adversus Iovinian. pag.* 181. *tom.* IV. *opp. edit. Martianaei par.* II. „ Post crucem Christi, *inquit*, statim in actis apostolorum una domus Philippi evangelistae quadrigam producit virginum filiarum; ut Caesarea, in qua ex gentibus ecclesia per centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum praeberet exempla „. Earum meminit Eusebius *lib.* III. *hist. cap.* XXXVII. *p.* 113. *edit. cantabrig.* Ac duas quidem earumdem Hierapoli obiisse, auctor est Polycrates inter in primis antistes apud Eusebium *lib.* V. *hist. cap.* XXIV.

ecclesiae temporibus consenuisse, plane constat. Ea res cum pateret, magno erat argumento nostris, quo calumnias, accusationesque inimicorum depellerent. Ergo cum secundo saeculo fama quaedam in vulgus ethnicorum manasset, quae ferret, nefario concubitu christianos delectari, reosque omnes incesti esse, adolescens (1) nescio quis ad Felicem praefectum augustalem alexandrinorum adiit, eique libellum obtulit, falsaque esse, quae de suis praedicarentur, dixit. Id ni crederet, medicis, ut adolescenti testes praeciderent, facultatem daret. Non enim credibile videri, ut qui venere oblectaretur, is capere tam grave detrimentum vellet. Nam apud alexandrinos lex erat, ne quis medicus, nescio praefecto, quemquam castrare auderet. Cum annuere Felix recusasset, adolescens vitam perpetuo coelibem ducere instituit, quodque in animum induxerat, servavit. Neque vero secundo saeculo modo, sed etiam tertio, quartoque (2) maxima virorum, mulierumque multitudo virginitatem colebat. Quae res ab eorum temporum scriptoribus litterarum mandata est monumentis. Ac virginum quidem, servandae non minus religionis, quam pudicitiae caussa, insignis semper, abmirabilisque in perferendo quovis cruciatu fortitudo (3) fuit. Quod etsi permultis, iisque iam

p. 243. „ Philippus, *inquit*, unus a duodecim apostolis, „ qui mortuus est Hierapoli, et duae eius filiae, quae „ virgines consenuerunt „. Cetera testimonia de antiquis virginibus vide *not. superiore.*

(1) Iustinum martyr *apolog.* I. n. 29. *pag.* 62. *seq. edit. venetae an.* 1747.

(2) Confer supra testimonia sanctorum patrum, quae produximus. Vide Euseb. *lib.* IV. *hist. cap.* VIII.

(3) Reinartius in *act. ss. mm. sincer. p.* 141. *edit. veron.* ubi de sanctis Luciano, et Marciano mm. agit, „ Famula, *inquit*, quaedam erat Dei casta, et fidelis „ nuptias contemnens, virginitatem custodiens forma „ speciosa, et anima tamen pulcrior, non alium nisi „ Deum diligebat .... Lucianus, et Marcianus hanc „ concupierunt, et cum non haberent, quo genere „ cupiditatis suae impudicitiam obtinerent, conversi „ non aliter se, nisi magicis daemoniis superare hanc „ iudicaverunt, et maleficiis obtinere ... Daemones eis „ responderunt .... Nihil contra eam facere possumus „. Et in actis ss. Theodoti, et socior. *p.* 301. n. 15. „ Dei martyr Theodotus in magna versabatur „ sollicitudine pro unaquaque sanctarum virginum, „ metuens ne qua earum, sicut de feminis formidari „ poterat, deficeret in certamine ... Iacuerant autem „ simul omnes in oratione a primo mane usque ad „ horam sextam, quando Theocharidis uxor nunciavit, virginum corpora in lacu submersa esse etc. ... Miror autem quid sit, quod r. p. d. Martinus congregationis s. Mauri monachus in eo tractatu, quem inscripsit: *Explications de plusieurs textes difficiles de l'ecriture, qui jusqu'a present n'ont été ni bien entendus, ni bien expliques par les commentateurs, edit. paris.* 1730. *par.* I. *p.* 112. *seq.*, aut nullas, aut perpaucas virgines non vitiatas martyrium obiisse dicat, quasi lege sancitum esset, ut ne qua virgo integra extremo supplicio afficeretur, et quae integrae manserunt, eae quidem certe prodigio servatae fuerint. Nam haec nova, et iniuriosa sanctis martyribus, et a vero longe distans sententia merito reprobanda videtur. Ac si de rebus eiusmodi tanta libertate dicere, statuereque fas est, nulla iam res erit in historia, quam quisque pervertere non possit. Sed age videamus cuiusmodi argumentis abutatur. Suetonius, *inquit*, *in Tiberii vita cap.* LXI. *p.* 138. *edit. lugdun. an.* 1669. „ Immaturae „ puellae, *ait*, quia more tradito nefas esset virgines „ strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae „. Quod ipsum scribit Tacitus *lib.* V. *annalium cap.* IX. *pag.* 129. „ Triumvirali supplicio, dicens, *affici* „ *virginem inauditum habebatur* „. Non discrepat Dio *lib.* LVIII. *p.* 628. *edit. an.* 1606. „ Filia inquit, quam

illustribus exemplis plane liquet, quod tamen brevitas operis impediat, quo minus omnia persequi possim, satis illud fuerit

„ pactus erat (Seianus) Claudii filio constuprata prius „ a carnifice οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ „ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι, *impium cum esset* „ *virginem in carcere perire* „. Hinc ille ipse Martinus concludit, ante tot iniusta decreta fuisse, quibus, virgines antequam pro Christo sanguinem funderent, ad lupanar, quo vitiarentur abduci sancitum erat. Idque demum ut confirmaret magis, magisque pumit, *acta ss. mm. Didymi, et Theodorae, qui an. 304. obierunt*, laudat, *apud Ruinart. p.* 253. *num.* 1., ubi haec habentur: „ Imperatores statuerunt, vos, quae estis virgines, aut „ diis sacrificare, aut iniuria meritorii provocari „. Denique Bailletum, aliosque biographos sanctorum oscitantiae arguit, quod non animadverterint, diversam fuisse apud ethnicos puniendarum virginum, ac reliquarum christianarum mulierum rationem, ac virgines quidem ad lupanar fuisse damnatas, ceteras autem non item, omnesque illas confuderint, eiusmodique supplicium commune fuisse affirmarint nobilium feminarum. Verum is auctor, ut dixi, vehementer errat, confictque virginibus sanctis, quae martyres decesserunt, insignem iniuriam. Principio enim, cum hoc scribit Suetonius, vetere consuetudine obtinuisse, ut virgines vitiarentur, antequam strangularentur a carnifice, sed ut ne quae earum strangularetur. Itaque saevum, ac crudelem fuisse Tiberium, qui non solum gnatam Seiani strangulari, sed etiam antequam strangularetur, vitiari permiserit, ne quis virginem eius iussu strangulatam diceret fuisse. Itaque hoc item Suetonius inter cetera saevitiae Tiberii exempla numerat. Quod autem de Suetonio dixi, idem est de Tacito statuendum. Namque ad Dionem quod attinet, non is fuit, qui impium fuisse virginem non vitiatam occidere, arbitraretur. Hoc scribit, constupratam prius a carnifice fuisse Seiani filiam ὡς οὐχ ὅσιον *quasi impium esset virginem in carcere perire*. Nescio autem quid sit, cur τὸ *quasi* ὡς Martinus omiserit. Atque Dio quidem consuetudinem vitium inferendi virgini interimendae nullam indicat, adeo ut, qui tam absurdam ex eius verbis sententiam colligit, nae is tenebras rebus perspicuis calumniando obducere conatur. Quod si usus ille tam vetus apud ethnicos obtinuerat, ut ne qua virgo supplicio periret, vetustior sane non alter, sive consuetudo, sive potius lex fuit, ut ne quis virginem vitiaret. Quae res quoniam satis explorata est, longa oratione non eget. Ergo qui virgini inferendum primum vitium, tum interitum iubebat, ille utramque consuetudinem violabat. Contra qui interimi tantum praecipiebat, unam, quae de non interficienda virgine erat, consuetudinem transgrediebatur. Quare non erat statutum, ut occidendae virgini honos pudicitiae ante adimeretur. Neque ad acta sanctarum martyrum confugere Martinus potest: nam estant exempla virginum, quae antequam ad supplicium ducerentur, vitiatae non fuerunt, tametsi id probri genus minati eisdem iudices essent. Vide Eusebium *lib.* VI. *hist. cap.* V. *p.* 263., *ubi de Potamiaena, et lib.* VI. *cap.* XLI. *p.* 305., *ubi de Apollonia, et pag.* 306., *ubi de Ammonario, lib. de martyribus palaestinis cap.* VII. *pag.* 418., *ubi de Theodosia, et cap.* VIII. *pag.* 424. ubi, „ Quaedam (virgo), *inquit*, in muliebri corpore virilem animum gerens, cum stupri comminationem „ non sustineret, iacto adversus tyrannum convicio, „ quippe qui tam saevis iudicibus regendas provincias „ commisisset, primum quidem flagris verberata est, „ dein sublimis in equuleo suspensa, admotas lateribus ungulas pertulit „. Vide quae sequuntur de altera virgine *ibid.*, *et acta ss. mm. Theodosii etc. pag.* 301. *apud Ruinart. edit. veron.* Nec opponere Martino licet, argumento nos uti negativo. Nam primo si quando contigit, ut ad lupanar, aut ad lenonem, aut ad stuprum perferendum damnatae virgines essent, id est ab Eusebio monumentis traditum litterarum, ut constat *lib. de martyribus palaestinis cap.* V. *pag.* 416., et a scriptoribus actorum ss. mm. Andreae, Pauli, et Dionysiae virginis *apud Ruinart. pag.* 136. *edit. Ruinartii*, ss. Theodosii etc. *p.* 300. *n.* 13. *etc.* Secundo perspicue Eusebius indicat, vitiatas eas virgines non fuisse, cum in comminatione iudices constitisse dicat, nihilque praeterea contra eas statuisse. Tertio si lex ea imperatorum Diocletiani aetate invalescebat, qui tandem in actis ss. mm. Theodosii etc. *n.* 14. *p.* 301. legeremus: Audiens autem Theotecnus, quod constupratae non essent virgines, *noluit amplius* inhonestae voluptatis causa eis esse molestus etc. Praesidi an licuisset praescripta Caesaris negligere? Igitur libera eis potestas erat faciundi contra christianas virgines, quod opportunum existimassent, quamquam Diocletianus, et collegae, qui tunc regnum obtinebant, iudicibus permisissent, ut si vellent, eas ad lupanar duci iuberent. Hoc enim modo explicanda sunt, quae extant in actis ss. Didymi, et Theodorae *ibid. p.* 353. „Iusserunt imperatores vos, quae estis virgines, aut diis sacrificare, aut iniuria meritorii provocari„. Nam si lex, ut dixi, lata fuisset, numquam eam iudices migrassent. Quod de ceteris mulieribus eidem poenae minime subiectis Martinus scribit, inane est. Quare iniuria Bailletum, aliosque accusat. Tertullianus enim *cap.* L. *apologet. p.* 163. *edit. venetae an.* 1744. *in appendice*, christianam ad lenonem fuisse damnatam ait, *virginem* non nominat, contra atque facere soleret. Sed quid opus est multis? Disertis, explicatisque verbis Eusebius *lib. de martyribus palaestinis cap.* V. *pag.* 416. rem efficit. Sic enim scribit: „ Τότε δὲ γυναῖκας „ σωφροσύνης τῆς ἀνωτάτης καὶ αὐτοπαρθέ- „ νους ἀσκητρίας εἰς αἰσχρὰς ὕβρεις πορνο- „ τρόφοις παραδιδόντα. Tunc mulieres eximiae ca-

unum, quod est ab Eusebio memoriae traditum in historia. Virgo secundo saeculo florebat Alexandriae Potamiaena (1), cuius fama apud earum regionum incolas, Eusebii eiusdem tempore, percrebuerat, ut quae pro castitate corporis, qua praecipue celebrabatur, conservanda innumera adversus amatores certamina subiisset (etenim praeter animi pulcritudinem, mirabili quoque forma excellebat), pertulissetque innumerabiles cruciatus, ut religionem, quam profitebatur, custodire posset. Aquila enim, nam iudici hoc nomen erat, cum acerbissimis tormentis eamdem dilacerasset, minatus tandem est, eam se gladiatoribus vitiandam traditurum. Illa cum paulisper secum cogitasset, interrogata quid consilii caperet, respondit, nihil se minas vereri. Quae res iram iudicis vehementer in eam concitavit. Igitur damnatam Basilides, nescio quis ex ordine apparitorum, ad supplicium abducit. Cumque vulgus eam vexaret, obscoenisque verbis insectaretur, Basilides quidem eos, qui contumeliam virgini faciebant, reprehendens, absterrensque propellebat, multaque misericordiae erga illam, et humanitatis argumenta dabat. Quae res quum gratissima virgini fuisset, tum ei promisit fore, ut post mortem, salutem ipsi a Christo impetraret. Haec cum dixisset, ferventi pice per varia corporis membra ab imis pedibus ad ipsum usque capitis verticem lente, ac paullatim circumfusa, mortem invicto animo pertulit, quodque Basilidi promiserat, implevit. Nam repente immutatus, christianumque se esse confessus, martyr et ipse decessit. Quid? si fuerunt virgines aliquot instinctu, afflatuque divino ita incitatae, ut veritae (2), ne quis ipsis vitium

„ stitatis, et virgines Deo devotas lenonibus ad immdicam turpitudinem dedentem etc.,„ Video ut virgines, a ceteris mulieribus distinguat? Sed adversus Martinum satis dictum esto.

(1) Euseb. *lib.* VI. *cap.* V. *hist. eccl. pag.* 263. *edit. cantabrig.*

(2) Eusebius *lib.* VIII. *cap.* XIV. *pag.* 400. *hist. eccl. edit. eiusd.* de mulieribus christianis, non virginibus solum, sed etiam nuptis loquens. „ Mulieres, *inquit*, „ doctrina fidei non minus, quam viri roboratae, „ aliae eadem, quae viri certamina subierunt, et „ aequalia virtutis adeptae sunt praemia. Aliae cum „ raperentur ad stuprum, vitam citius, quam pudo„ rem corporis sui prodere sustinuerunt. Certe mu„ lier christiana sola aliarum alexandrinarum nobi„ lissima, atque opulentissima (*Catharinam aliqui pu*„ *tant, recte ne an secus, nescio*), cum ceterae a tyranno „ violatae fuissent, effusam, atque effrenatam Maxi„ mini libidinem virili quadam animi celsitudine de„ vicit. Mulier tum ob splendorem generis, ac divi„ tias, tum ob singularem doctrinam celeberrima, „ sed quae modestiam, ac pudicitiam his omnibus „ praeferebat. Quam cum tyrannus saepius interpel„ lasset de stupro, obtruncare quidem illam, mori ati„ que paratam, non sustinuit, eo quod crudelitate „ superior esset cupiditas. Ceterum bonis omnibus „ expoliatam exilio damnavit. Sexcentae quoque aliae „ cum stupri minas, quas provinciarum rectores ipsis „ intendabant, ne auditu quidem tanus ferre potuis„ sent, omnia cruciatuum, tormentorum, et capita„ lium suppliciorum genera pertulere. Omnes quidem „ admiratione dignissimae. Sed prae omnibus admi-

inferret, in flumina se proiecerint, inque martyribus numeratae sint? Etenim cum alias interdum, tum Diocletiano, collegisque saevientibus, praeclara einsmodi facinora patrata a mulieribus quibusdam sunt, quarum res gestae historicorum veterum scriptis celebrantur. Atque Eusebius quidem in octavo libro historiae (1), sanctissimam feminam, et ob fortitudinem animi admirabilem initio quarti saeculi Antiochiae floruisse scribit. Huic filias virgines forma corporis eximia, aetateque integra fuisse duas, quas christianae religionis praeceptis instituerat. Eam, cum a plurimis invidia, malevolentiaque incitatis, quaeritari sese, filiasque ad necem intellexisset, abdidisse in remotum quemdam locum se. At ubi se ipsam brevi a militibus comprehendendam accepisset, ignorantem quid consilii caperet, filias etiam, atque etiam monuisse, sibi ut ipsae caverent. Milites impurissimis moribus vivere. Igitur periculum esse, ne pudicitiae iacturam facerent. Hoc tanto malo accidere nullum virgini gravius posse. Quare ad Christum confugerent. Orarent, ut sibi, quae tanto in periculo versarentur, auxilio esse vellet. Quum simul omnes, quod mater hortata fuerat, fecissent, captae sunt, utque tandem ad flumen pervenerunt, a militibus petierunt, paullum ut sibi de via deflectere liceret. Ea re impetrata, compositis honeste vestibus, in amnem se proiecerunt. Quo fere tempore virgines aliae in eadem urbe duae, propterea quod morem praefecto gerere, sacrificareque inanibus deorum numinibus renuissent, praecipites actae in mare ab ethnicis civibus fuerunt. Sed res a virginibus christianis egregie, praeclareque ad aetatem usque Iuliani gestas persequi longum (2) est. Hoc breve dicam. Iam inde a medio secun-

„ rationem mereter mulier illa in urbe Roma, omnium, quas Maxentius ... violare aggressus est, nobilissima, et castissima. Haec enim, simulatque eos, quibus tyrannus ad huiusmodi flagitia ministris utebatur, irrupisse in domum suam comperit, et maritum suum conterritum permisisse satellitibus, ut eam abducerent (erat autem christiana), breve temporis spatium, quasi ad exornandum corpus sibi concedi postulavit. Post haec in cubiculum ingressa, solam se relictam esse circumspiciens, gladium pectori immersit. Quo vulnere protinus exanimata, cadaver quidem perductoribus dereliquit etc. „.

(1) Eusebius *lib.* VIII. *hist. cap.* XII. *p.* 391. *seq.*

(2) Vide Theodoretum *lib.* II. *hist. eccl. cap.* XIV. *pag.* 88. *edit. cantabrig.*, ubi de virginibus alexandrinis Constantii tempore vexatis agit, secutus Athanasium *apolog. de fuga sua n.* 6. *seq., apologia ad Constantium, et historia arianor. ad monachos.* De qua re agit etiam Socratem *lib.* II. *cap.* XXVIII. *hist. pag.* 121. *edit. cantabrig.* De virginibus antiochenis sub Iuliano confer eumdem Theodoritum *lib.* III. *cap.* XIX. *p.* 138. Universim Augustinus v. saeculi scriptor doctissimus, qui etiam extremo saec. IV. multa scripsit, libro de bono coniugali *c.* XIII. n. 15. tom. 6. *opp. edit. paris.* monach. s. *Mauri* „ Multos habemus fratres, *inquit*, et socios caelestis haereditatis utriusque sexus continentes, sive expertos nuptias, sive ab omni tali commistione integros: nempe innumerabiles sunt„. Et *lib.* I. *de moribus ecclesiae*

do ecclesiae saeculo, non Romae, neque in provinciis, quae populo romano parebant, solum; sed ubique fere gentium christianos, qui eam vitae rationem consectarentur, floruisse (1).

II.

Qui se matrimonii lege obligarant veteres christiani, hi coniuge contenti erant. Itaque nulla erat apud ipsos suspicio adulterii.

Sed quoniam omnes vocati divinitus ad hunc vitae statum non erant (coelibem enim vitam sine singulari praesidio, auxilioque Dei degere constat neminem), permulti etiam christianorum matrimonia celebrabant. At ii quidem ita erant animis comparati, ut uxor maritum, maritus vero uxorem unam (2)

cap. XXI. n. 65. *p.* 709. tom. I. „ Multi casti, multi senes, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in „ summa continentia, atque mundi huius incredibili „ contemtu etiam solitudo delectet „. Eadem fere habet *ibid. cap.* XXXI. n. 65. *pag. eod.*, et *lib. de vera religione cap.* III. n. 5. *p.* 749. *tom. eod.* Ante Augustinum sanctus Ambrosius *lib. de virginitate cap.* VII. num. 36. *pag.* 222. tom. II. *opp. edit. monach. s. Mauri* „ Discite, „ *inquit*, quantas alexandrina, totiusque orientis, et „ africana ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines „ consecrantur „. Confer s. Iohannem chrysostomum *lib. de virginit. n.* 1. *seq. p.* 298. tom. I. *opp. edit. Montfauconi.* Sed de consecratione virginum erit IV. huius operis libro copiosius disserendum.

(1) Vide locum supra descriptum ex *apolog.* I. *Iustini n.* 15. *pag.* 53., et Eusebium *lib.* I. *praeparationis evangelicae cap.* IV. *p.* 12. *seq. edit.* an. 1628. Et *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XIX. *p.* 123. *seq. edit. cantabrig.*

(2) Adeundi Clemens romanus *epist. ad corinth.* num. 21. *p.* 20. *edit. Coust. epist. rom. pont.*, Eusebius *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXIX. *p.* 124., ubi de Nicolao diacono agit, Iustinus martyr *apologia* I. n. 14. *pag.* 52., et n. 15. *p.* 53. *edit. venetae* an. 1747., et n. 29. *pag.* 62. ubi: „ Deinde vero metuimus, ne quis ex iis, qui exponuntur, non susceptus intereat, et homicidae simus. „ Sed omnino vel matrimonium non inimus, nisi ad „ liberorum educationem, vel si a nuptiis refugimus, „ perpetuo nos continemus „. Vide et *dialog. cum Tryphon.* n. 141. *p.* 224. *edit. an.* 1747., et *apolog.* II. n. 2. *seq. p.* 91. *seq.*, Athenagoras *legat. pro christianis* n. 33. *p.* 330. „ Unusquisque nostrum uxorem suam, *inquit*, „ quam secundum leges a nobis positas duxit, uxorem „ existimat, usque ad liberorum procreationem. Quemadmodum enim agricola iactis in terram seminibus, messem expectat, nec alia superinicit, sic nobis cupiditatis modus procreatio liberorum „. Theophilus antiochenus *lib.* III. *ad Autholycum* n. 15. *p.* 416., Tertullianum *apologet. cap.* IX. *p.* 40. *edit. ven. an.* 1744. *in append.*, Minucium Felix in Octav. *pag.* 307. *edit.* an. 1672. ubi, „ At nos, *inquit*, pudorem non facie, „ sed mente praestamus, unius matrimonii vinculo libenter inhaeremus, cupiditatem procreandi aut „ unam scimus, aut nullam „. Eusebium *praeparat. evang. lib.* I. *cap.* IV. *p.* 13. *edit.* an. 1628., Lactantius *lib.* IV. *de vero cultu cap.* XXIII. *p.* 490. tom. I. *opp. edit.* an. 1748. ubi „ Castitatem, *inquit*, Deus non modo „ intra privatos parietes, sed etiam praescripto lectuli terminat, ut cum quis habeat uxorem, neque „ servam, neque liberam habere insuper velit, sed „ matrimonio fidem servet. Non enim sicut iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quae habet alium, maritus autem etiam si plures habeat, „ a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita „ duos in matrimonium, quod est cor in corpus „ unum, pari iure coniungit, ut adulter habeatur „ quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. „ Nec ob aliam caussam Deus, cum cetera animantes suscepto foetu, maribus repugnare voluisset, solam omnium mulierem patientem viri fecit, scilicet, ne feminis repugnantibus, libido cogeret viros „ aliud appetere, eoque facto, castitatis gloriam non „ tenerent. Sed neque mulier virtutem pudicitiae caperet, si peccare non posset. Nam quis mutum animal pudicum esse dixerit, quod suscepto foetu, „ mari repugnat? Quod ideo facit, quia necesse est

agnosceret, ob eamque caussam solum, ut procreandis, educandisque (1) liberis daret operam. Quamobrem cum suos aut ad necem quaeri, aut damnari intelligerent, confidenter, palamque testabantur iniuste inimicos nominis christiani agere, qui homines innocentes, pudicos, optimis moribus, quos neque (2) adulterii, neque flagitii cuiusquam convicissent, supplicio afficere solerent. Alii item, cum excruciari sentirent se, christianos se esse, nihilque mali ab suis agi (3) profitebantur. Quum constans haec esset resistendi hostibus, communisque ratio christianorum, factum tandem est, ut inanis, quae orta de nostris erat, suspicio adulterii, incesti, coenarumque impudicarum funditus (4) tolleretur. Atque lapsu temporum haeretici aliquot, qui fortasse caussa, cur tam perverse de nobis ethnici iudicarent, fuerunt (nam implicati erant hoc genere flagitiorum), poenas sceleris luerunt, obque belluinos mores, quibus vivebant, extincti sunt (5).

,, in dolorem, atque in periculum veniat, si admiserit ,,. Vide quae sequuntur.

(1) Confer loca Iustini, et Athenagorae, quae retuli notat. superiore.

(2) Iust. martyr *apolog.* II. n. 2. *p.* 93. *edit. venet. an.* 1747. de Lucio martyre agens, qui Ptolemaeum ab Urbico iniuria damnatum dixit, propterea quod christianus esset. ,, Quid caussae est, *inquit*, cur huic homini nec adultero, nec stupri reo ..... sed tantum ,, christiani nominis appellationem confitenti poenam ,, irrogaveris ,,? Idem refert Eusebius *lib.* IV. *hist. eccl. cap.* XVII. Ac Iustini, Athenagorae, Minuciique loca, quae supra descripsi, non alio spectant, quam ad repellendam calumniam. Tertullianus praeterea *lib. ad Scapulam cap.* IV. *p.* 71. ,, Praeter haec, *inquit*, depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus ... Viderint, qui sectam mentiantur, quos ,, et ipsi recusamus. Quis denique de nobis alio nomine queritur? Quod aliud negotium patitur christianus, nisi suae sectae? quam incestam, quam ,, crudelem tanto tempore nemo probavit. Pro tanta ,, innocentia, pro tanta probitate, pro iustitia, pro ,, pudicitia ... pro Deo vivo crememur ,,.

(3) Biblias martyr apud Eusebium *lib.* V. *hist. eccl. cap.* I. *p.* 203. his fere verbis est usa, cum torqueretur. Hoc idem fecerunt Vetius Epagathus apud eumdem *ibid. p.* 200., et Blandina martyr *ibid. pag.* 202. Plena sunt huiusmodi responsionum ss. mm. acta Sed non est otium omnia persequi.

(4) Vide quae dixi *tom.* I. *huius op. p.* 180 *seq.*

(5) Huiusmodi haereticos notavit Tertullianus loco supra descripto ex *lib. ad Scapulam cap.* IV. *p.*71., quum scriberet, *viderint qui sectam mentiantur, quos et ipsi recusamus.* Adeundus Eusebius *lib.* II. *cap.* XIII. *hist. eccl. p.* 62., *et lib.* IV. *cap.* VII. *p.* 149., quo loco de Carpocrate, gnosticisque haereticis loquens, quae sibi non esse comperta Iustinus in priore apologia dixit num.26. *pag.* 61. *edit. venetae an.*1747., ea ut explorata, sibique cognita proponit, hoc modo: ,, His ministris usus ,, malignus ille daemon primum effecit, ut ex fidelibus quicumque ab illis decepti essent, ad miserabile exitium tamquam captivi abducerentur. Deinde gentibus a fide nostra alienis amplam obtrectandi, et calumniandi evangelii materiam subministravit, dum ab illis primum orta infamia, ad totius ,, christiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum est, ut absurda quaedam, et impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis ,, spargeretur, quasi nefario concubitu cum sororibus, ,, et matribus misceri, et execrandis dapibus vesci soleremus. Sed haec daemonis artes nequaquam in ,, diuturnum tempus processere, quippe cum veritas ,, seipsam adstrueret, et commendaret, progressuque ,, temporis clarius in dies eluxisceret. Et adversariorum ,, quidem inventa a semetipsis confutata confestim extincta sunt, aliis super alias exorientibus sectis, cum ,, priores assidue diffluerent, et in multiplices, ac ,, multiformes errorum species vario quoque modo ,, evanescerent. Catholica autem ecclesia, quae sola ,, vera est, semperque sui similis, et constans, novis ,, quotidie incrementis augebatur: gravitate, ac liberalitate, sinceritate, modestia denique, et sanctitate ,, vitae cuiusdam, philosophiaeque divinae, omnium ,, oculos non graecorum modo, verum etiam barba-

III.

Quin etiam fiebat interdum, ut qui iuncti matrimonio fuerant, mutuo consensu seiungerentur, ac seorsim bene pudiceque viverent.

Inveniebantur praeterea christiani, qui aut statim atque initiati baptismo essent, aut post baptismum, coelibem vitam agere constituerent, uxoribusque persuaderent, seiunctim ut viverent, iisque illecebris, studio, amoreque rerum divinarum permoti, privarentur, quibus ipsis frui, si vellent, licuisset. Cuius rei (1) Tertullianus testis est locuples. Non enim moror Barbeyracium (2), qui Cypriano archiepiscopo carthaginiensi vitio dedit, quod ubi mysteriis nostris, sacrisque initiatus fuit, uxori suae auctor fuerit, ut separatim maneret, ac rebus divinis contemplandis, virtutique (3) colendae studeret. Nam Cyprianum uxo-

„ rerum perstringens. Simul etiam extincta est temporis lapsu calumnia illa, quae universae religioni nostrae afficta fuerat etc. „

(1) Tertullianus *lib.* 1. *ad uxorem cap.* vi. *pag.* 166. „ Quot enim sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? Voluntarii spadones pro cupiditate regni caelestis. Quod si salvo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto? Credo enim difficilius salvum derelinqui, quam amissum non desiderari etc. „

(2) Barbeyracius *praef. in Pufendorfii opus de I. N. et G.* §. xx. *p.* 50. *edit. an.* 1740. „ Saint Cyprien, *inquit*, étoit marié lorsqu'il se convertit; mais, depuis ce temps-là, avant même que d'être baptisé, il *garda la continence*, comme parle son diacre Ponce: ce qui marqué que l'on croyoit qu'il y avoit quelque espece de sainteté à vivre dans le célibat, pensée qui ne s'accomode pas mal avec les idées de vertu, que l'on avoit alors, qui étoient souvent presque aussi éloignées de l'usage commun de la vie, que la rhétorique du même siecle, d'autant plus estimée qu'elle tournoit les choses d'une maniere peu ordinaire. L'une étoit presque aussi peu propre a procurer le bien du prochain, et de la société, que l'autre étoit peu utile a faire concevoir nettement ce que l'on disoit, et à donner idées justes. Cyprién non content de s'être separé de sa femme, donna encore tout son bien aux pauvres „.

(3) Sed quam multa paucis verbis Barbeyracius peccet, breviter ostendam. Primo Cyprianum uxorem habuisse scribit, quod certe evinci nullo monumento potest, quamquam uxoratum Baronius, Pellus, et e nostris Pagius ad an. 248. n. 4. fuisse putent. Atque assentior equidem Pearsono, qui in annalibus cyprianicis id non constare scribit. Nam quod Pontius ait: *Non uxoris suadela deflexit*, in Iobum, cuius meminit, non in Cyprianum, cuius vitam describit, cadit. Itaque Pagius re diligenter considerata, sententiam mutavit. Confer Ruinartium *act. ss. mm. sincer. pag.* 180. *seq. edit. veron.* Quamobrem, quod subdit Barbeyracius grave Cypriano fuisse, quod se ab uxore seiunxerit, commenticium est. Secundo credidisse Cyprianum sanctioris vitae speciem coelibatum esse, facile concedo; at eam sententiam componi cum notionibus virtutum evangelicarum non posse, id vero tam esse falsum defendo, ut nihil magis. Ac miror equidem stuporem, imperitiamque Barbeyracii, qui coelibatum ignoraret antelatum usui matrimonii fuisse non solum ab Iustino martyre, ab Athenagora, a Tertulliano, a Minucio Felice, ab aliis, quorum testimonia supra descripsimus, sed etiam a Christo, et ab apostolo Paulo. Vide Matth. *cap.* xix. v. 11., *et* 1. *cor.* vii. v. 1. *seq.* Tertio eam ipsam notionem, quam societati hominum inutilem esse Barbeyracius putat, auctoritate Tertulliani, quem semper Cyprianus magistrum appellabat, demonstravi non fuisse christianorum institutis contrariam. Sed de virginitatis voto agam diligenter *lib.* iv. huiusce operis, tumque eorum protestantium argumenta depellam, qui contra senserunt.

rem habuisse non constat. Quod si habuisset, iniuria ob eam rem carperetur, ut qui exemplum maiorum, Paulique consilium sequutus esset.

IV.

Secundas nuptias aut numquam, aut perraro christiani veteres celebrabant.

Rursum etsi nulla lex erat, qua nostris praescriberetur (1), ut neque vir, post uxoris interitum, aliam duceret, neque mulier, mortuo marito, alteri nuberet; tamen plerique eorum sibi ab secundis nuptiis temperabant, propterea quod non admodum continentis (2), pudicique animi id esse indicium arbitrarentur. Quod si veterum quorumdam minus interdum recta, atque accurata de secundis nuptiis videtur esse sententia, non est continuo statuendum, lapsos illos errore fuisse, aliosque impulisse ut laberentur. Non enim eorum loquendi rationes, sed caussae, cur eas adhibuerint, considerandae sunt. Quare neque est (3)

Interea hoc animadvertendum, quam sit levis Barbeyracii auctoritas, quamque fallantur hi, qui eius praefationi in Pufendorfium esse tribuendam censent. Interea confer Eusebium *lib.* I. *demonstr. evang. cap.* IX. *p.* 30. *seq. edit. an.* 1628.

(1) Immo vero concedit in *epistula* I. ad Timoth. Paulus, ut nubant viduae *cap.* V. *v.* 14. Vide vetustissimum *Pastoris opus lib.* II. *mandato* IV. *pag.* 91. *tom.* I. *apostol. pp. edit. an.*1724., ubi haec habentur: „ Si vir „ vel mulier alicuius decesserit, et nupserit aliquis „ illorum, numquid peccat? Qui nubit, non peccat, „ inquit, sed si per se manserit, magnum sibi con„ quirit honorem apud Dominum. Serva ergo casti„ tatem, et pudicitiam, et vives Deo „.

(2) Vide Minucii, et Theophili loca, quae paullo ante descripsi.

(3) Athenagoras *legat. pro christianis n.* 33. *p.* 331. *edit. venet. an.* 1747. „ Neque meditatione sermonum, „ *inquit*, sed demonstratione, et disciplina actionum „ res nostrae continentur, ut quisque vel qualis na„ tus est, maneat, vel unicis in nuptiis. Secundae „ enim decorum adulterium. *Quicumque enim dimise*„ *rit*, inquit, *uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur*, „ nec eam dimitti sinens, cuius virginitati finem quis „ imposuit, nec aliam insuper duci. Nam qui se ipse „ prima uxore spoliat, etiamsi mortua sit, occultus „ quadam ratione est adulter, tum quod manum Dei „ transgreditur (nam initio Deus unum hominem „ finxit, et unam mulierem), tum quod carnis cum „ carne coniunctionem, quodam veluti vinculo, ad „ commiscendum genus colligatam dissolvit. Ceterum „ tales cum simus ... audimus illud proverbium: *me*„ *retrix pudicam*. Nam qui nundinas impudicitiae in„ stituunt ... ea nobis convicii loco obiiciunt ... Eu„ nuchos, et semel nuptos vituperant „. Tillemontius cum haec legisset, suspicatus est, Athenagoram studuisse fortasse partibus montanistarum. *Mem. hist. eccl. p.* 323. *edit. venetae*. Sed nulla erat ratio cur suspicaretur. Namque monogamia magno erat in pretio apud veteres, quorum testimonia collegit praeter ceteros Cotelerius *in not. ad secundum librum Pastoris p.* 90. *tom.* I. *apostolicor. pp. n.* 4. *not.* 16. Bigamia autem non item. Quare poenitentiae bigamus subiiciebatur, ut ostendam *lib.* XI. *huiusce operis, ubi de hierarchia, disciplinaque ecclesiae* disseram. Nil mirum si monogamiam Athenagoras, Minucius, et Theophilus, ut commune christianorum institutum commendent. Mollire autem severiorem sententiam videtur Athenagoras epitheto *decori*, *vel occulti*, quod voci *adulterii* adiungit. Ac si peccaret, opinione Athenagorae, *digamus*, is non μοιχὸς παρακεκαλυμμένος *moechus occultus*, sed manifestus esset. Quare, ut sapienter animadvertit Maranus monachus

Athenagoras accusandus, neque Clemens alexandrinus (1), Origenes, Basilius, Hieronymus reprehendendi sunt, quod secundas nuptias vel honestum adulterium, vel fornicationem appellarint, cum id non eo consilio dixerint, quasi eas revera adulterium, fornicationemve esse putarent, sed quod indicium animi non maxime continentis dare viderentur hi, qui rursum nuptias celebrarent. Cumque his ad castitatem incitandis patres operam navarent, durioribus scilicet interdum vocibus utebantur. Ceterum iidem ipsi, qui iniqui fuisse bigamis visi sunt, ubi ventum ad quaestionem erant, peccarent ne, an immunes a peccato essent, qui secundum, ac tertium, mortua coniuge, aliam ducebant, nihil eos mali agere, respondebant. Itaque Tertullianus (2) ex eorum numero unus, quos Barbeyracius tanto in errore fuisse versatos censet, in altero libro eorum, qui *ad uxorem* inscribuntur, « Mulier, *inquit*, defuncto viro libera est, cui nubat, tantum in Domino. Hic certe nihil retractandum est; nam de quo retractari potuisset, spiritus cecinit; nullam aliam formam reputandarum nuptiarum, nisi in Domino praescribit ». Quod ipsum actum est ab Hieronymo, quem in eiusdem erroris suspicionem huiusce temporis aliqui protestantes vocant. Scribit enim doctor ille maximus hoc modo: « Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus, Paulo iubente, ut viduae adolescentulae nubant. Montanistae in tantum putant scelerata coniugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur (3). Aperiant aures obtrectatores mei, et videant me secundas, et tertias nuptias concessisse in Domino. Qui secundas, et

s. Mauri in ad *apol. Athenag. p.* 331. *edit. ven. an.* 1747. hanc vim habent eius apologistae verba, ut digamus subtiliore quodam sensu, quasi adulter dicatur, propterea quod desciscere videatur ab ea matrimonii ratione, quam Deus initio instituerat, unica uxore Adamo concessa. Accedit, quod minus continentis animi indicium praebeat bigamus, quod, ut ne uratur, secundas nuptias celebret.

(1) Clemens alexand. *lib.* III. *strom. pag.* 464. *edit. paris. an.* 1641., Origenes *homil.* XVII. *in Lucam p.* 957. *tom.* III. *opp. edit. venet. an.* 1743., Basilius *epist.* CLX. *ad Diodorum, al.* CXCVII. *p.* 251., Hieronymus *epist.* LXXIV. *ad Salvinam tom.* IV. *opp. p.* 668. *seq. edit. Martianaei.* Confer Ceillerum *apolog. de la morale des pères de l'église p.* 31. *seq. edit. paris. an.* 1718.

(2) Tertullianus *lib.* II. *ad uxor. cap.* II. *pag.* 167. *edit. an.* 1744. Ita scilicet sentiebat is, qui post severum, et a catholicorum decretis alienam sequutus sententiam est. Clemens alexandrinus *lib.* III. *stromat. p.* 425. *edit. paris. an.* 1641. „ De secundis nuptiis, *ait*, „ si uraris, inquit, apostolus, iungere matrimonio etc. „. Ac Origenes *hom.* XIX. *in Ieremiam* peccare eum, qui secundas nuptias celebrat, negat *pag.* 148. *tom.* III. *edit. eiusd.* Quin etiam Basilius secundas nuptias remedium fornicationis esse affirmat, quod non diceret, si digamus fornicaretur. Si igitur ita ut hi patres explicant, cur non item eodem sensu explicari Athenagorae sententia poterit?

(3) Hieronymus *epist.* XXVII. *ad Marcellam pag.* 64. *tom.* IV. *opp. edit. Martianaei.*

tertias non damnavi, potui damnare (1) motrimonium? Non omnem monogamum (2) putemus esse digamo meliorem. Esto aliquem adolescentulum perdidisse coniugem, et carnis necessitate superatum, accepisse uxorem secundam, quam et ipse statim amiserit, et deinceps vixerit continenter; alium vero usque ad senectam habuisse matrimonium, et uxoris usum, et numquam a carnis opere cessasse. Quis vobis videtur e duobus melior, pudicior, continentior? Utique ille, qui infelix etiam in secundo matrimonio fuit, et postea pudice, et sancte conversatus est ».

V.

Non solum opere, sed etiam verbis, cogitationeque christiani pudici erant.

Atque factis quidem christiani, aspectuque ipso continentes erant. Igitur etsi osculum dare, et accipere in ecclesia consueverant, cavebant tamen ne id prava cupiditate (3) inquinaretur, quod erat casti amoris indicium. Iam vero minus pudice mulierem (4) aspicere non audebant, ut qui non opere solum, sed etiam aspectu moechari mortales scirent. Turpibus autem verbis quemadmodum (5) uterentur hi, qui ne otiosa quidem adhibenda iudicarent? Itaque castum esse christianorum sermonem palam affirmabant, quin eos quisquam mendacii arguere auderet. Neque dicere solum, sed etiam audire quidpiam recusabant, quod minus esse honestum videretur (6). Illud praeterea iure quodam suo sibi vindicabant nostri, ut ita esse institutos se dicerent, ut

(1) *Apolog. ad Pammachium p.* 232. *tom. eod.*

(2) *Comment. in cap.* I. *epist. ad Titum p.* 414 *tom. eod. par.* I. Verumtamen de legibus, sententiaque ecclesiae, quod spectat ad secundas nuptias, agam *lib.* IV. *copiose.*

(3) Athenag. *legat. pro christ. n.* 32. *p.* 330. *edit. an.* 1747. „ Quos fratres, et sorores, ceterisque cognationis nominibus appellamus, maxime nobis curae „ est, ut intemerata, et incorrupta eorum corpora „ permaneant. Huc accedit illa scriptura ... summa „ cautione osculum adhibendum, vel potius adoratio, „ ut quae nos ab aeterna vita excludat, si paullum „ cogitatione inquinetur „. Vide Clem. alexandrinum *lib.* III. *paedagogi cap.* XI. *p.* 257. *edit. paris. an.* 1641.

(4) Athenagoras *ibid.*, Iustinus martyr *apol.* I. *n.* 15. *p.* 52. *seq.*

(5) Minucius Felix in Octav. p. 310. „ Gravitate „ hilaritatem temperamus. Casto sermone, corpore „ castiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur „. Confer Eusebium *lib.* I. *praep. evang. cap.* IV. *p.* 12. *seqq. edit. an.* 1628., et Clementem alexandrinum *lib.* II. *paedagogi cap.* VI. *p.* 168. *seq. edit. an.* 1641.

(6) Vide Eusebium *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* V *p.* 263.

ne cogitatione quidem (1) cum in ceteris, tum in hoc potissimum genere peccarent. Tanta scilicet castitate, integritateque morum (2) praestabant.

VI.

Quum naturae humanae imbecillitatem cognoscerent, ea omnia vitabant, quae occasionem impudice quidpiam aut agendi, aut cogitandi praeberent.

Sed quoniam noverant ipsi se, perspectamque naturae humanae imbecillitatem habebant, intelligebantque, eos in peccandi periculum sese coniicere, qui saltationibus, spectaculis, atque conviviis (3) interessent, in quibus minus honesti quidpiam vel viderent, vel audirent; illud etiam curabant, ut ne quis nostrorum ad ludos, conviviaque accederet. Quod si praeter simulatum, fictumque amorem (4), nihil aliud in theatris spectaretur,

(1) Iustinus martyr *apolog.* I. n. 15. *pag.* 52. *seq. edit. venet. an.* 1747., Athenagoras *legat. pro christ. n.* 32. *seq. p.*330. *seq. eiusd. edit. app. Iustini*, Minucius Felix in Octav. *pag.* 280. *edit. an.* 1672. „ Ea de castis „ fingitis, et pudicis, quae fieri non crederemus, nisi „ de vobis probaretis „. pag. 307. „ At nos pudorem „ non facie, sed mente praestamus „. pag. 333. „ Vos „ adulteria prohibetis, et facitis, nos uxoribus nostris „ solummodo viri nascimur. Vos scelere admissa punitis; apud nos et cogitare peccare est „. Confer Eusebium *lib.* I. *praep. evang. cap.* IV. *p.* 12. *seq.*

(2) Vide Eusebium caesariensem *lib.* I. *demonstrat. evang. cap.* VIII. *p.*29. *seq.*, quo loco de castitate et ascetarum, et ceterorum christianorum agit: et *cap.* IX. *pag.* 30. *seqq.*, ubi refellit eorum argumenta, qui vitam coelibem reprehendere audebant: et Iohann. chrysost. *epist. ad viduam iun. tom.* I. *opp. p.* 340., ubi de matre sua agens, viduam eam caste, integreque mansisse iam inde a vigesimo aetatis anno, idque miratum ethnicum hominem fuisse, quo Iohannes idem magistro utebatur, dixisseque scribit, vide quam egregia virtute mulieres apud christianos vigeant.

(3) Vide, quae dixi tom. I. *huius op. p.* 188. *not.* 2. *et* 4., *et p.* 403. *seq. huiusce vol.*, et Voisinum *tract. apolog. defens. operis de spectaculis editi a principe de Conty p.* 53. *seq. edit. an.* 1671.

(4) Adeundus Minucius Felix, cuius locum descripsimus *huius vol. p.* 108., *et p.* 261. Octavii *ed. an.* 1672. ubi, „ In scenicis, *inquit*, ... nunc enervis histrio amorem „ dum fingit, infligit „. Quo circa eos ludos ab christianis neque probari, neque frequentari dicit. Nam ab Iohanne quidem nostri didicerant, eum, *qui mundum diligat*, charitatis expertem esse, *quoniam omne, quod est in mundo concupiscientia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Epist.* I. *cap.* II. *v.* 15. A Paulo autem acceperant *epist. ad ephes. cap.* V. *v.* 1. *seq.* „ Fornicationem, et omnem immunditiam nec nominandam „ in nobis, aut turpitudinem, aut stultiloquium, aut „ scurrilitatem, quae ad rem non pertinet „. Et *epist. ad philip. cap.* IV. *v.* 8. „ Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque „ sancta, quaecumque bonae famae, si quam virtutem, si quam laudem disciplinae, haec nobis esse „ cogitanda „. Et *epist. ad thessalon. cap.* V. *v.* 22. „ Abstinendum ab omni specie mala „. Et *epist. ad rom. cap.* XVI. *v.* 22. „ Sapientes nos esse oportere „ in bono, et simplices in malo „. Haec enim sive praecepta, sive monita componi cum ludis eiusmodi qui tandem poterant? At enim, dicat quispiam, sunt qui eosdem ludos probent, eosque excusent, qui contra sentiunt. Novi equidem. Sed ita aienti Iohannes chrysostomus respondet, *homil.* VI. *in Matth. tom.* VII. *opp. edit. Montfauc. pag.* 100. *n.* 8. *Propterea gemo quod tam grande malum hoc malum esse non creditur.* Et *hom.* VI. *de poenit. tom.* II. *p.* 318. *n.* 1. „ Id pessimum est malum, cum quis infirmatur, neque idipsum, quod „ infirmatur, novit „. Sed immutata, sic enim aiunt hac nostra aetate aliqui, res est. Nihil nunc in theatro obscoene cernitur. Itaque honesti, pudicique viri, mulieresque eo concurrunt, quin vel leviter peccare

hoc tamen satis esse putabant, ne spectacula frequentarent. In conviviis autem (1), ludisque ceteris intemperantiam, ut ita loquar, regnum obtinere, noverant, quod illi vitium non tantum in suis nullo modo, sed ne in ethnicis quidem ferendum arbitrabantur, ut qui intemperantes propensiores esse ad impudicitiam certo scirent. Utque iam a ludis, et intemperantia sibi, ita ab rebus ceteris cavebant, quas incitare quemquam ad explendam libidinem censerent (2) posse. Non enim auscultassent iis, quorum eo tempore fortasse nulli, nunc autem plures sunt, ma-

se putent. Immo vero sunt, qui fructum virtutis inde se ferre arbitrentur. Ridiculum! Quasi theatra nunc evangelii scholae sint. Nempe ad poetas, atque histriones ebaundum est, ut feramus virtutis fructum. Hoc autem si ridiculum est, quid erit umquam? Nolo enim gravius dicere. Nam quod vitium interdum histrio reprehendat, parvi refert. Egregie Tertullianus *de spect. cap.* XXVII. *p.* 84. *edit. an.* 1744. „ Nemo venenum temperat felle, et elleboro .... Omnia illic „ seu fortia, seu honesta ... proinde habe ac si stil- „ licidia fellis de ranunculo venenata „. Et *cap.* XXIX. *pag. ead.* „ Si scenicae doctrinae delectant, satis no- „ bis litterarum est. Nec fabulae, sed veritates. Nec „ strophae, sed simplicitates „. Quod addunt, immutatum theatrum esse, ferri nullo modo potest. Quid enim in theatro nisi de amore, eoque iam cereali agitur? Hoc omnia recidunt. Hinc Augustinus *lib. de vera relig. cap.* XXII. *tom.* I. *opp. edit. paris. monachor. s. Mauri p.* 702. „ Nec ob aliud a talibus prohibemur „ spectaculis, nisi ne umbris rerum decepti, ab ipsis „ rebus, quarum illae sunt umbrae aberremus „. Sed fac nihil aliud apportent haec mali, nisi impedimentum orationum, precumque nostrarum; an id exiguum est? Vide *August. lib.* X. *confess. cap.* XXV. *p.* 183. *tom.* I. *opp.* Ad viros mulieresque pudicos quod attinet, considerent, quae Augustinus *lib.* VIII. *de Trinit. lib.* II. *p.* 867. *tom.* VIII. scribit: „ Mane si potes, sed „ non potes. Relaberis in ista solita, atque terrena. „ Quo tandem pondere, quaeso, relaberis, nisi sor- „ dium contractarum cupiditatis visco, et peregrina- „ tionis erroribus „? Et quae persequitur *epist.* VII. *tom.* II. *opp. p.* 10. n. 7. „ Nullo modo resistitur cor- „ poris sensibus, quae nobis sacratissima disciplina „ est, si per eos inflictis plagis, vulneribusque blan- „ dimur „. Atqui levare aliquanto animum licet. Non nego. An igitur huiusmodi spectaculis, quae animum ad se pertrahunt? Vide s. Augustinum *in ps.* 39. *p.* 332. *tom.* IV. Atque his derisionibus nostris respondebit Tertullianus *apolog. cap.* XXXVIII. *pag.* 118. *edit. an.* 1744. „ Quo vos, *inquit*, offendimus, si alias prae- „ sumimus voluptates? Si oblectari novisse nolumus, „ nostra iniuria est, non vestra. Sed reprobamus „ quae placent vobis, nec vos nostra delectant „. Rursum Augustinus *lib. de cathechizandis rudibus cap.* XVI. *p.* 280. *seq. tom.* VI. „ Sunt homines, *inquit*, qui nec „ divites esse quaerunt, nec ad vanas honorum pom- „ pas ambiunt pervenire, sed gaudere, et requiesce- „ re volunt ... in theatris, atque spectaculis nugaci- „ tatis ... Studiis autem spectaculorum fiunt daemo- „ nibus similes ... Qualis cibus sumitur, talis vale- „ tudo consequitur „. Confer Tertull. *de spect. c.* XXVIII. *pag.* 84. Verumtamen sunt, qui moveri se ad malum spectando negent. Certum id quidem est. Neque enim nego esse aliquos, qui haec de se ipsis praedicent. Sed viderint ne errent. Est vero omnino difficile, ut spectacula frequentet, qui nullo modo moveatur. Recte Augustinus *lib.* III. *confess. cap.* II. *pag.* 88. *tom.* I. „ Quid est, quod homo ibi vult dolere, cum spectat „ luctuosa, atque tragica, quae tamen pati ipse nol- „ let? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, „ et dolor ipse est voluptas eius ... Et si calamitates „ illae hominum vel antiquae, vel falsae sic agantur, „ ut qui spectat, non doleat, *abscedit inde fastidiens, „ et reprehendens*, si autem doleat, manet intentus, „ et gaudens lacrimatur „. *Ibid. pag. ead.* „ Rapie- „ bant me spectacula theatrica plena imaginibus mi- „ seriarum mearum, et fomitibus ignis mei „. Ante Augustinum Tertullianus *lib. de spect. cap.* XV. *pag.* 79. „ Si quis modeste, et probe spectaculis fruitur, pro „ dignitatis, vel aetatis, vel etiam naturae suae con- „ ditione, non tamen immobilis animi est sine taci- „ ta spiritus passione. Nemo ad voluptatem venit si- „ ne affectu, nemo affectum sine casibus sui pati- „ tur ... Ceterum si cesset affectus, nulla est volu- „ ptas, et est reus iam ille vanitatis, eo conveniens, „ ubi nihil consequitur „. Confer *dissert.* XXIX. *dissert. eccl. abbatis Duguet. tom.* I. *p.* 483. *seq. edit. an.* 1742.

(1) Non eo dico, quo nulla convivia christianis essent. Nam erant, sed sobria, ut recte dictum est a Minucio. Quae autem vitanda essent, ostendunt Minucius *ibid.*, et Clemens alexandrinus *lib.* II. *paedagogi cap.* II. *p.* 157. *edit. an.* 1641.

(2) Adeundus Clemens *ibid. lib.* III. *cap.* XI. *p.* 249.

gno et periculo suo, et malo populi christiani, qui, si ob eam caussam accedendum ad ludos non sit, consequens esse, ut cuique sit e patria exeundum, abeundum in deserta, et ab hominum societate remota loca, anachoreticam vitam ducendam, putant. Maiores namque nostri manendum in civitate quidem, sed eius generis oblectamenta fugienda iudicabant; quod periculi plena essent, eumque, qui se in periculum volens coniiceret, suo periculo (1) cognoscerent periturum. Non enim eum, qui sciens, prudens, volensque in discrimen veniret, sed qui contineret in officio se, qui caste, temperanterque viveret, qui declinare occasiones peccandi studeret, si casu in ullum incidisset, hunc aiebant divino praesidio evasurum periculum. Quae res et auctoritate veterum demonstrari plane ad veritatem, et multis confirmari exemplis potest. Illud autem memorandum, quod accidit Decio imperatore, mandatumque ab Hieronymo litterarum est monumentis. Quum enim christiani quaererentur ad necem, captus adolescens iussu praesidis est, exquisitissimisque suppliciis excruciatus, quod Christo maledicere recusaret. Praeses, qui carnifices viribus destitui, fortemque iuvenem in sententia manere perspiceret, consilium immutavit. Lectum amoeno in loco sterni, spargi flores, meretricem forma satis bona adduci, ceteros inde discedere paecepit. Mulieri autem, quid fieri vellet, ostenderat. Igitur illa iacentem lecto iuvenem aggreditur, verbisque amoris plenis, complexu, osculis incitare ad venerem conatur. Hic ubi se circumventum, viamque aliam periculi vitandi nullam esse vidit, dentibus sibi linguam praecidit, eamque in (2) mulieris faciem conspuens coniecit. Quod sane factum et terrori fugatae meretrici, et iuveni saluti fuit. Ex qua re intelligitur, quae vires addantur divinitus his, qui cum declinare malum studeant, tum inviti, ac ne cogitantes quidem in sempiternae salutis amittendae periculum veniunt.

(1) Vide s. Cypriani *epist.* II. *al.* LXII. *ad Pomponium p.* 8. *edit. oxon.* Sed de re certa plura dicere non est opus. Nam patrum et multa sunt de hac re, et luculentissima testimonia.

(2) S. Hieronymus *in vita s. Pauli primi eremitae tom.* IV. *opp. p.* 69. *par.* II. *edit. Martianaei.*

CAPUT VII.

DE MODESTIA VETERUM CHRISTIANORUM.

Quod autem sibi non licere censebant nostri, hoc idem ne ab ceteris admitteretur cavebant. Cumque exemplo, mundiore cultu, ornatuque hominem homini nocere, magnumque afferre detrimentum posse putarent, illud etiam studebant, ut ne huiusmodi rebus quisquam alteri occasio peccandi esset.

§. I.

De modestia vultus.

Itaque a viris, feminisque hoc maxime postulabant, ut candoris, ruborisque fucati medicamenta omnia repellerent (1), quin naturalem nitorem, elegantiam, munditiamque tollendam arbitrarentur. Sive enim levitatis cuiusdam, sive seducendorum incautorum caussa simuletur color, utrumque esse reprehendendum existimabant, propterea quod incitandi alios ad malum voluntas et fucato, et ei, qui fuco commovcatur, perniciosa sit; levitas autem simulanti colorem interdum fortasse, quia non cogitat, intuenti vero, nisi plane sit continens, vix unquam non esse magno et periculo, et damno possit. Igitur longe fere omnes ab hoc fallaciae, fucique genere aberant, operamque diligentem dabant, ut modestia, gravitateque (2) vultus virtutis amorem non solum sociis, sed hostibus etiam religionis ingenerarent. Quod si inventi aliqui essent, qui contra facerent, horum sive stuporem, tametsi non videam ut se stuporis excusatione possent defendere, sive impudentiam culpandam censebant patres, utque ab incoeptis desisterent cogebant. Quid, si erant nonnulli, qui virgines velatas, tectisque vultibus et incedere, et consistere in

(1) S. Cyprianus *lib. de lapsis p.* 123. eos, qui fictis coloribus faciem, capillosque fucarent graviter reprehendens „ Corrupta, *inquit*, barba in viris, in feminis „ forma fucata. Adulterati, post Dei manus, oculi, capilli mendacio colorati „. Adisis Tertull. *lib.* II. *de cultu feminarum cap.* V. *seq. p.* 166. *seq. edit.* an. 1744.

(2) Vide Minucium Felicem in Octav. *p.* 310. *edit.* an. 1672.

ecclesia vellent, ne forma cuiquam inspectantium (1) nocumento essent?

§. II.

De moderato vestitu veterum christianorum.

Sed quoniam non modo simulato colore, verum etiam immoderato cultu (2), ornatuque alter alteri nocere potest, in utroque adhibendam esse nostri statuebant modestiam. Vestes namque introductas fuisse sciebant (3), operiendarum primum minus honestarum corporis partium, tum distinguendorum virorum a mulieribus, inde aetatum, conditionumque dignoscendarum, non incendendorum ad libidinem animorum caussa. Quamobrem ita omnes in civitatibus versabantur (4), ut cum mores, atque instituta communia, quae cum virtute, pietateque minime pugnarent, consectarentur, tum iis vestibus uti solerent, quae ut sexum, conditionem, statum, ita honestatem eorum, modestiamque ostenderent. Ac viri quidem, qui austeriorem, severioremque disciplinam profitebantur, deposita toga, pallium (5)

(1) Tertullianus *lib. de veland. virg. cap.* II. *p.* 173. „ Illam consuetudinem, *inquit*, quae virginem negat, „ dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales, qua- „ les virgines ipsae. Tales enim oculi volent virginem „ visam, quales habet virgo, quae videri volet. Invi- „ cem se eadem oculorum genere desiderent. Eiusdem „ libidinis est videri, et videre. Tam sancti viri est sub- „ fundi, si virginem viderit, quam sanctae virginis, si „ a viro visa sit etc. „. Clemens alexandrinus eamdem ob caussam, opinor, *lib.* III. *paedagogi cap.* XI. *p.* 256. *edit. an.* 1641., non virgines solum, sed ceteras etiam mulieres, si semper tectae sint, recte facturas testatur: „ Semper tecta sit, *inquit*, nisi domi fuerit „.

(2) Tertullianus *lib.* I. *de cultu feminarum cap.* IV. *p.* 151. „ Cultum dicimus, *inquit*, quem mundum mu- „ liebrem vocant: ornatum, quem immundum mulie- „ brem convenit dici. Ille in auro, et argento, et gem- „ mis, et vestibus deputatur: iste in cura capilli, et cu- „ tis, et earum partium corporis, quae oculos trahunt. „ Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitu- „ tionis „. Sed nos cultus nomine curam capillorum etc. hoc loco indicamus. Nam de cura cutis, dictum est §. superiore.

(3) Confer s. Basilium *regul. fusius tract. interrog.* XXII. *pag.* 366. *seq. tom.* II. *opp. edit. monach. s. Mauri*, ubi quaerit, *quodnam vestimentum conveniat christiano?* Cyrillum alexandrinum *catech.* IV. *p.* 94. *edit. an.* 1641., et Clementem alex. *lib.* II. *paedag. cap.* X. *p.* 300. *edit. an.* 1641. ubi. „ Dico, *inquit*, hominem non alia de „ caussa opus habere vestimentis, quam ut tegatur cor- „ pus „. Vide quae sequuntur.

(4) Iustinus martyr *epist. ad Diognetum n.* 5. *p.* 258. *edit. opp. venet. an.* 1747. „ Indigenarum, *inquit*, insti- „ tuta sequentes (christiani) in vestitu, victuque, et ce- „ teris, quae ad vitam pertinent, mirabilem ..... suae „ politiae statum oculis nostris proponunt „. A pretiosis enim vestibus christiani abstinebant. Consule Clementem alexand. *lib.* II. *cap.* X. *paedag. pag.* 200. *edit. an.* 1641.

(5) Iam primum hoc satis constat, plerosque nostrum sine integumento ullo capitis processisse. Atque huc spectat dialogi Philopatridos auctoris de christianis locus *tom.* III. *opp. Luciani pag.* 608. *edit. an.* 1743. „ Alius, *inquit*, tribonio (hoc est pallio sectarum pro- „ prio), quod caries consumserat, indutus, excalceatus „ praeterea, et *aperto capite* „. Idque iam confirmari picturis, sculpturisque potest, quas exhibent in Roma subterranea Bosius, Severanus, Aringhus, Boldettus, Buttarius, in vitris Bonarrotius, in monumento s. Severae Lupus, in lucernis Licetus, et Bartholus, et Iohannes

sumere consueverant, quod hoc vestis genus proprium illorum esse iudicarent, qui creati presbyteri ecclesiarum, vel ascetarum institutis addicti essent. Atque ascetarum tunica (1) alba erat,

Baptista Casalius, in inscriptionibus Fabrettus, et Muratorius, in comment. de biblioth. vindob. Lambecius, innumerique alii, qui vetera monumenta quaedam christianorum aut primi omnium ediderunt, aut ab aliis edita illustrarunt. Vide tabulam, quas nos exhibuimus supra p. 17. fig. 11., et 43. fig. 2., quae lucernam exhibet, cui est impressa imago martyris fortasse alicuius manu palmam tenentis, cuius caput diademate ornatum est, et pag. 54. 63. 65. 69. Non nego autem, fuisse aliquos, qui caput tegerent. Laminam in fronte gestasse Iohannem apostolum scribit Polycrates ephesiorum episcopus apud Eusebium *lib.* v. *hist. cap.* xxiv. Sed hoc integumenti genus sacerdotis signum fuit. Quamobrem ne vix quidem mihi persuadere possum, publice illud gestatum ab Iohanne fuisse. Ac de eo alias opportune, ubi de vestibus sacris, agam. Sudario autem Pauli tegmina capitis fuisse censet Iohannes Lamius vir doctissimus, Theophilactum, et Oecumenium auctores sequutus. *De erud. apost. cap.* iv. *pag.* 58. et 88. *edit.* an. 1738. Ac christianos, qui usum regionum, quas incolerent, sequebantur, ut Iustini *epist. ad Diognetum loc. cit.*, et Tertulliani *apolog. cap.* xlii. *pag.* 133. *edit.* an. 1744. *in append.*, et Cypriani *de bono patientiae p.* 214. testimoniis plane liquet, tegere caput consuesse, si id usus posceret, negari non posse arbitror. Igitur mirabile non est, si non magorum solum, qui Christum adoraturi venerunt, sed etiam ss. mm. Abdon, et Senen imaginum capita operta galero phrygio exhibeantur apud Aringhum *tom.* i. *Rom. subterr. pag.* 363. Quin etiam imagines quaedam virorum exhibet Aringhus, quae pileatae sint. Vide tab. secundam sepulcror. coemeter. s. Callisti. Sed vereor, ne sint eae recentiores, quam ut referri in iv. ecclesiae saeculum possint. Confer Bottarium *tom.* ii. *Rom. subterr. pag.* 70. *tab.* 75. Sed quocumque tandem operimento capita aliquot christiani tegerent, necessitatem illi quidem, non ornatum quaerebant. Consule Lamium *ibid. pag.* 59. *seq.* Atque haec de capitis ornatu dicta sunto. Nunc de pallio. Falluntur igitur, qui omnes christianos usos pallio fuisse putant. Eo enim utebantur, qui vitae austerioris disciplinam colebant, id quod post magnum Baronium ad an. 197. n. 8. *seq.*, et post Salmasium *in lib. Tertull. de pallio edit. an.* 1656., *et respons. ad* Anton. Cercoetium, hoc est ad Dionysium Petavium, probarunt Rigaltius *in eumdem Tertulliani librum pag.* 111. *edit.* an. 1744., Allixius *de Tertull. vita, et scriptis pag.* 39., Caveus *relig. des anciens tom.* ii. *pag.* 46. *seq. edit.* an. 1711., Heineccius *exercit. de habit. apost. sacerd. cap.* i. §. ii., et e nostris Iohannes Lamius vir doctissimus *lib. de erud. apost. cap.* iii. *p.* 57. aliique permulti, quos tacitus praetermitto. Si enim pallium Romae adhibuissent christiani universi, qui tandem in xlii. apologetici capite dixisset Tertullianus, eiusdem nos esse, atque ethnicos *habitus?* Atque ut non omnes philosophi, sic ne omnes quidem clerici pallium adhibebant, sed ii solum, qui severiorem vitae rationem amplexi erant. Consulendi Eusebius *lib.* iv. *cap.* xi. *histor. eccl. edit. cantabrig.*, ubi de Iustino, *et lib.* vi. *cap.* ix., ubi de Heracla, *et lib.* viii. *de mart. palaest. cap.* xi., ubi de Porphyrio mart. agit, et Hieronymus *de vir. illustr. cap.* ex. *tom.* iv. *opp. pag.* 109. *edit. Martianaei.* Confer Baronium *loc. cit. p.* 10. Quare non moror Scaligerum ad Eusebii chronicon n. 2142. pag. 203., Danaverum christeid. *act.* 1. *theat.* 1. *phaen.* 4. *p.* 180., et eruditissimum Cangium *in glossar. tom.* iii. *p.* 101., qui contra sentiunt. De toga videndi Turrigius *tom.* iii. *thesauri Graevii edit. batav. p.* 395. *seq.*, Valerius Andreas *de toga, et sago edit. lovan. an.* 1625., Hieronymus Bossius *de toga rom. edit. ticin. an.* 1614.

(1) Vide Octavium Ferrarium *de re vestiaria par.* ii. *lib.* iv. *cap.* i. *p.* 203. *edit. an.* 1654. Neque ascetarum solum, sed etiam aliorum. Confer act. ss. Perpetuae, et Felicit. apud Ruinartium n. 10. p. 84., ubi de Pomponio diacono induto *discincta candida* sermo fit. *Distinctam* enim legit Bonarrotius in vitris p. 91., non *distinctam*, et in *act. ibid. apud Ruinart. edit. veron.*, et apud Holstenium, et Bollandianos. Interdum autem ascetarum tunica *pulla* erat. Hieron. *epist. ad Rusticum monachum pag.* 774. *tom.* iv. *opp. par.* ii. *edit. Martianaei.* Consule Lamium *loc. cit. p.* 75. Ac tunica quidem proprie dicitur, inquit Theophilactus, *in cap.* v. *Matth.*, τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον ὑποκάμισον, *quod a nobis dicitur indusium, vel subucula.* Quare *tunica* Christi inconsutilis *subucula* erat. De qua re videndus Lamius *ibid. pag.* 70. *seqq.*, et de tunicis apostolorum, quarum meminerunt Matthaeus *cap.* v. v. 40., Marcus *cap.* vi. v. 9., Lucas *cap.* ix. v. 7. *evang.*, et xxii. v. 36., *et actor. cap.* xiv. v. 13. Tunicae pallium superimponebatur. Confer *act. apost. cap.* xii. v. 8., Lamium *ibid. pag.* 71. *seq.* Nam pallio uti apostolos consuesse, multis ostendunt Grotius ad locum actorum modo indicatum, et Salmasius *ad Tertull. lib. de pallio p.* 87. *edit. an.* 1656. Sed pallia, tunicas, chlamydes et alias generis eiusdem vestes laneas fuisse defendit Ferrarius *par.* ii. *de re vestiar. lib.* iv. *cap.* cxxi. *edit. an.* 1654. At lineas interdum tunicas fuisse, ostendit Lamius pag. 75., Hegesippi apud Eusebium *lib.* ii. *hist. cap.* xxiii. auctoritate fretus, quem omnino consuli volo. Tunica, et pallium vestimenta longa erant, non tamen ita ut pedes tegerent. Verum de magnitudine, et forma horum vestimentorum, adeundi Lamius *ibid. pag.* 82. *seq.*, Bonarrotius *loc. cit.*, Ferrarius *de re vestiaria.* Nolo enim copiosius

pallium autem, ut a viris doctis animadversum est, nigrum. Alii etsi togati erant, tamen (1) gravitate, atque modestia exemplo omnibus, nulli esse offensioni curabant. Qui vero e blebe erant, hi tali (2) veste, qualem status ratio postulabat, utebantur. Recte enim ab se fieri putabant, si a quibus accepissent doctrinam, institutionemque morum, eorum sibi virtutem, pietatem, temperantiam, integritatem morum, liberalitatem, continentiam, humilem simplicemque vivendi modum ad imitandum proponerent. Itaque quod indumenta indicia esse modestae, moderataeque mentis, atque simplicis candidam, diversorum autem colorum (3) vestes fraudis signa esse arbitrarentur, eas adhibebant, quae nihil levitatis, luxus, fastusque in eorum animis inesse demonstrarent. Qua de re illustris est Pontii diaconi de Cypriano (4) carthaginiensium episcopo locus. Singularem nam-

de rebus egregia ab his scriptoribus explicatis agere. Saeculo IV. etsi monachorum, ascetarumque viliores, tamen presbyterorum, episcoporumque vestes paullo esse, quam olim consueverant, elegantiores coeperunt. *Birrhus* enim, seu *byrus*, vel *berus* serica vestis, ut testantur Zonaras *ad can.* 12. *concil. cangrensis pag.* 421. *tom.* I. *cod. eccles. universae Beveregii edit. an.* 1672., et Balsamon *ibid. pag. ead.*, communis clericorum erat, quam cum ethnici in nos fererent, obtinuisse, numquam animum inducam, ut credam. Itaque cum Eustathius Sebastenus pallium sumsisset, ceterosque ecclesiasticos viros carperet, propterea quod *beris*, et alia communi, solitaque veste uterentur, ab synodo cangrensi, Eulalio patre, et caesariensi episcopo auctore, de gradu deiectus, errorisque condemnatus est. Confer *can.* 12. *synodi cangrensis tom.* I. *concilior. edit. Hard. p.* 536., et Socratem *lib.* II. *hist. eccl. cap.* XLIII. *p.* 159. *edit. cantabrig.* Non enim Salmasio *ad lib. Tertull. de pallio p.* 32., et Svicero *thesaur. eccl. pag.* 684. *tom.* I. assentior, *birrhum* villosam vestem fuisse sentientibus. De aetate autem intelligenda esse arbitror, quae scribit auctor Philopatridos p. 606. n. 21. „ Ostendit „ mihi male vestitus aliquis e montibus huc veniens „ comam detonsus etc.

(1) Confer Clementem alexandrinum *lib.* II. *paedagogi cap.* X. *p.* 200. *seq. edit. an.* 1641.

(2) Apostolorum vestem minimi pretii fuisse, certa res est. At illi communem, usitatamque habitum regionis suae retinuerunt. Id quod post Fassesium, aliosque, animadvertit Schurtzfleischius *append. ad controv. antiq. eccles. cap.* II. §. 12. *p.* 645. *edit. an.* 1733. Sed de Christi, apostolorumque indumentis adeundus Iohannes Lamius *loc. cit. p.* 69. *seq.*, qui etiam de tunica, et pallio etc. illustrium monumentorum subsidiis fretus, accurate in primis disseruit, non admodum ab Octavio Ferrario *par.* II. *de re vestiar. lib.* IV. *cap.* XI. discrepans.

(3) Adisis Clementem alexandrinum *lib.* III. *paedagog. cap.* XI. *p.* 244. Non nego tamen, eos, qui dignitate praestarent, hac vestem adhibuisse, quae dignitas ipsa posceret. Itaque Glabrionem, et Clementem, aliosque, si qui consules, aut senatores christiani fuerunt, et laticlavio, et iis ornamentis ceteris usos fuisse, quae propria muneris essent, facile patior. De tunicis *στενοσήμοις*, sive *angusticlavis*, et *πλατυσήμοις*, sive laticlavis, quarum illae duobus angustioribus segmentis purpureis per utrum humerum ad infimam tunicae oram productis, hae latiore segmento uno per pectus ad imam tunicam descendente insignes erant, agunt Albertus Rubenius *de re vestiaria cap.* VIII. *p.* 955. *edit.*, cuius sententiam contra Ferrarium tuetur Graevius *praef. ad tom.* VI. *thesauri antiquit. rom.*, Bossius *lib. de senatorum latoclavo*, qui itidem purpureus erat, ut aureus triumphantium, *edit. ticin. an.* 1618., Bonarrotius, *osser. sopra alcuni framm. di vasi di vetro ec. tab.* 15. *pag.* 88. *seq. edit. an.* 1716., Mazangonus *delle cose gentilesche a uso delle chiese cap.* XXXIV. *p.* 139., Boldettus *lib.* I. *cap.* XXXIX. *p.* 197. *delle osservazioni sopra i cimiterii*, aliique. De variis autem vestium generibus consulendi Albertus Rubenius *de re vestiar. tom.* VI. *thes. Graev. p.* 934. *seq.*, et Octavius Ferrarius *de re vestiar. edit. an.* 1654.

(4) Pontius diaconus *in vita et pass. s. Cypriani num.* 6. *pag.* 181. *apud Ruinart. act.* SS. *mm. sincer. edit. veron.*

que fusse scribit illius in vestitu, cumque gravitate coniunctam modestiam (1).

Muliebrum vestium etsi forma diversa, ut distingui a (2) viris possent, vilitas tamen eadem fere atque virorum erat. Utebantur autem mulieres tunica, quae propria sexus esset, stola, atque palla, ut recte est ab Octavio (3) Ferrario, ab aliisque scriptoribus (4) adnotatum. Atque eamdem *fere* fuisse *simplicitatem* indumentorum, quae mulieres adhibebant, dixi, atque eorum, quibus utebantur viri; quod vestes feminis paullo interdum (5) molliores, nihil impedientibus magistris christianorum, concederentur. Sed sponsarum, et matronarum quarumdam vestes, stolasque in primis pretiosas quandoque fuisse, colligi facile ex Tertulliani (6) libris, cognoscique ex vitris quibusdam, quae a Bonarrotio (7), aliisque antiquitatum christianarum illustratoribus referuntur, potest. Quamquam vereor, ne haec vitra non multo antiquiora quisquam Diocletiani temporibus esse putet. Orariis praeterea non viri modo, sed mulieres etiam christianae uti (8) consueverant. Erat autem orarium fascia quaedam oblonga, quae collo involvebatur. Cuius quidem generis longum amiculum esse arbitror, quo ornatae imagines matronarum in coemeteriis (9) cernuntur. Annulos item gestasse (10) et argenteos, et aureos, et aliorum generum metallorum christianos iam usque a temporibus apostolorum, nemo est, opinor, qui

(1) *Act. s. Cyprian. apud Rainert. pag.* 161. *edit. veron. n.* 6.

(2) Vide Tertullianum *lib.* II. *de cultu feminarum cap.* IV. *seq. pag.* 151. *seq. edit. an.* 1745., Clementem alexandrinum *lib.* II. *paedagogi cap.* X. *p.*200., et e novis Octavium Ferrarium *lib.* III. *de re vestiar. cap.* X. *p.* 238., *et par.* II. *lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 90., *et lib.* III. *cap.* II. *p.* 96., et enaclet. *de re vestiaria cap.* XII. *seqq. p.* 70. *seq.* Sed cuiusmodi essent vestimenta mulierum christianarum, intelligi facile poterit ex picturis, sculpturisque, quarum ectypa referunt Bosius, Aringhus, Boldettus, Botterius, Bonarrotius, aliique rerum christianarum veterum editores.

(3) Octav. Ferrar. *de re vestiar. lib.* III. *cap.* X. *p.* 238. *seq.*

(4) Vide Iohannem Lamium *loc. cit. pag.* 86., et Bayfium *de re vestiaria p.* 557. *edit. Graev. cit.*

(5) Consule Clementem alexandrinum *lib.* II. *paedagogi cap.* X. *p.* 200. *edit. an.* 1741., et Lamium *loc. cit. p.* 82.

(6) *Lib.* II. *de cultu feminarum cap.* II. *pag.* 158. *edit. an.* 1744.

(7) *Osservazioni sopra alcuni framm. di vasi di vetro p.* 152. *tab.* 21. *fig.* 3. Confer Aringhum *tom.* I. *p.* 535. *et tom.* II. *p.* 265.

(8) Ferrarius enaclet. *de re vestiar. cap.* XV. *p.* 52. *et seq.*, et Lamius *ibid. p.* 88.

(9) Eiusmodi imagines cernere in Rom. subterr. picturis, et sculpturis apud Bosium, Aringhum etc. permultas licet. Vide Boldettum pag. 458. Sed fortasse ornamentum illud quidem vesti assutum, non orarium est. Utcumque sese res habeat, parvi refert.

(10) Vide s. Iacobi epistolam *cap.* II. *v.*2., Clementem alexandrinum *lib.* III. *paedagogi cap.* XI. *pag.* 245. *seq.*, Tertullian. *lib.* I. *de cultu feminar. cap.* XIV. *p.*154. *seq. edit. an.* 1744. De annulis qui scripserint, indicat Iohan. Albertus Fabricius *bibliogr. antiquar. cap.* XVIII. *pag.* 569. *n.* 8. Vide Ferrarium *lib.* I. *elector. cap.* XII. *p.* 77. *seq. edit. an.* 1679., et Lamium *loc. cit. pag.* 91.

neget. Quin etiam (1) inaures, monilia (2), periscelia, aliaque magni pretii ornamenta habuisse aliquas mulierum christianarum, in primisque eas, quae illustres nobilitate essent, divitiisque circumfluerent, constat. At earum, si quid in hoc genere contra modestiam, gravitatemque peccassent, reprehensa (3) a patribus ratio est, ut quae adversari rectae institutioni morum videretur. Calceis denique pedes christianae feminae (4) tegebant, soleisque, propterea quod minime decere putarent nostri, mulieres pedem (5) ostendere. Contra viri, aut nudis pedibus (6) incedebant, aut calceis, sandaliis, soleis, soccisque utebantur, ut dignitas, consuetudoque regionum, quas incolerent, postulabat (7).

Vestes autem christiani, non solum operiendarum minus honestarum corporis partium adhibebant, qua in re incredibilem eorum fuisse diligentiam plane (8) liquet; sed etiam colendae, tuendaeque religionis, quam essent amplexi, caussa. Igitur si quas esse superstitione invectas norant, eas nullo modo sibi (9) dari patiebantur. Quamobrem et Perpetua, sociique martyres, et qui (10) Cypriani tempore pro christiana religione certarunt, laudati a maioribus nostris sunt, quod adeo strenue pugnassent, ut ethnicos indumenta eiusmodi ipsis imponere conantes vicissent, eosque a suscepto consilio, summa fortitudine, constantia-

seq. Aliquos eorum, quibus olim christiani sunt usi, exhibet Boldettus *lib.* II. *cap.* LIV. *p.* 502.

(1) Clemens alexandrinus *lib.* III. *paedag. cap.* CCXLV., Tertull. *lib. de cultu feminar. cap.* V. *p.* 152. Id vero illi non probant.

(2) Clemens *ibid. p.* 246., et *lib.* II. *cap.* XII. *p.* 206. Sed is aversatur eiusmodi cultum. Confer Tertullianum *lib.* I. *de cultu feminar. cap.* IV. *pag.* 151. Extant apud Aringhum, et Bottarium *in Rom. subterr.* imagines quaedam monile collo feminae circumpositum exhibentes. Vide Bonarrotium tab. 21. fig. 3. operis supra indicati. De periscelidis confer Ferrarium analect. *de re vestiaria cap.* XII. *p.* 71.

(3) Consule Clementem, et Tertullianum locis supra indicatis. At modum in ea re non improbat Clemens *lib.* III. *cap.* XI. *paedag. p.* 243.

(4) Clemens *lib.* II. *paedag. cap.* XI. *p.* 245. *seq.*

(5) Clemens *ibid.* Vide pseudo-Lucianum *loc. cit. p.* 96. *seq.*

(6) Vide evangelium Matthaei *cap.* III., Marci *c.* II., Lucae *cap.* III., Iohann. *cap.* XIII., acta apostolorum *cap.* XII. *v.* 8., acta martyrii s. Polycarpi *apud Ruinart. n.* 12. *p.* 36., et s. Fructuosi *n.* 1. *seq. p.* 191. *edit.* veron., Clement. alexandrinum *ibid. p.* 245. *seq.*, Tertullianum *lib. de pallio cap.* V. *p.* 118. *edit. an.* 1744., Calmetium *dissert. de re vestiaria veterum hebraeorum*, Iulium Nigronum *lib. de caliga edit. an.* 1672., Benedictum Balduinum *calc. antiq. et myst. edit. an.* 1615., Antonium Bioneum *de calceis hebraeor. edit. an.* 1695., Albert. Rubenium *diatrib. de calceo senator. edit. an.* 1615. Ceteros scriptores, qui de calceis etc. scripserunt, recenset Fabricius *bibliogr. antiquar. p.* 573. *seq.* Nudis pedibus christianorum aliquos incedere consuesse colligitur ex Tertulliano, Clemente, et pseudo-Luciano in *dialog. inscript. Philopatris.* Adeundus Lamius *loc. cit. pag.* 93. *seq.*

(7) Quod hic de calceis dixi etc.; idem de vestibus dicendum puto. Vide Lamium *loc. cit. p.* 97. *seq.*

(8) Vide Clementem alexandrinum *lib.* II. *paedag. cap.* X. *p.* 200. *seq. edit. an.* 1641., et acta ss. mm. Perpetuae, Felicit. etc. *n.* 20. *p.* 87. *edit. Ruinartii veron.*

(9) Vide acta eadem ss. Perpet. et Felicit. num. 18. *p.* 87., Tertullianum *lib. de idololatria cap.* XVIII. *p.* 96. *edit. an.* 1744., et Cyprianum *lib. de lapsis pag.* 122. *edit. oxon.*

(10) Consulitor Cyprianus *ibid.*

que deterruissent. Illud quoque cavebant, ne qua mulier virilem, neu quis vir vestem muliebrem (1) sumeret. Non enim fas esse arbitrabantur, ut sexum fingeret quisquam, seque iam talem non esse, qualis conditus a Deo est, simularet. Id vero cum ipsi curarent, tum ethnicos arguebant, quod in eo genere et saepe, et graviter peccarent.

CAPUT VIII.

QUEMADMODUM SE CHRISTIANI DOMI, FORISQUE GERERE SOLERENT, OSTENDITUR.

His moribus cum viverent christiani, nullum in suis privatis aedibus aut luxus, aut ornatus, qui minime deceret, indicium reperiri (2) volebant. Scilicet id agebant, ut specula, tabulae, sellae, mensae, lecti, vasa, res denique ceterae, quae aut ad cultum domus, aut ad familiae usum pertinent, non fastum, non superbiam, non ambitionem, sed velut imaginem quamdam modestiae, demissi animi, candoris, integritatisque morum, quibus illi virtutibus excellebant, proponerent. Neque in aedium modo, sed etiam in proprio ornatu eorum nihil lautum admodum, minusque compositum ad modestiam conspiciebatur. Atque ut levitate odiosam, exquisitamque nimis munditiam plerique omnes, ita multi agrestem, inhumanamque in eo (3) genere negligentiam aversabantur. Quod si qui sordido amictu, tuguriisque (4) utebantur, hi etiam laudandi erant, quod contemtu rerum caducarum, studioque sempiternarum, ac voluntate veniendi in aliorum contemtum, placendi autem uni auctori omnium bonorum Deo permoti hoc facerent. Tonsi magnam (5) partem viri erant, ut praeseferrent gravitatem, atque a mollitie alienum

(1) Vide Iulium Firmicum *de error. prof. relig.* *p.* 9. *in calce Octav. Minuc. Felic. edit. an.* 1672. Confer etiam quae scripsi supra pag. 111. in notis.

(2) Adeundus Clemens alexandrinus *lib.* II. *stromat.* *cap.* III. *p.* 160. *seq. edit. an.* 1641.

(3) Vide Clementem *ibid. p.* 161. *seq.*, et Hieronymum *epist. ad Eustochium* de virginitate servanda *t.* IV. *opp. p.* 41. *par.* II. *edit. Martianaei*, ubi nec adfectatae sordes, *inquit*, nec exquisitae munditiae conveniunt christiano.

(4) Consule auctorem libri Philopatridos loc. cit., et Lamiam *de erud. apost. cap.* IV. *p.* 80. *seq.*

(5) Vide Paulum apostolum *epist.* I. *ad corinth.* *cap.* XI. *v.* 14., Tertullianum *lib. de velandis virginibus* *cap.* VII. *p.* 176. *seq. edit. an.* 1744., auctorem Philopatridos *ibid.* Capitis tamen tonsura ea fuit, ut crines non ad cutem rasi, sed decurtati tantum, et attonsi essent, ut statuae quaedam, imaginesque veterum christianorum apud Bosium, Aringhum, Bottarium, Boldetum, Buonarrotium exhibent. Adeas Lamium *ibid.*

animum; mulieres contra non item. At in harum capillis nihil cernebatur, quod bonam (1), pudicamque feminam non deceret. Barbam viri non omnes; sed qui nutriebant, qui sane maximo erant numero, nullo artificio aut fucandam (2), aut tondendam putabant. Quamquam ne illud quidem ferrent, ut nimium (3) agrestis esset. Vita autem eorum quotidiana fere haec erat. Mane, ut e somno excitabantur, surgebant, signoque (4) crucis, quod plurimum contra hostes generis humani valere cognoverant, se munientes, orabant, gratiasque Deo, quod illos salvos, incolumesque (5) servasset, agebant. In ecclesiam inde, ut rei divinae interessent, precesque divino numini abhiberent, se (6) conferebant. Quod si quidquam obstabat, quo minus congregari possent, domi vel soli (7), vel cum suis sacra biblia legere, hymnis laudare Deum, confirmare daturos operam se, ut quae in baptismo promiserant, implerent, obsecrare denique solebant, ut sibi auxilia darentur, quo iusti, prudentes, boni, pudicique (8) essent. Extremum (9) precum gratiarum actio erat. Post ad rem familiarem curandam covertebant animum, si erant

pag. 60. *seq.* Hinc Prudentius hymno XIII. Π. Σ., qui est de s. Cypriano, *p.*146. *edit.* an.1625., sanctum martyrem, statim ac christianus est factus, promissam decurtasse caesariem scribit.

„ Deflua caesaries compescitur ad breves capillos.

(1) I. *ad corinth. cap.* XI., Clemens alexan. *lib.* III. *paedag. cap.* XI. *pag.* 248. *edit. an.* 1641., Tertullianus *lib. de cultu feminar. cap.* V. *seq.* Confer Lamium *ibid.* *p.* 65. *seq.*

(2) Clemens *lib.* III. *paedag. cap.* XI. *pag.* 247., et Tertullianus *lib. de cultu feminar. cap.* VIII. *p.* 147., ubi quosdam accusans christianos, qui in hoc genere peccabant „ Proprias, *inquit*, praestigias formae et hic „ sexus sibi agnoscit, barbam acrius caedere, inter„ vellere, circumdare capillum, disponere, etiam co„ lorare canitiem, primam quamque subducere totius „ corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri di„ stinguere, cetera pulveris cuiusdam asperitate levi„ gare, tum speculum omni occasione consulere, an„ xie inspicere, quum tamen cognitio Dei ademta „ placendi voluptate per luxuriae vacationem omnia „ illa ut otiosa, et hostilia pudicitiae recusantur „. Quam hic eleganter describit mores senum aliquorum huiusce temporis!

(3) Clemens alexandrinus *lib.* III. *paedag. cap.* XI. *pag.* 248.

(4) Id vero faciebant, quoties aliquid aggrediebantur. Tertullianus *lib. de corona militis cap.* IV. *pag.* 102. *edit. an.* 1744. „ Ad omnem progressum, atque pro„ motum, ad omnem aditum, et exitum, ad calcia„ tum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubi„ lia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exer„ cet, frontem crucis signaculo terimus „.

(5) Vide Prudentium hymn. *matut. v.* 1. *seq. p.*30. *edit. an.* 1625.

(6) Stato die fieri id consuesse scribit Plinius *epist.* XCVII. *lib.* X. *p.* 629. *edit. Cellar.*, et Iustinus martyr *apolog.* I. *p.* 86. *edit. an.* 1747. Sequiore aetate factum id est multo frequentius, ut ex Eusebii, auctoris constitutionum apostolicarum, aliorumque testimoniis, quae producam, ubi de sacris conventibus agero, plane constat. Atque quotidie mane congregari christianos initio, post ascensum Christi servatoris in caelum, solitos fuisse, ut eucharistiam celebrarent, Deumque laudarent, auctor est in actis apostolicis Lucas *cap.* II. *v.* 46. *seq.*

(7) Adeundus Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromateon p.* 722. *edit. an.* 1641.

(8) Vide Iustinum martyrem *apolog.* I. *n.*13. *p.*51. *edit. venetae an.* 1747.

(9) Iustinus *ibid.*, et num. 65. *pag.* 85., et Clemens *lib.* VII. *stromateon p.* 710. et 720., et *lib.* V. *p.* 577. Similia scribunt patres ceteri, quorum testimonia, ne sim longus, praetereo.

laici; sin autem clerici, suis officiis (1), muneribusque obeundis operam dabant. Iam vero pransum ituri, antequam discumberent, Deum (2) invocabant, quod ex illo cuiusque actionis (3) ducendum esse initium intelligerent, utque ipsis cibus salutaris esset, orabant. Ac si sacerdotum quisquam aderat, namque hos aliqui ad prandium saepe (4) invitabant, huic benedicendae mensae partes concedebantur; sin minus, pater familias id munus obibat, et pransuris bene precabatur. Igitur cibos, qui appositi mensae erant, quasi sacri essent, considerabant, adeo ut ne micam quidem panis excidere, proiicique in terram (5) paterentur. Post prandium surgebant, lectoque capite quopiam libri alicuius sacri, gratias rursum Deo agebant, conferebantque se aut ad laborem, aut ad ea opera, quae *misericordiae, charitatisque* (6) vocamus. Namque ad eos, qui vel adversa valetudine laborarent, vel paupertate conflictarentur, vel in carcere religionis aliusve rei caussa erant, adibant, ipsosque rebus omnibus, ut poterant, iuvabant. Qua in re utri, viri ne feminas (7), an contra, superarent, certare videbantur. Ubi tempus orandi instare animadvertebant, hora enim nona quotidie (8) orabant, colligebant se, precesque iterum fundebant, ut qui certo scirent, quo saepius quisquam ad res divinas cogitationem converteret, eo ipsum coniunctiorem Deo futurum. Rebus, quae ad victum, familiaeque usum spectarent, diligenter administratis, domum parentes redibant, suosque ita, ut in catechesi audierant (9), in-

(1) Rebus enim, quae ad ecclesiam non pertinerent, sese clerici non immiscebant, Adeis Cyprianum *epist.* I. *al.* LXVI. *pag.* 1. *seq. edit. oxon.*, et *lib. de lapsis p.* 123. *seq.* Quibus locis, quid agere clero addicti deberent, paucis ostendit.

(2) Tertullian. *lib. de corona cap.* IV. *p.* 102. *edit. an.* 1744., et *apolog. cap.* XXXIX. *p.* 32., Clemens alexandrinus *lib.* XII. *stromat. p.* 728. *edit. an.* 1641., Plinius *epist.* XCVII. *lib.* X.

(3) Colligitur ex locis modo indicatis Tertulliani, Iustini, et Clementis.

(4) Vide acta s. Theodoti apud Ruinartium n. 11. *p.* 299. *edit. veron.*, ubi haec leguntur: „ Sanctus misit „ ad vicum, qui sibi advocarent presbyterum, qui „ simul pranderet, et profecturos commetis ad iter „ muniret precationibus. Nec enim cibum sumere „ consueverat sanctus, nisi benedicente presbytero „. Confer Gretserum *de bened. lib.* I. *cap.* XIII. *tom.* V. *opp. p.* 198. *seq. par.* II. *edit. an.* 1735. De lectionibus super mensam adeundus Theophilus Raynaudus *tom.* XIII. *opp. p.* 527. *seq. edit. an.* 1665.

(5) Animadversum id quidem ab Iohanne Frontone est, *epist. de famil. christiana p.* 34. *edit. an.* 1733.

(6) Confer Tertullianum *lib.* II. *ad uxorem cap.* IV. *p.* 168., ubi consuetas christianas etiam mulieres scribit „ Vicatim aliena, et quidem pauperiora tuguria „ circuire ... In carcerem ad osculanda vincula martyris reptare ... Aquam sanctorum pedibus offerre etc. „.

(7) Tertull. *ibid.*

(8) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromat. p.* 722.

(9) Origenes *fragm. lib.* X. *stromateon*, quod extat *tom.* I. *opp. p.* 24. *edit. venetae an.* 1743., Clemens alexandrinus *lib.* II. *paedagogi cap.* I. *p.* 187. *seq.*, Iustinus martyr *apolog.* II. *n.* 4. *p.* 95. *edit. venet. an.* 17 47.

stituebant. Quin etiam iciunia filiis interdum (1) indicebant, ut ex usu esse putassent. Ac filii quidem parentibus auscultabant, eisque in omnibus, quod nihil sibi praeter ius, fasque praecipi viderent, morem (2) gerendum arbitrabantur. Coenaturi, ut etiam post coenam, eadem ipsa (3) peragebant, quae ante, atque post prandium ab ipsis fieri consuesse diximus. Cubitum post recitatos hymnos, psalmosve, postque gratiarum (4) actionem ibant. Sed ne opprimi se somno sinerent, surgere media nocte (5), precibusque instare consueverant.

In senatu (6), in foro, in castris, in officinis, in viis ita se continebant, nihil ut fraudis, fallaciae, improbitatis praeseferrent. Summa enim ubique integritate, sinceritate, castitate morum, virtute ab ethnicis distinguebantur, adeo ut vel ipsis hostibus religionis christianae admirationi essent (7).

In balneis, quorum frequens erat apud maiores (8) nostros usus, incredibilem adhibebant curam, ne quid ab se christianisque ceteris minus (9) honeste, casteque ageretur. Itaque mulieres seiunctim a viris sese lavabant. Ac si solae poterant, cavebant ne aliae interessent, nudasque (10) aspicerent. Quod si erant aliquae tam male affectae, atque institutae, ut minus modeste quidpiam in balneis agere viderentur, eas (11) episcopi vehemen-

(1) Observatum id quidem e Frontone est loc. cit. Neque impeditum id umquam ab episcopis fuit, quibus id iuris competebat, ut constat ex Tertulliani libro de ieiuniis *cap.* XIII. *p.* 551.

(2) Tertull. *lib. de corona milit. cap.* II. *p.* 107.

(3) Tertullianus *lib. eodem cap.* IV. *p.*102., Clemens alexandrinus *lib.* II. *paedag. cap.* II. *p.* 152.

(4) Clemens alexandrinus *lib.* II. *paedagog. cap.* X. *p.* 194. ,, Ceterum, *inquit*, quibus uxores ducere concessum est, iis paedagogo opus fuerit, ut non interdiu mystica naturae celebrentur orgia, nec ut ex ecclesia, verbi gratia, aut ex foro mane rediens, galli more coeat, quando orationis, et lectionis, et efficacium, quae interdiu fiunt, operum, tempus est. Vespere autem oportet post convivium quiescere, et *post gratiarum actionem*, quae fit Deo pro bonis, quae percipimus ,,.

(5) Tertullianus *lib.* II. *ad uxor. cap.* V. *pag.* 169., Latebis ne tu (ethnicum maritum), cum etiam per noctem exurgis oratum?

(6) Nam plena erant omnia christianorum. Vide Tertulliani locum supra p. 225. huius vol. not. 2.

(7) Adeundus Iustinus martyr *epist. ad Diognetum* n. 5. *p.* 238. *edit. an.* 1747.

(8) Confer Eusebium *lib.* III. *cap.* XXVIII. *pag.* 123. *hist. eccl.*, et *lib.* IV. *cap.* XXIV. *p.* 161., Clementem alexandrinum *lib.* III. *paedag. cap.* V. *p.* 231. *seq.*, Tertullianum *apologetici cap.* XLII. *pag.* 134. *edit. opp. venetae an.* 1744. *in append.*, et *lib. de poenitentia cap.* XI. *p.*123.

(9) Consule Clementem extremo eodem *libri* II. *capite*, Ambrosium *lib.* I. *de officiis ministrorum cap.* XVIII. *p.* 22. *tom.* II. *opp. edit. monachor. s. Mauri*, qui ,, mos ,, vetus, *inquit*, et in urbe Roma, et in plerisque ci- ,, vitatibus fuit, ut filii puberes cum parentibus, et ,, generi cum soceris non lavarent, ne paternae re- ,, verentiae auctoritas minueretur: licet plerique se ,, et in lavacro, quantum possunt, tegant, ne vel il- ,, lic, ubi nudum totum est corpus, huiusmodi intecta sit portio ,,. Confer etiam Petavii animadversiones in Epiphanii *haeresim* XXX. *pag.* 66. *edit. paris. an.* 1622.

(10) Consule sanctum Cyprianum *lib. de habitu virginum p.* 360. *edit. venet. an.* 1728., et in eumdem librum notationes *ibid. p.* 370. *not.* 72. *seq.*

(11) Adeundi Cyprianus *ibid.*, Clemens alexandr. *ibid.* etc., synodus laodicena *can.* 30. *p.* 788. *tom.* I. *concil. edit. paris. Hard.*, qui canon sic habet: ,, Quod ,, non oporteat sacri officiis deditos, aut clericos, aut

ter reprehendebant, impediebantque, ne sibi ipsae nocere, aliisque detrimentum immodestia, impudentiaque afferre possent.

„ continentes, vel omnem laicum christianum lavacra cum mulieribus celebrare, quia haec apud gentes reprehensio prima est „. Consule Beveregium in canon. 77. concil. trullani p. 161. tom. II. pandect. canon. edit. an. 1672., et monachos benedictinor. adnotat. in locum supra descriptum Ambrosii. Extat in bibliotheca casanatensi ms. dissertatio italico sermone perscripta a Dominico Georgio, cuius haec est inscriptio: *Dell'uso de' bagni appresso i cristiani*, quam aliquando fortasse una cum aliis eiusdem clarissimi viri opusculis nondum editis publicabimus. Anno 1750. Paulus Maria Paciaudus clericus regularis theatinus, vir doctissimus, et amicus meus singularem edidit librum Venetiis *de sacris christianorum balneis*. Isque iam multos post Fabricium numerat, qui de balneis scripserunt.

PARS III. LIBRI III.

DE MORIBUS, OFFICIISQUE VETERUM CHRISTIANORUM ERGA ALIOS.

AC de moribus quidem, officiisque veterum christianorum erga se ipsos satis dictum est. Nunc de iis agam, ita ut initio constitueram, qui ad alios referuntur. Quoniam vero in virtutibus praecipua numeratur charitas, studiumque, quo homo christianus erga homines alios ferri solet, primum omnium quam insignis, quamque vehemens fuerit amor, quo christiani mortales quosque complectebantur, ostendam; inde cetera, quae ad rem, institutumque meum pertinent, breviter, ut potero, persequar, itaque finem imponam tertio huic de moribus veterum christianorum libro.

CAPUT I.

DE CHARITATE VETERUM CHRISTIANORUM ERGA ALIOS.

Etsi vero charitatem erga *Deum*, atque *proximum* unam, eamdemque (1) *theologicam* virtutem esse traditum summa consensione a scriptoribus nostris est, invenienturque fortasse, qui de utraque dici priore huiusce libri parte, ubi de amore in

(1) Vide s. Thomam 2. 2. *quaest.* 23. *art.* 5.

Deum egimus, debuisse putent; quum tamen hunc mihi ordinem iam inde ab initio praestituerim, ut nihil eorum, quae referri in alios possent, explicandum uspiam alibi arbitrarer, quamvis illud cum rebus, quae tractatac priore, alterave in parte fuerunt, coniunctum esset; ferent, opinor, lectores mei, ut institutam rationem sequar, aggrediarque hoc capite de amore, studioque veterum erga alios homines, velut proposueram, dicere.

§. I.

De amore, quo christiani in parentes ferebantur.

Primum autem omnium incredibile filiornm erga parentes studium erat. Igitur non modo eos venerabantur (1), colebant, rebusque omnibus, cum per aetatem liceret, iuvabant, sed etiam enitebantur, ut omnia eorum voluntate facerent, non timore poenae permoti, sed incitati amore, quem suis a Christo esse praeceptum cognoscerent. Quod si parentibus ethnicis utebantur, illis quidem plurimum tribuebant, modo ne quid iuberent, quod cum religione christiana pugnare videretur. Tunc enim summa erga illos pietate lati, orabant ipsos, ut veritatem agnoscerent, pertinacia (2) desisterent, seque iam, ut Christo cultum adhiberent, sinerent, ni perpetuo esse miseri, atque infelices vellent. Malle namque se Deo, quam hominibus parere. Ac saepe quidem hortatu, precibus, divinique numinis invocatione consequebantur, ut quos natura parentes sortiti, adversariosque experti essent, eosdem ecclesiae conciliarent, ac veluti filios in Christo contemplarentur. Ex qua re dici vix potest, quantum gaudii, laetitiaeque perciperent (3).

(1) Nam si incredibilis erat veterum christianorum erga mortales ceteros, ut paullo post constabit, amor, vehemens quidem certe erga parentes fuerit, necesse est. Hinc apud Aringhum, Boldettum, Bosium, ceterosque antiquarum inscriptionum christianarum editores reperire permulta licet epigrammata, ex quibus cognosci poterit, quanta illi ipsi veteres in parentes charitate ferrentur. Confer Boldettum *pag.* 54. *seq.*, *et p.* 338. *seq.*

(2) Vide Origenis locum supra *p.* 200. *in not.*, Arnobii *ibid. p.* 236. *not.* 6., et Tertulliani testimonium *lib.* 1. *ad nation. cap.* 15. *p.* 43., acta m. Perpetuae, ac Felicitatis n. 3. *p.* 81. *edit. Ruin. ver.*, acta s. Cyrilli pueri apud eumdem p. 211. seq. Singulare exemplum amoris filiorum christianorum erga parentes legitur in actis s. Philippi episcopi Heracleae apud eumdem Ruinartium pag. 366. n. 5.

(3) Si enim id laborabant, ut alios ad veram religionem converterent, et si convertissent, gaudebant, cur non maxime pro parentum salute et laborassent, et gaudium percepissent? Quum Origenes in carcere suum detineri patrem sciret, epistolam ad eum scri-

§. II.

De amore parentum erga filios.

Siugularis item pareutum erga filios amor fuit. Ex qua re tanta illa cura eosdem recte (1) educandi, institueudique proficiscebatur, quam veteres posteris testatam esse voluerunt. Atque is quidem amor non eiusmodi erat, nt inania haec, quae sub oculos cadunt, filiis a parentibus optari, procurarique efficeret; divina autem bona, quae numquam excidant, non item. Immo vero solidae, veraeque illorum felicitati terrena omnia, quaecumque tandem essent, postponebant, adeo ut divelli se ab iis libenter ferrent, modo martyras illos, beatosque in gloria sempiterna futuros confiderent. Quo iu genere illustria sanctarum (2) Symphorosae, Felicitatis (3), et matris s. martyris Mariaui exempla (4) fuerunt. Quod si expetere illos martyrium videbant, laetabantur quidem, sed impediebant (5) tamen, ne ipsi sese sponte iudici offerrent, ne temeritate exitio sibi, non saluti esseut. Quin etiam evenisse aliquando intelligo, ut cum parenti mors impenderet, is, qui ad beatorum patriam properaret, memor filiorum, amicos ad se vocaret, atque iis, quid fieri a filiis vel-

poit, qua etiam, atque etiam orabat, ut fortiter pugnaret, coronamque a Christo paratam accipere ne cunctaretur. Vide Eusebium *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* II. *p.* 258. *edit. cantabrig.* Sed tantus amor filiorum erga parentes fuit, ut post eorum interitum, etiam sese interdum proderet. Consule acta ss. Montani, et Lucii etc. n. 8. *p.* 202. *edit. veron. Ruinart.*

(1) Vide Iustinum martyrem *apolog.* II. n. 4. *p.*94. *edit. an.* 1747., ubi idcirco servari christianos a Deo dicit, ut filios, quos gignunt, aliosque mortales in religione, ac virtute instituant. Et Lactantium, qui cum carpat ethnicos, quod infantes exponerent, quod eos non educarent, quod non virtute instruerent, satis indicat, christianos curasse, ut recte ab se sui instituerentur. *Lib.* VI. *divinar. institut. cap.* XX. *p.* 492. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1748. Eadem fere habent ceteri patres, ut Athenagoras, ut Tertullianus, ut Clemens, quorum testimonia, ne sim longus, tacitus praetermitto.

(2) Acta s. Symphorosae apud Ruinartium num. 2. *p.* 2. *edit. veron.*

(3) Acta s. Felicitatis apud eumdem act. ss. mm. sinc. n. 2. *seq. p.* 23.

(4) Acta ss. Iacobi et Mariani apud eumdem n. 13. *p.* 199., ubi haec leguntur: „ Machabaica gaudio Mariani mater exultans, et passione perfecta, iam secura de filio, non illi tantum coeperat, sed et sibi, quae tale pignus ediderat gratulari etc. „. Atque ut filiis salutem parentes procurarent sempiternam, nihili haec terrena bona pendebant. Vide Eusebium *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XLI. *pag.* 304., *et lib.* VIII. *cap.* IX. *p.* 335. *seq.*

(5) Ita Origenis mater facit. Vide Euseb. *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* II. *p.* 258. Quin etiam pater Origenis cum filium quaedam ab se quaerere interdum audiret, quae excedere viderentur aetatem, ne forte gnato occasio, cur superbiret, esset, puerum obiurgabat, quamquam mirabatur, gratiasque Deo agere solebat, quod sibi filium tanto ingenio praeditum dedisset. Vide s. Cyprianum *epist.* LXXXI. *pag.*239., acta martyr. s. Cypr., et s. August. *lib.* I. *contra Gaudentium c.* XXXIV.

let (1), ostenderet. Nihil autem ab se illis commendari magis, quam iustitiam, et erga Deum, atque homines pietatem. Alios item vixisse maiorum memoria constat, qui ut suorum filiorum aliquem implicatum scelere quopiam esse (2) cognossent, hunc ut resipisceret curasse, nolentem ecclesia, adituque aedium prohibuisse, quod humanum esse errare, obstinatum autem in errore persistere daemonum esse proprium scirent, daemonisque similem habere filii loco omnino nollent. Sed in tanta multitudine hominum, qui rem filiorum pie, caste, integreque administrarent, negari non potest, quin fuerint quidam ita animati (3), ut ne ipsi, quique orti ex illis essent, religionis caussa, interficerentur, filios, qui resistere per aetatem nequibant, in Capitolium adducerent, unaque inanibus diis sacrificarent. Quorum est a patribus parricidium diris devotum, commendatumque memoriae hominum sempiternae. Numerum autem eorum inire quis poterit, qui vel natu magno (4) hortari, vel adducere per se infantes ad martyrium (5), eosque mortuos, laeti sua morte, sequi martyres consueverant? Atque est illud quoque verissimum, eos, qui congregati una cum filiis incendi ab hostibus (6) viderent se, confessos esse, nullum sibi umquam fuisse diem iucundiorem, propterea quod se una cum iis, quibus vitam hanc mortalem dedissent, aliam mox esse, quae numquam cessaret, victuros confiderent.

(1) Act. s. Philippi episc. Heracleae apud Ruinartium *ibid.* n. 13. *p.* 372., ubi haec habentur: „ Hermen Velogium magos per dominum Iesum adiuratione constrinxit, et ad filium eius Philippum patris mandata perferret, diceretque ei, ut redderet omnibus, quod deberat ... Addidit etiam hoc amore pietatis, et ait: Iuvenis es, debes tibi labore victum quaerere, ita ut patrem fecisse meministi, quem scis cum omnibus bene esse conversatum „

(2) Vide tom. secundum huiusce operis p. 105. seq. ubi de Marcione a patre obiurgato, propter vitium illatum virgini, et ex ecclesia exterminato pauca egimus.

(3) S. Cyprianus libro de lapsis *p.* 125. *edit. oxon.* „ Ac ne quid deesset ad criminis cumulum infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti. Amiserunt parvuli, quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consequuti. Nonne illi cum iudicii dies venerit, dicent: Nihil fecimus, perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas etc.? „

(4) Consule Eusebium *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* XII. *p.* 391. *edit. cantabrig.*, et acta s. Symphorosae, atque s. Felicitatis loco supra indicato.

(5) Confer acta ss. Quirici, et Iulitae apud Ruinartium *p.* 420. *seq.* n. 2. *seq.*, et quae diximus pag. 257. seq. huiusce voluminis.

(6) Adeundus Eusebius *lib.* VIII. *hist. eccl. cap.* VI. *p.* 382., *et cap.* XI. *p.* 390., et Lactantius *lib.* V. *institutionum divinarum cap.* XI. *p.* 390. *edit. an.* 1748. *tom.* I. *opp.* Affectus parentum erga filios expressi in sculptis marmoribus interdum sunt, ut quantum ab se diligerentur ostenderent. Vide Boldettum pag. 54. seq. Similes inscriptiones cernere apud Bosium, Aringhum, Boldettum etc. licet.

§. III.

Erga coniuges et fratres.

Iam vero quae in parentes, filiosque, eadem erga coniuges, atque fratres veterum christianorum charitas fuit. Neque ea verbis (ut ethnici saepe solebant, qui flagitia coniugum, fratrumve non solum aequo animo ferebant, verum etiam imitabantur), sed factis, quae ad salutem conferrent, sese prodere consueverat. Itaque vir uxorem ad cultum virtutis, pietatisque (1) incitabat, utque magnos in iisdem progressus faceret, hortabatur. Quod si rapi eam ob religionem, castitatemque servatam in (2) supplicium intuebatur, spiritus illi, ut fortiter ageret, addebat. Contra si quis in societatem nostrorum venisset, is continuo ad sacra christianorum perducere (3) coniugem studebat; repugnantem, ut sibi ab impudicitia, vitiisque, quae cum lege naturae pugnant, temperaret, monebat; perseverantem in errore, ac scelere dimittebat, ut solus dederet sese contemplationi, et cultui divinarum rerum. Ex qua quidem sentiendi, agendique ratione plane perspicitur, quos affectus erga coniuges insculpi (4) lapidibus veteres christiani faciebant, non ex consuetudine fuisse profectos, sed ex casto, sanctoque amore, qui ipsos, dum viverent, coniunxisset.

Fratrum autem in fratres studium, quale tandem fuit, cum ita essent affecti, ut ab his ne morte quidem disiungi (5) paterentur? Atque ex hoc sane amore existebat studium orandi pro illis, curandique ut bene (6), beateque viverent. Erant illis

(1) Consule Tertulliani ad uxorem libros duos pag. 161. seq. Atque mariti uxores suas sororem appellabant, ut ex iisdem Tertulliani libris constat, ut castum erga eas amorem ostenderent. Vide etiam Clementem alexandrinum *lib. vi. stromateon p.* 664. Quid? si conservas vocabant, ut indicarent una simul ab se Deo cultum, obsequiumque adhiberi? *Tertull. ibid.*

(2) Eusebius *lib. iii. cap. xxx. hist. eccl. pag.* 125. *edit. cantabrig.*, Clemens alex. *lib. vii. stromat. p.* 756., acta s. Symphoriani mart. apud Ruinart. pag. 71.

(3) Vide Iustinum mart. *apolog.* ii. n. 2. *p.* 91., et quae nos diximus supra pag. 11. seq. huius vol.

(4) Confer Boldettum *p.* 54. 376. 382. *seq.*, Aringhum *tom.* ii. *pag.* 19. 20. Eadem fere reperies apud Bosium, Fabrettum, Muratorium etc. Sed de moribus mulierum erga maritos, et maritorum erga uxores adeundi Clemens romanus *epist.* i. *ad corinth.* num. 1. *pag.* 10. *tom.* i. *epist. romanor. pontific. edit. Constantii*, s. Ignatius *epist. ad Polyc.* n. 3. *p.* 40., *et* n. 5. *pag.* 41., et Clementem alexandrinum *lib.* iv. *stromat. pag.* 525. *edit. an.* 1641.

(5) Vide acta s. Symphorosae apud Ruinartium pag. 21. n. 3., et s. Felicitatis p. 23. n. 3. seq.

(6) Confer acta ss. Perpet. et Felic. pag. 83. apud Ruinartium n. 7.

praeterea communes pro tuenda religione adversus hostem humani generis pugnae. Simul in arenam descendere, laniari ab inimicis christianorum, excruciari, interfici non modo aequo animo ferebant, sed etiam (1) gaudebant. Quod si fratres, sororesve cessisse tormentis, Christumque eiurasse intelligebant, incredibili dolore afficiebantur. Rogabant, plorabant, atque implorabant Deum, eis ut parceret, daret opem, qua se illi respicerent, cognitoque scelere, veniam poscerent, atque impetrarent; neque (2) cessabant, quoad illos reverti in ecclesiam vidissent. Haec scilicet fraterna illa charitas erat, quam cum verbis exprimere contenti non essent, marmoribus etiam interdum insculpi curabant (3).

§. IV.

Erga omnes christianos.

Insignem quoque christianorum erga cultores verae religionis amorem fuisse, ne ethnici quidem (4) negabant. Immo vero mirabantur quid esset, quod cum neque affinitate coniuncti (5), neque in eadem urbe orti, neque iisdem institutis assueti essent, neque se ante usquam invicem cognossent, tamen mutuo se ut fratres diligerent. Cumque hospitio peregrinos, atque ignotos recipi ab illis, iuvari rebus omnibus, salutari viderent, notas (6) nescio quas illos habere putabant, quibus socios religioni ab aliis

(1) Consule acta s. Symphorosae, et s. Felicitatis, locis modo indic. Sed innumera pene sunt veterum testimonia, quae rem eamdem confirment, quaeque, ne sim longus, praetereo.

(2) Adeund. Celerius *epist. ad Lucianum*, quae est xxvi. *inter cyprianicas, edit. oxon. pag.* 46. *seq.*, et Lucianus ad Celerinum *epist. inter. cyprian.* xxii. *p.* 47. *seq.*

(3) Apud Boldettum (nam alios, quod brevitati consulam, praetermitto) cum plures extent huiusmodi inscriptiones, tum haec legitur pag. 55. „ Spei, „ et dulcis charitatis fraternae. Severo, quem ante „ annos vigintiquinque perdidit. *Ursus frater fecit.* „ Si Deus voluisset, hoc ego ante merueram. Severo „ in pace „.

(4) Confer Lucianum *de morte peregrini pag.* 337., Tertullianus apologetici *cap.* xxxix. *pag.* 121. *seq. edit. opp. an.* 1744. hoc habet: „ Sed eiusmodi vel maxi„ me dilectionis operatio notam nobis inurit penes „ quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem se diligant. „ Ipsi enim (ethnici) invicem oderunt. Et ut pro al„ terutro mori sint parati. Ipsi enim (ethnici) ad oc„ cidendum alterutrum paratiores „. Caecilius ethnicus apud Minucium Felicem in Octavium *p.* 84. *edit. an.* 1672. de christianis agens, amant, inquit, *mutuo paene antequam noverint.* Vide Athenagoram *legat. pro christianis n.* 12. *pag.* 307., Iustinum martyrem *apolog.* i. n. 15. *pag.* 57. *edit. opp. an.* 1747. Sed de re certa non est opus plura congerere.

(5) Vide Tertulliani locum ex apologetico modo descriptum.

(6) Caecilius apud Minucium Felicem *p.* 84. *edit. an.* 1672. „ Occultis se notis, et insignibus noscunt etc.

distinguere valerent. Hinc etiam ortae suspiciones illae de (1) coniuratione, de nocturnis conventibus, in quibus flagitia, quae ne nominare quidem liceat, perpetrarentur. Sed nostri, ut ab se calumniam, invidiamque tantam depellerent, praeceptum a Christo esse respondebant (2), ut proximum diligerent. Quamobrem impetrari ab se non posse, ut illi intermissionem ullam officii facerent, quod a magistro esse imperatum scirent. Ceterum nihil in conventu (3) mali agi. Congregari quidem nostros in unum locum, non ut contra rempublicam quidquam molirentur, non ut aliorum aspectum peccantes fugerent, sed ut orarent, ut sacramento se obligarent Christo, ut magna consensione animorum ei se caste, iusteque victuros pollicerentur. Coetus vero suos, coenasque agapas (4) appellari, exque charitate sortitos esse appellationem, quod omnes convenirent, communioneque ciborum, quanto inter se amore coniungerentur, ostenderent. Scilicet is amor eo pervenerat, ut qui bonorum, facultatumque aliquid possideret, nihil (5) proprium sese habere arbitraretur. Omnia namque esse, non verbo, sed reipsa ostendebant communia christianorum. Sed ut pecunia, rebusque omnibus adiumento fratribus, ita etiam hortatu, monitis, radargutione, si esset opus, saluti esse, curabant. Nam si bonos esse cognorant, ut virtuti studere pergerent, hortabantur; sin autem deflectere paullulum a cultu pietatis, religionisve videbant, orabant, ut resipiscerent (6): persistentes reprehendebant. Quod si pertinacia eos

(1) Vide *tom.* I. *huiusce op. p.* 162. *seq.* et 166. *seq.*, et Minucium Felicem *p.* 81. *seq.*

(2) Confer Iustinum martyrem *apolog.* I. num. 15. *p.* 53., Minucium Felicem *ibid. p.* 312. ubi „ Nos un„ taculo corporis, ut putatis, *inquit*, sed innocentiae „ ac modestiae signo facile dignoscimus. Sic mutuo, „ quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non „ novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, „ ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, „ ut spei cohaeredes. Vos enim nec invicem agno„ scitis, et in mutua odia saevitis, nec fratres vos, „ nisi sane ad parricidium, recognoscitis „.

(3) Vide Plinii *epist.* XCVII. *lib.* X. *p.* 630. *edit. Cellar. an.* 1711., Tertullianum *apolog. cap.* II. *p.* 10. *edit. opp. an.* 1744. *in append.* Mitto cetero, quod brevis esse velim.

(4) Adeundus Tertullianus *ibid. cap.* XXXIX. *p* 123. *seq.*

(5) Vide Luciani, Iustini, et Tertulliani testimonia, quae descripsi supra p. 219. seq. huius vol. Eusebius *lib.* I. *prep. evang. cap.* IV. *p.* 13. „ Denso agmine, *in„ quit*, multitudo confluit ... nullumque non genus „ hominum divinae doctrinae praeceptionibus imbui„ tur ... ut opes fortunasque suas cum inopibus, egen„ tibusque communicet, ut quemlibet hominem com„ munis humanitatis nomine complectatur, quemque „ vulgo tamquam peregrinum habent, eum quasi na„ turae lege coniunctissimum, ac veluti fratrem agno„ scant „.

(6) Consule librum Tertulliani ad martyres, Cypriani epistolas et. x. etc. Sed qui haec numero, cum innumera pene sint monumenta, quae rem confirment? Quod ad malos attinet, quos maiores nostri charitate permoti hortabantur, ut resipiscerent, vide s. Clementis romani epistolam I. ad corinthios, Cypriani *librum de lapsis*, Iustini martyris *apolog.* II. n. 2 *seq.*, Eusebium *lib.* V. *hist. eccl. cap.* I. *pag.* 207. Ac tanta eorum in hac re diligentia erat, ut sese etiam

desistere nolle animadvertebant, ne colloquio quidem dignabantur; quamquam Deum optimum maximum obsecrarent, ut ne illos desereret, neque perire perpetuo pateretur. Sed quoniam de facultatibus, quas communes fuisse veterum christianorum diximus, iterum sermo incidit, postulare instituti ratio videtur, ut quibus illae alendis, adiuvandisque impendi solerent, ostendam. Atque egentium quidem in ecclesia permulti erant. In his clerici, qui se totos ecclesiae ministeriis, aliorumque commodis consecrarant; confessores, qui carceribus, caussa religionis, inclusi detinebantur; senes, et adversa valetudine laborantes, qui sibi victum acquirere non valebant; viduae, pueri, quibus ademti parentes erant, iique praesertim, quos ortos ex martyre quopiam constabat esse; perigrini, atque hospites, exules, captivi, ad metalla damnati, ecclesiae, quas, cum longe distarent, aut hostium religionis iniuria, et crudelitate, aut casu quopiam infesto in magnam rerum omnium inopiam redactas intelligebant; pauperes denique omnes sive illi cives, sive ex infima plebe essent. De his autem mihi esse video distincte, distributeque, ut agam recte, atque ordine, disserendum.

I.

Clericos christiani primorum temporum rebus omnibus iuvabant.

Cum igitur, eos, qui sese Deo, ecclesiarumque commodis devovissent, altarique inservire consuessent, christiani nossent, ex

amittendae vitae periculis interdum exponerent. Id quod non solum ex Iustini loco citato, sed etiam ex actis sancti Nicephori martyris apud Ruinartium *pag.* 209. *n.* 4. *seq. edit. veron.*, et ex Eusebii *hist. eccl. lib. vi. cap. xli, pag.* 207., et cetera praeterea, plane constat. Atque Eusebius quidem loco indicato sic inducit Dionysium alexandrinorum episcopum scribentem: „ Universus simul militum manipulus, Ammon „ scilicet, Zeno, Ptolemaeus, et Ingenuus, cumque „ illis senex Theophilus, ante praetorium stabant. Et „ cum quidam ob christianam religionem in iudi- „ cium inductus, iam iamque negaturus Christum vi- „ deretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu in- „ nuere, manus extendere, ac totius simul corporis „ motus, gestusque edere coeperunt. Cumque om- „ nium in se oculos convertissent, priusquam ab ali- „ quo comprehenderentur, ipsi ad subsellium accur- „ rentes, christianos se esse professi sunt. Quo facto „ praefectus, et assessores, qui in concilio aderant, „ metu perterriti sunt. Ac rei quidem ipsi ad ea, „ quae perpessuri erant, promptissimi, et confiden- „ tissimi cernebantur. Iudices autem ipsi contremi- „ scebant. Isti igitur ex praetorio ovantes processe- „ runt, exultantes ob fidei confessionem, cum Deus „ per ipsos gloriose triumpharet „. Id vero cognitum, exploratumque ethnicis erat. Itaque apud Tertullianum *cap.* xxxix. *apologetici pag.* 121. *in appendice edit. an.* 1745. „ Vide, *aiebant*, „ ut pro altero mori sint

altari vivere oportere, neque fas esse, ut *saecularibus negotiis* (1) implicarentur, id etiam, atque etiam conabantur, ut illi ex opibus, facultatibusque iis, quae conferri in ecclesiarum thesauros solebant, quod ad victum, vestitumque spectaret, quodque esset opportunum, sumerent, ne hac illac vagari, quaestumque ad vitam sustentandam facere cogerentur. Quamobrem si qui eorum vel amplificandi patrimonii, vel augendae rei familiaris caussa, aut curam cuiusquam suscipere, aut mercaturam exercere, aut artem aliquam, quae minime deceret (2), profiteri non dubitabant, eos episcopi non solum reprehendebant, sed etiam, si pervicaces parere monentibus renuissent, de gradu deiiciebant. Quia vero introducta consuetudo fuerat, ut parentes morituri aliquem aut diaconorum, aut presbyterorum curatorem, tutoremque filiorum dicerent, quae res clericos, ne sua munera, ut par erat, obirent, impediebat; antistites ecclesiarum aliquando sanxerunt, ut ne quis in coetu preces pro illis fundere auderet, qui decessuri simile quidpiam fecissent (3).

,, pereat ,,? Quae res magis magisque confirmari auctoritate actor. ss. mm. Didymi, et Theodorae potest, quae refert Ruinartius in *act. ss. mm. sincer. pag.* 352. *seq. edit. veron.*

(1) S. Cyprianus *epist.* I. *al.* LXVI. *p.* 1. *edit. oxon.* ad clerum, et plebem furnitanorum scribens, graviter queritur, quod Geminius Victor moriens Geminium Faustinum presbyterum tutorem nominasset. Ac ,, Iampridem, *inquit*, in concilio episcoporum statutum ,, est, ne quis de clericis, et Dei ministris tutorem, ,, vel curatorem testamento suo constituat, quando ,, singuli divino sacerdotio honorati, et in clerico mi- ,, nisterio constituti altari, et sacrificiis deservire, et ,, precibus, atque orationibus vacare debeant. Scri- ,, ptum est enim: *Nemo militans Deo implicat se mole-* ,, *stiis saecularibus, ut possit placere ei, qui se probavit.* ,, Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis ,, clerici molestiis, et laqueis saecularibus obligari non ,, debent, qui divinis rebus, et spiritualibus occupati ,, ab ecclesia recedere, et ad terrenos, et saeculares ,, actus vacare non possunt? Cuius ordinationis, et ,, religionis formam levitae prius in lege tenuerunt ... ,, Quae nunc ratio, et forma in clero tenetur, ut qu ,, in ecclesia Domini ordinatione clerica promoven- ,, tur, in nullo ab administratione divina avocentur, ,, nec molestiis, et negotiis saecularibus alligentur, sed ,, in honore *sportulantium fratrum*, tamquam decimas ,, ex fructibus accipientes, ab altari, et sacrificiis non ,, recedant etc. ,,. Confer eiusdem librum *de unitate ecclesiae pag.* 119., et sanctum Irenaeum *lib.* IV. *contra haereses cap.* VIII. *pag.* 237. *edit. Massueti, et cap.* XIII. *p.* 242., et Origenem *in Num. homil.* XXVII. *in cap.* XVIII. *p.* 227. *tom.* II. *op. edit. an.* 1643. Sed de hac re alias.

(2) Vide s. Cyprianum *lib. de lapsis pag.* 123. *edit. oxon.* At de clericis negotiatoribus agetur alio loco opportune.

(3) *Cyprianus* eadem *epist.* I. *p.* 3. *seq.* ,, Episcopi, ,, *inquit*, antecessores nostri diligenter considerantes, ,, et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater ,, excedens ad tutelam, vel curam clericum nomina- ,, ret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, ,, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. ,, Neque enim apud altare Dei meretur nominari in ,, sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, et mi- ,, nistros voluit avocare. Et ideo Victor, cum contra ,, formam nuper in concilio a sacerdotibus datam ,, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tuto- ,, rem constituere, non est quod pro dormitione eius ,, apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua etc. ,,.

II.

Confessores quoque, qui inclusi carceribus detinebantur.

Incredibilis etiam nostrorum erga confessores liberalitas (1) fuit, quae ex benevolentia, et charitate christiana proficiscebatur. Igitur illis et pecunias, quibus aliis adiumento essent, et alimenta suppeditabant. Id autem tam erat conspicuum, ut ne ethnicos (2) quidem lateret. Ac si opes eius ecclesiae, ad quam confessores spectabant, illis alendis, adiuvandisque satis non erant, litterae ad alias mittebantur, quae ut fieri poterat, et cito, et abunde, quaecumque postulassent, subministrabant (3). Isque iam usus, cum invectus ab apostolis esset, manavit (4) in sequentem aetatem, adeoque est propagatus, ut eum in romana

(1) Vide epistolam ecclesiarum lugdunensis, et viennensis apud Eusebium *lib.* v. *hist. cap.* ii. *pag.* 212. *edit. cantabrig.*, acta sanctorum mm. Pionii, et socior. apud Ruinartium *pag.* 123. *edit. veron.*, et acta s. Theodoti p. 298. apud eumdem, librum Tertulliani ad martyras *cap.* i. *seq. edit. venetae an.* 1744., Iustin. martyr. *apolog.* e. *n.* 67. *p.* 86. Sed omnia ecclesiastica monumenta recensere velle, hominis esset et otio, et lectorum patientia abutentis.

(2) Lucianus *de morte peregrini num.* 12. *pag.* 334. *tom.* III. *opp. edit. batavae an.* 1743. „ Cum igitur in „ vinculis esset (peregrinus), *inquit*, communem eam „ calamitatem rati christiani, nihil intentatum relin„ quunt, ut illum eripiant. Deinde ubi hoc fieri „ non poterat, ministerium omne reliquum non obi„ ter, sed summo studio peragebatur. Et mane qui„ dem statim videres, praesto esse ad carcerem vetu„ las, viduas quasdam, et orphanos. Qui vero hono„ ratiores illorum, ii etiam, corruptis carceris custo„ dibus, intro apud istum pernoctabant. Deinde coe„ nae inferebantur collaticiae, et sacri illorum libri „ recitabantur „.

(3) Vide *acta apost. cap.* a. Rursum Lucianus *ibid. p.* 336. *n.* 3. „ Quin etiam ex asiaticis quibusdam ur„ bibus, *inquit*, christianorum missu publico, venere „ quidem adiutori virum, et advocati eius futuri, con„ solatorique. Incredibilem enim alacritatem osten„ dunt, siquid tale fiat publice. Ut enim breviter di„ cam, nulli rei parcunt. Itaque etiam peregrino „ tunc multae ab illis venere, vinculorum causa, „ pecuniae, eamque reditum habuit sibi non medio„ crem. Persuaserunt enim sibi miseri in universum „ quidem se futuros esse immortales, et perpetuo „ tempore victuros, unde etiam contemnunt mortem „ vulgo, suaque se sponte occidendos praebent. De„ inde vero primus illis legislator persuasit, omnes „ esse invicem fratres „. Quare omnia reliqua aeque „ contemnunt etc. „.

(4) Confer *acta apost. cap.* xi., epist. Pauli ad *corinth.* i. *cap.* xvi. *n.* 1. *seq.*, et Dionysii corinthii epistolam apud Eusebium *lib.* iv. *hist. eccl. cap.* xxiii. p. 186. *edit. cantabrig.* ubi. „ Haec nobis, *inquit*, consuetudo „ est (scribit autem ad Soterem pontificem romanum) „ iam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres om„ nes vario beneficiorum genere afficiatis, et ecclesiis „ quamplurimis, quae in singulis urbibus constitutae „ sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis. Et hac „ ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fra„ tribus, qui in metallis opus faciunt, necessaria sup„ peditatis, per haec, quae ab initio transmittere con„ suevistis, munera, morem institutumque romanorum „ a maioribus vestris acceptum, romani retinentes. „ Atque hunc morem beatus episcopus vester Soter, „ non servavit solum, verum etiam adauxit, tum mu„ nera sanctis destinata copiose subministrans, tum „ fratres peregre advenientes tamquam liberos suos „ pater amantissimus beatis sermonibus consolando „. Epistolam item alterius Dionysii alexandrinorum episcopi, qui medio fere tertio saeculo florebat, apud eumdem Eusebium *lib.* vii. *cap.* v. *p.* 324., in qua haec ad Stephanum pontificem romanum scripta leguntur. „ Syriarum quidem provinciae omnes cum Arabia, „ quibus identidem necessaria suppeditatis, et quibus „ litteras nunc scripsistis etc. „.

ecclesia etiamnum vigere videamus. Neque vero pecuniam solum, atque cibos in carcerem importare nostri, quo martyribus subsidio esse possent, sed etiam turmatim eo accurrere, a custodibus (1) carcerum impetrare, ut ingredi, consolarique, Christi caussa, vinctos valerent: ingressi autem amplecti (2), osculariqne eorum pedes, orare ut ipsorum, cum essent coronati, reminiscerentur (3), solebant. Atque eo interdum processum est, ut praesules canto esse opus dicerent, scriberentque, ne tanta multitudo in carcerem conveniret, magnumque inde ecclesiae detrimentum caperent (4).

III.

Senes, et infirmos, qui labore manuum victum sibi, vestitumque parare non poterant.

Erant praeterea in ecclesia permulti, qui prae senectute domo egredi non poterant, atque a quovis opere cessare (5) cogebantur. His item alimenta praeberi christiani curabant. Quod si artem quampiam profiteri volebant, quam maiores nostri aut

(1) Consule locum supra descriptum Luciani, epistolam ecclesiarum lugdunensis, atque viennensis apud Euseb. *lib.* v. *cap.* II. *hist. eccl. p.* 211., Tertullianum *apologet. cap.* XXXIX. *p.* 120. *edit. an.* 1744. *in append.*, s. Cyprianum *epist.* v. *p.*10. *seq. edit. oxon.* qui „ Peto, *inquit*, ad procurandam quietem solertia, et sollicitudo vestra non desinat. Nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum, et visitandum confessores bonos, quos illustravit iam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, et non glomeratim, nec per multitudinem simul iunctam, puto esse faciendum, ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur, et dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo, et providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit. Ita ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent; quia et mutatio personarum, et vicissitudo convenientium minuit invidiam „. Tanta scilicet erat christianorum erga carcere adstrictos charitas, ut se in periculum vitae, benefaciendi caussa, conicerent, opusque esset episcopi hortatu, qui eos in officio contineret. Confer eiusdem Cypriani *epist.* XII. *pag.* 27. *qua suis praescribit, ut in carcere constitutis humanitas praebeatur*, et XIV. *p.* 31., et LXXVI. *pag.* 230., LXXVII. *pag.* 234., LXXVIII. *p.*235., et Tertulliani *lib.* I. *ad martyras cap.* II. *p.* 137. *seq.*

(2) Tertullianus *lib.* II. *ad uxorem cap.* IV. *p.* 168. *edit. an.* 1744. „ Quis (maritus ethnicus) in carcerem ad osculanda *vincula martyris* (uxorem christianam) reptare patietur „ ?

(3) Eusebius *lib.* v. *hist. eccl. cap.* II. *p.* 211. *edit. cantabrig.*, ubi de martyribus Galliae agens „ Tunc, *inquit*, omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant. Quin etiam pro illis, a quibus acerbissime cruciati fuerant, exemplo perfectissimi martyris Stephani, Deum precabantur, *Domine ne imputes illis hoc peccatum*. Quod si ille pro lapidantibus orabat, quanto magis pro fratribus eum orasse credibile est? etc. „. Sed plena sunt acta ss. mm. huiusmodi rerum, quae omnia recensere velle, difficile est, opusque et longum, et molestum lectori esset.

(4) Vide heic in nota 1. descriptum s. Cypriani ex *epist.* v. *p.* 10. *locum*.

(5) Tertullianus *apologet. cap.* XXXIX. *pag.*120. *edit. an.* 1744. *in append.* „ Haec deposita, *inquit*, pietatis sunt. Quippe non epulis inde, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed ..... domesticis senibus, iam otiosis etc. „.

cum religione, aut cum recta morum institutione pugnare arbitrarentur, ab ea continuo absterrendos putabant, promittebantque facturos se, ut sumtibus ecclesiae alerentur. Sed quoniam coetus erant in aliquot urbibus minus locupletes, adeoque prospicere senum commodis, ita ut ipsi optarent, nequibant; ad episcopos aliarum urbium, quorum ecclesias rebus omnibus abundare norant, confugiebant auxilium postulatum. Hi vero non solum annuebant, sed etiam, non rogati quandoque, suas illis egentibus facultates, atque operam libenter offerebant (1).

IV.

Eos, qui adversa valetudine laborarent.

Quotus autem quisque est, qui exsequi oratione possit, quam insignis, quamque vehemens semper, praecipueque primis ecclesiae saeculis esset christianorum erga eos, qui morbo conflictarentur, amor (2) ac studium? In eorum scilicet aedes se conferebant, opem ipsis intendebant, ad patientiam hortabantur, suppeditabant quidquid illis ex usu esse existimarent. Neque illos ab eiusmodi studio deterrebat aegritudo, ex qua in ipso aliquid detrimenti redundare posset. Immo vero exponebant vitae periculo se, modo miseriam aliorum sua opera sublatam intuerentur. Cuius quidem amoris, studiique in homines, qui infirma valetudine essent, cum alia perplura ab antiquis scriptoribus memorentur, tum illud est celeberrimum, quod ex epistolis Dionysii alexandrini transtulit Eusebius in historiam. Nam cum gravissima lues in Aegyptum invasisset, quae terrorem omnibus afferret, plurimi christianorum, nihil veriti discrimen, id quod sese coniicere videbantur, charitate inflammati aegros adire, eisque omni officio, ac potius pietate praesto esse, suamque operam locare non dubitarunt. Igitur plures cum aliorum salutem curassent, in morbum ipsi inciderunt, mortemque hilari, magnoque

(1) Consule quae ex sancti Cypriani *epist.* LI. *ad Eucratium* descripsimus supra *p.* 114. *not.* 4. *huius vol.* Consule etiam Clementem alexandrinum *lib.* III. *paedag. cap.* IV. *p.* 231., quo loco, cum ethnicos carpat, qui senes contemnere solerent, adiuvareque negligerent, satis indicat, contra eorum morem facere nostros homines consuesse.

(2) Confer Theophilum Raynaudum *lib. de martyrio per pestem tom.* XVIII. *opp. p.* 481. *seq. edit. an.* 1665., qui multa huiusmodi exempla refert. Quamquam quae

animo pertulerunt (1). Atque haec quidem exempla non solum a maioribus data, sed etiam sancti Caroli Borromaei aetate a mediolanensibus, nostra autem memoria a massiliensibus, avenionensibus, messanensibusque restituta sunt, vigereque etiamnum in oriente, atque in occidente apud nostros videmus. Possem autem aliquos eorum, qui superstites adhuc sunt, eumque maxime, ex quo tot in me, quot ne numerare quidem possum, beneficia sunt profecta, virum optimum, atque doctissimum commemorare, qui cum in Americam propagandae religionis caussa missus esset, in eaque tempora incidisset, quibus pestilenti morbo insulae Martinicae incolae conflictabantur; incredibili charitate flagrans, eorum sese curae, atque commodis consecravit, inque morbum bis incidit; sed Dei beneficio servatus, in Europam revertit, quod divino consilio delectus esset, ut aliquando amplissimi ordinis praefecturam magno et bono, et commodo nostro gereret. Verum quoniam, ut dixi superstes est, nominare hominem nolo, ne offendere videar illius singularem modestiam. Sed extorsit summa mea in Nicolaum Mamachium pietas, ut illius (quoniam de iis, qui extrema aegritudine correptis opem laturi interierunt, loquutus sum) mentionem non praetermitterem. Nam is, quo ego benemerenti, cum Chii essem, et liberali patruo utebar, ut intellexit, esse aliquos, quos pestis invaserat, salutem eorum sempiternam, vitae anteposuit suae. Itaque illis praesto fuit, et sacramenta administravit. Quamobrem paullo post in febrim incidit, decedensque eorum unum fuisse ostendit se, quorum charitate Servator generis humani maiorem dixit habe-

inde concludit, ut suam confirmet opinionem, non probem,

(1) Apud Eusebium *lib.* VII. *hist. cap.* XXII. *p.* 347. „ Repente, *inquit*, ingruit lues illa ... Nobis vero ... „ meditamentum fuit, ac probamentum, periodo ac „ cetera. Non enim a nobis abstinuit lues, licet plu„ rimum in gentiles grassata sit ... Plurimi quidem „ ex fratribus nostris ob nimiam charitatem curam „ omnem propriae salutis abiicientes, sibique mutuo „ adhaerescentes, dum aegros secure, atque audacter „ invisunt, eisque assidue ministrant, et curationem „ adhibent in Christo, una cum illis mortui sunt; „ aliorum aegritudine libentissime sese implentes, et „ proximorum morbum in semetipsos quodammodo „ attrahentes, doloresque eorum sponte sua expri„ mentes, atque extergentes. Multique adeo, qui alios „ aegrotantes curaverant, et in pristinam valetudi„ nem restituerant, ipsi interierunt, mortem eorum „ in seipsos traducentes; verbumque illud vulgare, „ quod officiosae dumtaxat comitatis hactenus visum „ fuerat, reipsa adimplentes, cum aliorum peripsema „ effecti ex hac vita migrarent. Et hoc quidem pacto „ optimi quique ex fratribus nostris, quorum non„ nulli presbyteri erant, ac diaconi, et ex populo lau„ datissimi quique mortem oppetierunt, adeo ut „ genus hoc mortis ob pietatem, atque constantiam „ nequaquam inferius martyrio censeatur. Hi ergo „ sanctorum corpora supinis manibus, gremioque ex„ cipientes, oculos illis, ac ora claudentes, baiulantes „ eadem humeris suis, componentes, adhaerescentes

re neminem, ut qui pro *aliis animam ponere* non recusarent. Sed ut ad veteres redeam, unde huc defluxit oratio, tanta eorum, ut in rebus ceteris, ita in hoc genere virtus fuit, ut ethnicis quid christiana religio posset ostenderet. Quum enim nostri adesse, aegros curare, mortuosque sepelire studerent; gentiles deserere suos, vel in pubblicas vias proiicere audebant, ut si periissent, a canibus discerperentur (1).

V.

Viduas, et orphanos.

Viduarum autem, atque orphanorum cura maxime semper nostris hominibus (2) cordi fuit. Itaque iam usque ab exordio christiani nominis eis alimenta, quaeque ad vestitum pertinent, abunde praebebantur. Nam vel illis quotidie eleemosynae distribuebantur, vel ad martyrum carceres congregati, aut a martyribus ipsis, aut a concurrentibus christianis pecunia iuvari (3) solebant. Sed si magna erga omnes orphanos, summa quidem certe erga martyrum filios pietas fuit, propterea quod habendam eorum rationem putarent, qui et victores gloria sempiterna potiti essent (4), et suo sanguine confirmassent, propagassentque veram religionem.

„ illis, complectentes, lavarre, et vestimentis ornantes, paullo post eadem officia ab aliis consequuti „ sunt „.

(1) Dionysius alexandrinus apud Eusebium *lib.* VII. *cap.* XIII. *p.* 348. *hist. eccl.* „ Gentiles, *inquit*, prorsus „ contraria his egerunt. Nam et eos, qui aegrotare „ incoeperant, exturbabant, et carissimos refugiebant, „ eosque in viis semineces destituebant, aut mortuos „ insepultos proiiciebant, aversantes mortis participationem, ac societatem etc. „.

(2) Vide *act. apost. cap.* VI. *v.* 1. *seq. cap.* IX. *v.* 39. *et* 41., epist. Iacobi *cap.* I. *v.* 27., Luciani locum supra descriptum, Iustinum martyrem *apolog.* I. *n.* 67. *p.* 86. *edit. an.* 1747., Tertullianum *lib. apologet. cap.* XXXIX. *pag.* 120., qui de orphanis agens pecuniam eis subministrari a nostris consuesse scribit, *pueris, ac puellis re, ac parentibus destitutis etc.*

(3) Namque ea consilio confluere ad carceres confessorum solitos pauperes, viduas, orphanosque fuisse, ex epistola ecclesiarum lugdunensis, atque viennensis colligitur. Ac concursum eiusmodi factum, tradit Lucianus loc. cit. In epist. autem modo indicata, apud Eusebium *lib.* V. *hist. cap.* II. *pag.* 212., haec habentur. „ Neque fastu, et arrogantia (martyres) intumuerunt „. Sed ea, quibus abundabant, bona indigentibus liberaliter subministrabant, materna quaedam „ viscera misericordiae gestantes etc. „. Rursum Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* IV. *p.* 71. „ Praeter haec, „ *inquit*, depositum non abnegamus, matrimonium „ nullius adulteramus, pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo red„ dimus „.

(4) Vide acta ss. Perpetuae, et Felicitatis n. 15, *p.* 86. *edit. Ruinartii veron.*

VI.

Peregrinos, atque exules.

Erga peregrinos vero ut virtus christianorum eluxerit, longa oratione vix, scripto autem ne vix quidem explicari potest. Namque ut advenisse eos intelligebant, continuo visitabant, eosque vel in suas, vel in certas quasdam, destinatasque (1) aedes deducentes, quas deinceps xenodochia appellarunt, ut quiescerent, rogabant: lavabant subinde eorum pedes, consolabantur ipsos, ad coenam invitabant, rebus denique omnibus iuvare consuescebant. Quae res ethnicis quoque ipsis admirationi erat. Ergo saeculo ecclesiae quarto Iulianus imperator, vir is, qui nihil magis, qnam sacra, atque instituta nostra aversabatur, invidia permotus, cum ferre non posset, ut peregrini ab christiauis hospitio reciperentur, ab ethnicis autem negligerentur, ad Arsacium idolorum pontificem epistolam sane longam dedit, eique imperavit, ut xenodochia in urbibus extrui faceret, ne inanium deorum cultores virtute inferiores nostris hominibus esse viderentur (2).

(1) Vide Tertullianum *lib.* II. *ad uxor cap.* IV. *p.* 168. ubi. „ Quis (ethnicus) sinat coniugem suam visitandorum fratrum gratia vicatim aliena, et quidem pauperiora quaeque tuguria circumire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? Quis denique solemnibus paschae abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur? Iam vero alicui fratrum ad osculum convenire? *Aquam sanctorum pedibus offerre,* de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere? Si peregre frater *adveniat, quod in aliena domo hospitium?* Si cui largiendum erit, horreum, proma praeclusa sunt „. Vide locum ex epistola Dionysii corinthii supra descriptum, et Iustinum mart. *loc. cit. pag.* 86. *et diss.* 24. *Dagueti tom.* I. *p.* 420. *seq.*

(2) Iulianus apostata *epist.* XLIX. *ad Arsacium Galatiae pontificem, pag.* 429. *edit. Spanhemii an.* 1696. „ Sed quid caussae est, *inquit,* cur in hisce perinde, ac si nihil amplius esset, conquiescamus, ac non potius convertamus oculos ad ea, quibus christianorum religio crevit, id est ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, et ad sanctimoniam vitae, quam simulant? Quorum singula a nobis vere exsequenda censeo. Neque satis est solum institutum sancte observari, sed velim omnes nostros sacerdotes omnino, qui Galatiam incolunt, vel minis impellas, vel ratione persuadeas, ut sint honesti, vel sacerdotali ministerio abdicas, si non una cum uxoribus, liberis, et famulis diis colendis sedulo animos attendant, et ne patiantur servos, aut filios, aut coniuges galilaeorum (christianorum) impie in deos se gerere, et impietatem pietati praeponere. Deinde sacerdotem quemque hortare, ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat, neu artem aliquam, aut opificium turpe exerceat. Et qui tibi in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito .... Porro xenodochia multa in singulis civitatibus extruito, ut peregrini nostra benignitate fruantur, neque solum hi, qui nostram colunt religionem, sed alii quoque, si qui pecuniarum indigeant. Nam turpe profecto est, cum nemo ex iudaeis mendicet, et impii galilaei non suos modo, sed nostros quoque alant, ut nostri auxilio, quod a nobis ferri ipsis debeat, destitui videantur „. Hisce ille verbis ostendit, quam insignis pietas christianorum quarto etiam saeculo erga peregrinos esset. Mitto cetera documenta, quae ad rem pertinent, quod nolim esse longior, quam oportet.

De iis autem, qui aut periculum declinaturi patriam deseruerant, aut pulsi ab hostibus religionis in exilium (1) erant, quid dicam, quibus et cibum, et vestitum, et pecuniam, et quidquid denique opportunum esse putarent, magno etiam periculo suo, nostri (2) suppeditabant?

VII.

Captivos, et ad metalla damnatos.

Rursum de iis etiam, qui captivi ab hostibus detinebantur, illustris est Cypriani episcopi carthaginiensis locus. Traditum enim memoriae a sanctissimo martyre est, magnam pecuniae vim collatam a christianis statim fuisse, atque venisse in barbarorum potestatem nostrum aliquos acceperunt, ut eorum et libertati, et saluti prospicerent. Illud vero potissimum curabant, ut ne quod vitium virginibus inferretur. Periculum enim erat, *ut membra Christo dicata, et in aeternum continentiae honore pudica virtute devota, insultantium libidine, et contagione foedarentur* (3).

Est vero auctor in epistola ad corinthios apostolorum auditor Clemens, tanto erga socios religionis amore multos nostro-

(1) Vide acta s. Theodoti apud Ruinartium *p.* 297. *seq. edit. veron.*

(2) Tertullianus *apologet. cap.* XXXIX. *pag.* 120. *edit. an.* 1744. *in append.* ,, *Haec quasi deposita pietatis* sunt. Quippe ... naufragis, et si qui in metallis, et si qui *in insulis*, vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae ,,.

(3) Cyprianus *epist.* LXI. *al.* LX. *pag.* 146. *seq.* ,, In captivis fratribus nostris, *inquit*, contemplandus est Christus, et redimendus de periculo captivitatis, qui nos redemit de periculo mortis, ut qui nos de diaboli faucibus exuit, nunc ipse, qui manet, et habitat in nobis de barbarorum manibus exuatur, et redimatur nummaria quantitate, qui nos cruce redemit, et sanguine ... Quantus vero communis omnibus nobis moeror est, et cruciatus de periculo virginum, quae illic tenentur, pro quibus non tantum libertatis, sed et pudoris iactura plangenda est, nec tam vincula barbarorum, quam lenonum, et lupanarium stupra deflenda sunt ... Quae omnia istic, secundum litteras vestras, fraternitas nostra cogitans, et dolenter examinans, prompte omnes, et libenter, ac largiter subsidia nummaria fratribus contulerunt, semper quidem secundum fidei suae firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accensi ..... Misimus autem sestertium centum millia nummum, quae istic in ecclesia, cui de Domini indulgentia praesumus, cleri, et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quae vos illic pro vestra diligentia dispensabitis ,,. Scriptum autem anno 372. a Basilio caesareensi in Cappadocia episcopo ad Damasum de Dionysio pontifice, qui medio fere III. saeculo floruit, est, *epist.* LXX. *al.* CCXX. *tom.* III. *edit. monach. s. Mauri pag.* 164. hoc modo: ,, Novimus ex serie memoriae ... Dionysium beatissimum illum episcopum ... invisisse ecclesiam nostram caesareensem, et patres nostros per litteras consolatum esse, ac misisse, qui *fratres captivos* redimerent ,,. Confer s. Ambrosium *lib.* II. *de officiis cap.* XV. *et* XXVIII. *pag.* 89. *et* 91. *tom.* II. *opp. edit. monachor. s. Mauri*, et Socratem *lib.* VII. *hist. eccl. cap.* XXI. *p.* 367. *seq. edit. cantabrig.*

rum, tantoque studio incensos fuisse, ut eos in libertatem adserturi, ipsi se in vincula coniici paterentur (1).

Nam iis, qui ad metalla damnati christianae religionis caussa fuerant, quis ignorat, et pecuniarum, et quarumcumque rerum, non a propinquis solum, sed ab ceteris etiam, qui longe distarent, eamdem ob rationem, mitti subsidia consuesse, ut est a Dionysio (2) corinthiorum episcopo, qui secundo saeculo floruit, et Tertulliano (3) extremi secundi, tertiique ineuntis saeculi scriptore, aliisque pluribus monumentis (4) traditum litterarum?

VIII.

Pauperiores ecclesias.

Pauperioribus item ecclesiis romanam (5) aliasque (6), quibus opes maiores erant, opem tulisse, testata res est. Atque hae quidem exemplum sunt sequutae (7) apostolorum. Colligi namque illi pecuniam, atque Ierosolymam, qua in ecclesia angustae satis res erant, mitti curabant.

IX.

Pauperes omnes, in primisque christianos.

Sed quid multis est opus? Quotquot erant pauperes, quid pietas christiana posset, experiundo discebant (8). Priore autem

(1) Clemens romanus *epist. ad corinth.* 1. num. 55. *p.* 36. *tom.* 1. *collect. epist. rom. pontif. edit. Constantii*, „ Multos cognovimus, *inquit*, e nostris, qui se ipsos in „ vincula coniecerunt, ut alios redimerent „.

(2) Vide locum Dionysii, quem retuli supra *p.* 314. *huius vol. not.* 4.

(3) Confer testimonium Tertulliani sup. *pag.* 320. *huius vol. not.* 2.

(4) Damnati ad metallum signenses has ad Cyprianum litteras dederunt, quae extant, apud Cypr. *epist.* LXXIX. *p.* 236. *edit. oxon.* „ Resalutamus te, frater carissime, per Herennianum hypodiaconum, Lucianum, „ et Maximum fratres nostros, fortes, et incolumes adiuvantibus orationibus tuis, a quibus accepimus oblationis nomine quantitatem, una cum litteris, quas „ scripsisti „. De auctoribus, qui damnatorum ad metalla meminerunt, vide quae scripsi supra *pag.* 240. *huius vol.*

(5) Vide supra *p.* 314. *not.* 4., Dionysii corinthii, *et p.* 317. *not.* 1. Dionysii alexandrini testimonia de vetere, atque firma ecclesiae romanae in hoc genere consuetudine.

(6) Confer *epist.* LXI. *Cypriani p.* 147. *edit. oxon.*

(7) Consule *epist.* 1. *ad corinth. cap.* XVI „ v. 1. *seq.*

(8) Clemens romanus *epist. ad corinth.* 1. *num.* 55. *p.* 36. *tom.* 1. *collect. epistolar. rom. pontif. edit. cantabrig.* „ Multi, *inquit*, in servitutem se ipsi dederunt, et „ accepto pretio sui alios cibarunt „. *Num. autem* 2. *p.* 10. corinthios laudans „ Omnes, *inquit*, humili animo eratis, nullatenus superbientes, magis subiecti, „ quam subiicientes, dantes potius, quam accipientes.. „ Sic pax alta, et praeclara dabatur omnibus, et insa-

loco iis nostri adiumento erant, quibuscum coniuncti essent societate religionis. In his vero praecipuas obtinebant partes, qui tormenta fortiter pertulissent. Nam Cyprianus (1) saepe ac multum hortatus clericos est, ut eorum potissimum curam gererent. Accedebat studium orthodoxorum, ut ne quid christianis ceteris deesset, quod ad sustentandam vitam pertineret. Idque iam non solum ab Tertulliano, Iustino martyre, aliisque traditum est, sed etiam ab Luciano (2), et Iuliano (3) apostata commendatum memoriae hominum sempiternae. Itaque incredibilis haec in egentes christianorum beneficentia ethnicis ipsis movebat admirationem. Eoque magis mirabantur, invidiaque incitati carpere optimos homines audebant, quo viderent et nostris, et gentilibus, qui omnium rerum inopia premerentur, opem (4) ab ecclesiis intendi consuesse. Fuerunt autem aliqui tanta in pauperes munificentia, et pietate, ut simul atque mysteriis religionis nostrae initiati sunt, res quasque suas divenderent, pretiumque egentibus distribuerent. Est vero in his recensendus Cyprianus (5), qui post petente populo delectus episcopus carthaginiensium fuit.

„ tiabile benefaciendi desiderium... Vobis per diem, ac „ noctem sollicitudo erat pro universa fraternitate „. Iustinus martyr *apolog.* I. n. 67. *p.*86. „ Qui abundant, „ et volunt, *inquit*, suo arbitrio, quod quisque vult, „ largiuntur, et quod colligitur apud eum, qui praeest, „ deponitur, ac ipse subvenit pupillis, et viduis, et iis, „ qui vel ob morbum, vel aliam ob caussam egent, „ tum etiam iis, qui in vinculis sunt, et advenientibus „ peregre hospitibus; uno verbo, omnium indigentium „ curam suscipit „. Vide supra *p.* 315 *not.* 5. locum Tertulliani ex *apolog. cap.* XXXIX. *et p.* 318. *not.* 3. *huius vol.* locum ex *lib. ad Scapulam cap.* IV., et Clementem alexandrinum *lib.* III. *paedag. cap.* VI. *pag.* 233. *edit. an.*1641., et Eusebium *lib.* I. *prep. evang. cap.* IV. *p.*13. *edit. an.* 1628.

(1) Cyprianus *epist.* XIV. *p.* 31. *edit. oxon.* „ Habeatur interim quantum potest, et quomodo potest pauperum cura, sed qui tamen inconcussa fide stantes gregem Christi non reliquerunt, ut his ad tolerandam penuriam sumtus per vestram diligentiam suggeratur, ne quod circa fidem tempestas non fecit, circa laborantes necessitas faciat. Confessoribus etiam gloriosis impertiatur cura propensior. Et quamquam sciam plurimos ex his fratrum voto, et dilectione susceptos, tamen si qui sunt, qui vel vestitu, vel sumtu indigeant, sicut etiam pridem vobis scripseram, cum adhuc essent in carcere constituti, subministrentur eis quaecumque sunt necessaria eis. „. Consule etiam *epist.* XII. *pag.* 27. Clerus autem romanus *epist.* quae inter cyprianicas est VIII. *p.*15., non solum iis, qui constanter cruciatus pertulissent, sed etiam lapsis, qui *poenitentiam* desiderarent, prospici a nostris consuesse scribit. „ Ut si qui „ in hanc tentationem inciderunt, coeperint adprehendi infirmitate, et agant poenitentiam facti sui, „ et desiderent communionem, utique subveniri eis „ debet. Sive viduae, sive thlibomeni, qui se exhibere non possunt, sive hi, qui in carceribus sunt, sive exclusi a sedibus suis, utique habere debent, „ qui eis ministrent. Sed et catechumeni apprehensi „ infirmitate, decepti esse non debebunt, ut eis subveniatur „. Confer epistolam Cornelii papae ad Fabium antiochenum apud Euseb. *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XLIII., *et apud Coustantium tom.* I. *epist. rom. pontif. p.* 154. n. 5. ex quo intelligitur, quae cura christianorum erga pauperes, praesertim cum ethnici in nostros furerent, esset.

(2) Vide *p.* 314. *huius vol. not.* 2.

(3) *Pag.* 319. *huius vol. not.* 2.

(4) Vide Iuliani locum ibid.

(5) Confer vitam Cypriani a Pontio descriptam *opp. Cypr. praefixam pag.* 2. *edit. oxon.* De s. Laurentio vide Prudentium hymno II. περὶ στεφ. *pag.*71. *edit. an.* 1625.

Antistitum praeterea Gregorii (1) nazianzeni senioris, Basilii (2), Epiphanii (3), Augustini (4), aliorumque pene innumerabilium laudes, ob incredibilem erga pauperes liberalitatem in ecclesia celebrantur. Neque pauci numerantur eorum, qui cum proximi morti essent, quaecumque possederant, egenis concedenda praeceperint. Ac Caesarius quidem, Basilii caesareensium cappadocum antistitis frater, cum impendere sibi sensisset supremum diem, hoc breve testamentum fecit: Facultates meae omnes pauperibus distribuuntor.

X.

Mortuorum corpora christiani magna cura sepeliebant.

Magna quoque diligentia sepeliendi corpora non martyrum modo, sed aliorum etiam christianorum, qui morbo quopiam correpti decessissent, a nostris adhibebatur (5). Ei rei scilicet destinata distributionum, *collectarumque* pars erat (6). Quemadmodum autem funus curarent, quoniam dicendum alio loco est, nunc omittatur. Quid? si ethnicorum cadavera condere perinde consuessent, indicarentque hostibus (7), quam essent immemo-

(1) Gregor. nazianz. filius *orat.* 19. *p.* 298. *tom.* I. *opp.*

(2) Adeundi benedictini monachi s. Mauri in vita s. Basilii *cap.* XX. §. 10. *p.* 101., qui id auctoritate Gregorii nazianzeni ex *orat.* 20. confirmant.

(3) Consule Sozomenum *lib.* VII. *hist. eccl. c.* XXVII. *p.* 319. *edit. cantabrig.*

(4) Possidim in eius vita in append. *tom.* X. *opp. August. p.* 273. *seq. edit. paris. monachor. s. Mauri.* Sed eo Epiphanium, et Augustinum nominavi, non quo floruisse eos, cum Iulianus imperaret, putem, sed quo singularis eorum erga pauperes pietas fuerit.

(5) Confer locum Tertulliani supra descriptum ex *cap.* XXXIX. *apologet. pag.* 313. *huius vol. not.* 5., et Dionysii alexandrini testimonium descriptum huius ipsius *vol. p.* 347. *not.* 1. Igitur cadavera nostri non cremabant, quod id ab humanitate alienum esse arbitrarentur. Minuc. Fel. in Octav. *pag.* 327. *edit. an.* 1672., et Tertull. *lib. de anima cap.* LI. *edit. an.* 1744. Sed de hac item re alias.

(6) Tertullianus *ibid.* Extat Iohannis Nicolai antiquitatum quondam in academia tubingensi professoris libellus *de luctu christianorum, seu de ritibus ad sepulturam pertinentibus, edit. Lugd. batav. an.* 1739. *ab Hauerkampo.* Sunt autem in eo quaedam bonae frugis. Quae vero contra catholicos iactat, plena sunt calumniae, ac mendaciorum. Quae res est quidem a me demostranda, sed tempore. At de ratione sepeliendi cadavera confer Aringhum *tom.* I. *Rom. subterr. lib.* I. *seq.*

(7) Pontius diaconus in vita s. Cypriani *opp. ss. martyris eiusdem praefixa pag.* 3. *edit. oxon.* „ Erupit, „ postmodum, *inquit,* lues dira, et detestabilis morbi „ vastitas nimia .... Horrere omnes, fugere, vitare „ contagium, exponere suos impie, quasi cum illo „ peste morituro etiam mortem ipsam aliquis posset „ excludere. Iacebant interim tota civitate non iam „ corpora, sed cadavera plurimorum, et misericor- „ diam in transeuntium contemplatione sortis mutuae „ flagitabant. Nemo respexit aliud praeterquam lucra „ crudelia ... Quid inter haec egerit Christi, et Dei „ pontifex, qui pontifices mundi huius tanto plus pie- „ tate, quanto religionis veritate praecesserat, scelus „ est praeterire. Aggregatam primo in loco uno ple- „ bem de misericordiae bonis instituit, docens divi- „ nae lectionis exemplis, quantum ad promerendum „ Deum prosint officia pietatis. Tunc deinde subiungit, non esse mirabile, si nostros tantum debito „ charitatis obsequio foveremus; eum perfectum pos-

res iniuriarum, quantoque studio in eos ferrentur, a quibus sese alquando exagitatos vidissent?

§. V.

Eorum pietas erga ethnicos ipsos, eosque etiam, quos acerrimos hostes experiebantur.

Iam vero non christianos solum, quos fratrum, ut alio loco diximus, cognatorumque numero habebant, sed etiam ethnicos, ipsosque inimicos, hostesque religionis incredibili amore complectebantur. Nam amicos diligere commune omnium; inimicos autem amare proprium esse aiebant (1) christianorum. Igitur ut, quanto in ethnicos studio ferrentur, ostenderent, itinera longa suscipere, aestum, frigus, mala omnia aequo animo perferre, penetrare in barbaras, et a romanorum imperio remotas regiones, torqueri, lacerari, mortem oppetere non dubitabant, modo eorum, qui in rerum divinarum ignoratione versabantur, commodis, salutique (2) prospicerent. Quod si in patria manebant,

„ se fieri, qui plus aliquid publicano, vel ethnico fecerit, qui malum bono vincens, et divinae clementiae instar exercens, inimicos quoque dilexerit. Qui pro persequentium se salute, sicut Dominus monet, et hortatur, oravit ... Quod si illa gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent: quid christiana plebs faceret, cui de fide nomen est? Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum, atque ordinum ministeria. Multi, qui angustia paupertatis beneficia sumtus exhibere non poterant, plus sumtibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem etc. „

(1) Vide Iustinum martyrem *apolog.* I, *num.* 15, *p.* 53., Athenagoram *legat. pro christ.* n. 12. *pag.* 306. ubi, „ Quaenam sunt illa placita, in quibus enutrimur? *Dico vobis diligite inimicos vestros etc.* Per vos hoc loco mihi liceat, ut apud reges philosophos causam dicens, in sermonem magno clamore exaudiendum liberius erumpere. Quinam enim vel ex iis, qui syllogismos resolvunt, ambigue dicta dissolvunt, et voces unde dictae sint explanant ... quinam inquam ex eis ita puri, insontesque vivunt, ut inimicos non modo non oderint, sed etiam diligant, ac iis, qui priores maledixerunt, non modo non maledicant, quod tamen moderatissimum videretur, sed etiam benedicant, ac pro iis precentur, qui ipsorum vitae insidiantur „? Confer Tertullianum *cap.* XXXVI. *apolog. p.* 113., *et cap.* XXXVII. *pag.* 114. *edit. an.* 1744. *in append.*, Pontii de Cypriano locum descriptum not. sup., Minucium Felicem Octav. *p.* 312. *edit. an.* 1672, Eusebium *lib.* I. *praep. evang. cap.* IV. *pag.* 13. *edit. an.* 1628., Lactantium epitome *divin. instit. cap.* LXI. *p.* 56. *seq. edit. an.* 1748. *tom.* II. *opp.* Sed omnes recensere non vacat.

(2) Hoc apostoli, virique apostolici fecerunt, quorum nos res gestas laboresque susceptos pro salute ethnicorum descripsimus libro superiore. Hoc nunc uno Eusebii caesareensis testimonio contentus ero, qui *lib.* III. *hist. eccl. cap.* XXXVII. *pag.* 133. „ Alii, *inquit*, quoque complures eodem tempore viguerunt inter apostolorum successores, principem obtinentes locum, qui utpote discipuli tantorum virorum admirabiles plane, ac divini, ecclesiarum fundamenta, quae apostoli prius iecerant, additis aedificiis extruxerunt, praedicationem evangelii magis, ac magis promoventes, et salutaria regni caelestis semina per universum terrarum orbem spargentes. Siquidem plerique ex illius temporis discipulis, quorum animos ardentioris philosophiae desiderio verbum divinum incenderat, Servatoris nostri exemplum iam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis; deinde relicta patria peregre proficiscentes munus obibant evangelistarum iis, qui fidei sermo-

cives suos docere, monere, arguere non (1) desinebant, ut eos ad veritatis cognitionem adducere valerent (2). Neque sermone tantum, sed etiam exemplo vitae recte institutae eosdem Christo conciliare enitebantur (3). Atque ut ethnicis, ita quoque haereticis, ex quibus tot erant in rempublicam orthodoxorum profecta incommoda, utiles esse studebant (4). Verumtamen si infestos, atque inimicos sibi ad Christum perducere conabantur, cur non eodem officii genere iis, qui essent aut scelere idololatriae cruciatus terrore, aut fragilitate naturae flagitio aliquo implicati, satisfecissent (5)? Tantum autem aberat, ut odio in obtrectatores, eosque, qui privati cuiusquam ipsorum inimici essent, ferrentur, ut sin minus reducere illos in bonam frugem possent, iis tamen bene precarentur (6). Ac si quandoque impulsu, incitationeque hostis generis humani, malave animi institutione iratus nostrus quisquam alteri fuisset (id quod plerique

„ nem nondum audivissent ... Hi postquam in remotis quibusdam, et barbaris regionibus fundamenta fidei iecerant, aliosque pastores constituerant ... eo contenti ad alias gentes, ac regiones, comitante Dei gratia, ac virtute properabant etc. „

(1) Cyprianus *lib. ad Demetrianum p.* 195. „ Offerimus, *inquit,* vobis animi, et consilii nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, et sic Deo plus placemus, dum nullam pro iniuria vicem reddimus, hortamur, dum facultas adest, cum adhuc aliquid de seculo superest, Deo satisfacere, et ad verae religionis candidam lucem de profunda, et tenebrosa nocte superstitionis emergere. Non invidemus commodis vestris, nec beneficia divina celamus. Odiis vestris benevolentiam reddimus, et pro tormentis, ac suppliciis, quae nobis inferuntur salutis itinera monstramus. Credite, et vivite, et qui nos ad tempus persequimini, in aeternum gaudete nobiscum „.

(2) Vide modo descriptum Cypriani locum. Iustinus martyr *apolog.* I. *n.* 67. *p.* 79. „ Id unum, *inquit,* moliri possunt (daemones) ut qui praeter rationem vivunt, et flagitiose in pravis institutis nutriti sunt... occidant nos, et oderint: quos non *modo non odimus,* sed etiam ut *manifestum est, misericordia commoti persuadere illis cupimus, ut immutentur, et convertantur* „. Et *n.* 15. *p.* 52. „ Suadendo, *inquit,* flectere conamur eos, qui nos iniquis odiis prosequuntur, ut qui secundum praeclara Christi praecepta vixerint, bonam spem habeant, eadem se ac nos a dominatore omnium Deo consequuturos „. Confer Origenem *lib.* I. *contra Celsum n.* 27. *edit. monach. s. Mauri tom.* I. *opp.,* et *num.* 29. *et lib.* III. *n.* 8. *seq.,* et Theodoritum *lib.* V. *hist. eccl. cap.* XXIX. ubi de Iohan. chrysostomo agit.

(3) S. Cyprianus *epist.* XIII. *p.* 30. *seq. edit. oxon.*

(4) Adeundus s. Irenaeus *lib.* III. *adv. haeres. c.* XXV. *p.* 224. *edit. an.* 1710. *paris. Massueti.*

(5) Confer quae dixi *tom.* II. *huiusce op. de Iohanne apost. p.* 129. *seq.,* Clementem rom. *epist. ad corinth.* I. *n.* 2. *p.* 10. *tom.* I. *epist. roman. pontif. edit. Constant.* ubi „ De proximorum delictis, *inquit,* lugebatis, eorum defectus vestros iudicabatis „. Eusebium *lib.* V. *hist. eccl. cap.* II. *p.* 212. *edit. cantabrig.,* quo loco de martyribus gallis sub M. Antonino disserit; Origenem *lib.* III. *contra Celsum n.* 51. *pag.* 261. *tom.* I. *opp. edit. monach. s. Mauri,* ubi „ Christiani, *inquit,* ut perditos, et Deo mortuos lugent eos, qui libidine, aut quovis alio crimine devicti sunt, eosdem vero, quasi e mortuis excitatos, ducunt, si eam morum mutationem fecerint, cuius ratio haberi debeat „.

(6) Smyrnenses christiani *epist. de Polycarpi martyrio n.* 8. *p.* 29. *edit. Ruinartii veron.* „ Oratione, *inquit,* postmodum voce completa, facta in precibus omnium mentione notorum, ignotorumque, bonorum, ac malorum ... tandem hora illius, ac tempus advenit, qua custoditae acciperet coronam iustitiae etc. „. Iustinus martyr *apolog.* I. *num.* 14. *p.* 52. *edit. venet. an.* 1747. „ Pro inimicis oramus, inquit. Similia habet *n.* 15. *p.* 53. Et dialogo cum Tryph. *num.* 18. *p.* 123. „ Si constanter omnia perferimus, quaecumque in nos homines, et daemones mali moliuntur, ita ut etiam inter horrendas res, mortem, et supplicia, iis, qui nos ita pertractant, misericordiam exhiberi precemur, nec cuiquam ne le-

omnes christiani (1) pati non poterant ab se fieri), statim atque se collegisset, cognossetque factam ab se fratri esse iniuriam, aut ipse per se hominem, quem laeserat, conveniebat, sibique, ut parceret, postulabat, aut mittebat, qui dicerent, graviter eum, quod peccasset, ferre, et veniam petere. Quo in genere Nicephorus martyr magnam sibi laudem, et gloriam comparavit. Cum enim amicitia Sapricio cuidam presbytero coniunctus esset, quod accepisset, et quod intulisset iniuriam, post ab illo coepit animo esse adeo abalienato, ut eius ne sustinere quidem aspectum posset. Eodem adversus Nicephorum Sapricius odio flagrabat. Diu cum hoc statu res fuisset, taudem reversus Nicephorus ad sanitatem, statuit finem iniuriis facere. Igitur amicos adiit, rogavit, ut adiutores sibi esse vellent, promisitque sese Sapricio satisfacturum. Agnoscere namque, dixit, suam culpam se, precarique proinde, sibi ut ille ignoscere ne gravaretur. Sapricius, qui tantam arrogantiam sumserat, ut ferendus non videretur, negavit se, quam ille peteret, veniam daturum. Dici vix potest quam id acerbe, molesteque Nicephorus tulerit. Non tamen despondit animum. Adhibuit alios, qui voluntatem Sapricii hortatu, monitis, precibus, minis flecterent. Cum hos item nihil profecisse intellexisset, opem aliorum, qui plus auctoritate apud Sapricium valebant, imploravit. Obtestatus etiam, atque etiam viros est, ut ei bresbytero, quae a Christo praecepta essent, in mentem revocarent. Agi de sempiterna hominis

„ viter quidem rependi velimus, ut nobis praecepit „ novus legislator, quomodo non ea etiam, quae vos „ nihil laedunt ... observaremus „? Et n. 35. *p.*139. „ Et pro vobis, et pro aliis omnibus hominibus, qui „ nos oderunt, precamur, ut nobiscum resipiscentes, „ in eum, quem et opera, et quae etiamnum eius „ nominis appellatione fiunt miracula, et doctrinae „ sermones, et vaticinia de eo pronunciata, intaminatum, ac in omnibus inculpatum declarent, Iesum „ Christum blasphemias non emomatis, sed in eum „ credentes, salutem in secundo eius adventu, qui „ gloriosus futurus est, consequamini „. Athenagoras *legat. pro christ.* n. 11. *p.* 306. *edit. laudatae app. Iust.*, Theophilus antiochenus *lib.* III. *ad Autolycum* n.14. *seq.* *p.* 415. *seq.* „ Ut, *inquit*, non solum eos, qui nostri „ sunt generis benevolentia complectamur ...., sed „ etiam *inimicos ut diligamus* evangelium *praecepit* ... „ Qui autem bene faciunt, eos non gloriari decet, ne „ studiosi sint hominibus placendi ..... Vide igitur, „ ne possint, qui talia edocentur, indifferenter vivere etc. „. Tertullianus *apologet. cap.* XXXI. *pag.* 104. *seq.* „ Praeceptum est nobis, *inquit*, ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis Deum orare, „ et persecutoribus nostris bona precari. Qui magis „ inimici, et persecutores christianorum, quam de „ quorum maiestate convenimur in crimen? Sed etiam „ nominatim, atque manifeste, orate, inquit, pro regibus, et pro principibus, et potestatibus, ut omnia „ tranquilla sint vobis „. Et *cap.* XXXVII. *p.* 114. „ Si „ inimicos, ut supra diximus, iubemur diligere, quem „ habemus odisse „? Acta ss. mm. scillitanorum, qui anno circiter 200. passi sunt, quae ex cod. ms. Colbertino edidit Ruinartius *p.* 48., *act. ss. mm. sincer.* n. 1. sic habent: „ Pro eis oravimus, quos iniuste „ patiebamur infestos „. *Cyprianus ad Demetrianum loc. cit.*

(1) Tertullianus *cap.* XXXIX. *apolog. p.* 147.

salute, ostendit. Demonstravit, eum, si pergat odisse, sempiterno esse interitu periturum. Quamobrem id eniterentur, idque omni studio, ac diligentia laborarent, ut ille pertinacia desisteret, ac sibi veniam roganti daret. Amici, cognitis Nicephori postulatis, nihil praetermiserunt, quod ad conciliandam inter eos pacem pertineret. Sed frustra is est omnis ab illis susceptus labor. Interea saeva in ecclesiam commota ab ethnicis tempestas est. Paullo post Sapricius capitur, atque ad praesidem adductus, confessusque se christianum esse, capitis condemnatur. Id ut nunciatum Nicephoro est, accurrit gratulatum Sapricio, atque advenisse iam tempus, ait, quo martyr, oblitus iniuriarum, misero sibi, ac suppliciter veniam poscenti parcat. Sapricius contra odio incensus, ne verbo quidem rogantem dignatur. Cum ad locum supplicii ventum esset, rursumque Nicephorus pacem postulasset, Sapricius iratus, atque aegre ferens, ne inimico parceret, mortem sibi perpetuam conscivit. Nam cum ei carnifex genua ut flecteret, imperasset, paratum se dixit esse Christo maledicere, diisque, ut praeses iussisset, sacrificare. Lacrimari continuo Nicephorus, flere, orare, plorare, atque implorare Sapricii fidem, ut adesset, cognosceret, animadverteret, quid egisset, utque se misere iret perditum. Sed cum obstinatum, ac pervicacem in sententia manere vidisset, ne quid Sapricii scelere christiana respublica detrimenti caperet, ad ethnicos conversus, ne arbitramini, inquit, recte ab Sapricio rem gestam esse (1). Si negat ille, vobis ego nunc dico, atque confirmo, me esse christianum, velleque pro Christo, quem ille eiuravit, vitam, sanguinemque profundere. Itaque a militibus comprehensus, et paullo post iudicis sententia damnatus, ab carnifice tandem gladio interfectus est, ac martyr aeternam est in caelo consequutus felicitatem.

Sed qui ita erant erga inimicos comparati, affectique animis, ut eos diligerent, ac felices optarent esse, proptereaque Deo commendandos arbitrarentur; iidem si egere illos, morboque aliquo exagitari scirent, omni officio, diligentia, pecunia, rebus quibuscumque adiuvandos (2) putabant. Quod ut diffiteri Iu-

(1) Vide acta s. Nicephori apud Ruinartium *p.* 209. *seq. edit. veron.*

(2) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromateon p.* 740. *edit. an.* 1641. „ Ei, *inquit*, qui persequitur, et odio

lianus apostata (1), qui restituere superstitionem deorum conatus est, ita aequo animo ferre non poterat, ut qui nostros non solum non esse suis ratione pietatis superiores, sed ne pares quidem vellet. Quamobrem pontifici Galatiae praecepit, ut hospitia extrui curaret, propterea quod nefas esse censeret, ethnicos ab christianis pauperes ali, quos ille christianos galilaeorum nomine appellabat, contumeliae caussa. At vero quoniam ethnicorum simulata pietas in egentes erat, vera autem christianorum, factum hinc est, ut hi quidem maximos, cum afflictae ipsorum viderentur res esse, in virtute progressus facerent, illi contra conata perficere nequirent.

CAPUT II.

DE PACE, ET CONCORDIA VETERUM CHRISTIANORUM.

Quemadmodum autem perturbatio esse, atque confusio ulla in eorum sive coetu, sive republica, sive societate queat, qui sese mutuo ament, ne suspicari quidem possum. Nam qui *proximum* diligit ut se ipsum, is, ne quid faciat cuiquam, quod sibi fieri nolit, cavet. Qui enim cum laedi se nolit, laedit alterum, nae is illum non modo, ut ipsum se non considerat, sed ne ut amicum quidem. Igitur ex charitate, quae potissimum in caussa erat, cur nostrum nemo iniuria alterum quemquam afficeret, aut prudens, volensque laederet, summa in ecclesia pax oriebatur, incredibilisque animorum consensio. Etenim ne in cogitationem quidem cadit, ut quis pacem cum iis non esse colendam putet, a quibus se diligi, non opinione, sed certo sciat. Tranquilla igitur omnia apud nostros (2) erant. Ex qua re in-

,, habet, si indigeat, is qui est praeditus cognitione, ,, parum curans eos, qui dicunt propter metum ei ,, dedisse, si non fecerit propter malum, sed ut ei ,, opem ferret. Qui enim, ut inimicis subveniant, ,, non parcunt pecuniae .... quomodo non erit in ,, eum maior eorum charitas? Qui talis est, ex hoc ,, progreditur ad perfecte sciendum, et cuinam maxi- ,, me, et quantum, et quando, et quomodo sit datu- ,, rus. Quis autem eius viri iure fuerit inimicus, qui ,, nullam inimicitiarum caussam praebet omnino ,, ? Vide supra descriptum pag. 323. Pontii diaconi de Cypriano locum.

(1) Confer locum ex epistola Iuliani ad Arsacium supra descriptam p. 319. not. 2. huius vol.

(2) Caecilius ethnicus apud Minucium Felicem in Octav. hanc pacem christianorum carpens p. 81. *edit. an.* 1672. ,, Eruenda prorsus haec, *inquit*, et execranda ,, consensio. Occultis notis, et insignibus noscunt, et ,, amant mutuo pene antequam noverint ,,. Iustinus martyr *apolog.* 1. n. 14. *p.* 52. *edit. an.* 1747. demonstraturus, ut christiana religio hominum animos, qui ad malum ferrentur, mutaverit: ,, Quemadmodum et ,, nos, *inquit*, postquam verbo credidimus ab istis ,, quidem descivimus, ac solum ingenitum Deum per

telligebatur, quam esse memores eorum solerent, quae sibi a Christo, iam iam morituro, magnopere commendata fuerant (1), quasi futura indicia, et notae quaedam christianismi essent. Quod si qua interdum dissensio in ecclesia enascebatur, reperiebantur continuo, qui ei tollendae, restituendaeque paci studerent (2). Atque ut omnes cognoscant, ex quibus officiis christianorum pax tanta, consensioque voluntatum proficisceretur, augerique continenter soleret, numeranda ordine esse, si non omnia, at praecipua saltem arbitror.

§. I.

De religionis christianae decreto, quo cavetur, ne quis alteri, quod sibi fieri nolit, faciat.

Itaque decretum hoc a Christo servatore, eiusque discipulis sancitum est, quod latissime patet, omniaque fere genera officiorum erga homines ceteros continet, ut nemo alteri audeat, quod sibi fieri nolit (3), facere. Atque id quidem tanta cura, studio, diligentia a nostris observabatur, ut vel ipsis ethnicis

,, eius filium sequimur: et qui olim ... mutuis odiis, et caedibus pugnabamus, et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus, et pro inimicis oramus, et qui nos iniquis odiis persequuntur eos suadendo flectere conamur ,,. Eusebius *lib.* I. *praep. evang. cap.* IV. *p.* 13. ,, Deum agnitura, *inquit*, multitudo confluit, eiusmodique sermonibus aures praebet, quibus ad coercendam non actionum modo petulantiam, verum etiam earum, quae in sola mente versantur, cogitationum turpitudinem ... Quodque nullum non genus hominum divinae doctrinae praeceptionibus imbuatur, ut lacessentium inimicorum iniurias, excelso ... animo ferre non molestis, ac similibus improbos homines ulcisci velit, et iracundiae, ut impotentem, ac furiosam cupiditatis omnis impetum regere, et frenare conetur. Adeoque et opes, fortunasque suas, cum inopibus, egentibusque communicet, ut quemlibet hominem *communis humanitatis* nomine complectatur, quemque vulgo tamquam peregrinum habent, eum quasi naturae lege coniunctissimum, ac veluti fratrem agnoscant ,,. Vide Cyprianum *lib. de unitate eccl. p.* 104. *seq. edit. oxon.*, Athanasium *lib. de Verbi incarnatione num.* 52. *pag.* 92. *seq. tom.* I. *opp. edit. paris. monachor. s. Mauri.*

(1) Vide Evangelium Ioh. *cap.* V. Id quoque praescriptum ab apostolo est *epist. ad hebraeos* XII. *v.* 14., *et ad rom. cap.* XIV. *v.* 19., *et cap.* XII. *v.* 18. *seq.*

(2) Huc spectat epistola Clementis romani ad corinthios scripta, quo tolli dissensionum, et pax ecclesiae restitui posset. Quin etiam cum ortae de paschate lites essent, Irenaeus sequester pacis litteras ad Victorem pontificem dedit, oravitque, ut ne gravius in asianos episcopos quidquam decerneret. Itaque stabilita pax est. Consule Eusebium *lib.* V. *hist. cap.* XXIV. *p.* 245. *edit. cantabrig.* Idem ipsum fecit Dionysius alexandrinus *epist. ad Stephanum papam* apud Eusebium *lib.* VII. *hist. eccl. cap.* V. *p.* 323. Restituta autem pace summopere gaudebant christiani; quare Dionysius *ib.* ,, Scias, frater, *inquit*, cunctas per orientem, et ulterius positas ecclesias, quae prius erant discissae, nunc tandem ad unitatem rediisse, et omnes ecclesiarum ubicumque antistites unum, idemque sentire, et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exultare ,,. Huiusce pacis iudicium osculum, quod dare, et accipere solebant in ecclesia, erat; de quo alio loco disseram.

(3) Vide Irenaeum *lib.* III. *contra haeres. cap.* XII.

moveret admirationem. Quare ut alia quaedam, ita hoc quoque a nobis quidam sunt eorum mutuati, quod plane perspicerent, huius unius cultu et stabiliri, et vigere posse humani generis societatem. Nam Alexander Severus, vir is, qui tertio saeculo imperium obtinebat, quum et praescribi haec a nostris, et observari cognosceret, comprehensumque animo haberet, quae inde commoda in ecclesiam redundassent, eam sententiam publicis operibus populi romani inscribi, atque hoc pacto publicari iussit, ut qui prospiceret, si servaretur, in republica tranquilla omnia futura (1).

§. II.

De mansuetudine, qua christiani homines ceteros persequebantur, sive hi socii religionis, sive contra ethnici essent.

Existit praeterea ex charitate, eoque decreto, quod diximus, mansuetudo, quae plurimum confert ad confirmandam animorum concordiam. Quamobrem Christus, qui cum hac virtute, ut ceteris omnibus, praestaret, tum quae ex ea manare in hominum genus utilitas posset, cognoverat, auctor nobis fuit, ut se mitem, ac mansuetum imitaremur (2). Itaque maiores nostri mansuetudinem in primis observabant, qua adeo excellere consueverant, ut non amicos modo, sed etiam inimicos benigne complecterentur (3). Quid? si ne eos quidem minus comiter appellarent, a quibus vexari se, exagitarique perspiciebant (4)? Hac vero miti, plenaque humanitatis agendi ratione adeo res christiana crevit, ut superatis hostibus, qui illi perniciem minarentur, in orbem terrarum universum vera permanarit religio (5).

p. 199. *edit. paris. Massueti*, et Cyprianum *lib.* III. *test. ad Quirin. cap.* CVIII. *p.* 191. *edit. oxon.*

(1) Lampridius in Alexandr. *cap.* LI. *p.* 1007. *edit. an.* 1671. „ Quam sententiam usque adeo dilexit, *in-* „ *quit*, ut et in palatio, et in publicis operibus scri- „ bi iuberet „.

(2) Matth. *cap.* XI. *v.* 29., Clemens romanus *epist. ad corinth.* n. 13. *p.* 15. *tom.* I. *collect. epist. rom. pontif. edit. Constant.* „ Memores sermonum domini Iesu, *in-* „ *quit*, quos loquutus est, docens mansuetudinem, „ longanimitatem etc. „.

(3) Athenagoras *legat. pro christ. num.* 12. *p.* 307. „ Moderatam, *inquit*, et humanitatis plenam .... vi- „ tam sectamur ... Humanitatem eo perducimus, ut „ non amicos solum diligamus „.

(4) Tertullianus *apolog. cap.* XXVI. *pag.* 147. *edit. opp. an.* 1744. *in append.* „ Christianus nec in paupe- „ rem superbit ... damnatus, gratias agit etc. „.

(5) Origenes *lib.* III. *contra Celsum n.* 8. *edit. monachor. s. Mauri tom.* I. „ Christiani quoniam benignam „ illam, mansuetamque legem servarunt, quam docti „ erant, hostes non ulciscendi, id a Deo consequuti

Propagato autem late, longeque evangelio, factum mansuetudine, et charitate mutua est, ut virtutes a nostris omnes colerentur, ac iustitia, paceque christianorum communiretur, et stabiliretur res publica (1).

§. III.

Procul ab invidia, atque odio aberant.

Invidi vero esse qui poterant hi, quibus mansuetudo, atque humanitas tantopere cordi erat? Quapropter christiani, quos mites fuisse in primis, mansuetosque diximus, longe aberant ab invidentiae crimine (2). Si enim aliquos et doctrina, et virtute, et opibus, et dignitate illustres esse videbant, profecto eis non invidebant. Immo vero omni officio, ac diligentia erga illos sua curabant, ut mortales quique, plurimi eos ab se fieri, aestimarique (3). cognoscerent. Quod si (ita ut evenire in magna hominum multitudine solet, ut inveniantur interdum aliqui male instituti, qui livore, invidiaque incitentur) nonnulli exsistebant eo vitii genere infecti, nihil eorum ab episcopis (4) presbyterisque omittebatur, quod conducere ad illos coercendos, reducendosque ad officium posset.

Iam vero quod dictum de invidia est, idem omnino esse arbitror de odio statuendum. Quare Iustinus martyr in priore apologia id esse nostrorum proprium affirmavit, ut qui odio, cum

„ mni, qui semper pugnavit pro illis, et opportunis „ temporibus compescuit eos, qui in christianos insurgerent, et eos interficere in animo haberent ... „ Sed eorum gentem prorsus extingui nunquam permisit Deus, immo consistere voluit, et universam „ terram salutari illa, et piissima doctrina repleri „.

(1) Theophilus antiochenus *lib. III. ad Autolycum* n. 15. *p.* 416. *edit. opp. Iust. venetae an.* 1747. ubi de nostris ab omni inhumanitate alienis disit, „ Procul „ autem abit a christianis, *inquit*, ut iis quidquam „ huiusmodi facere in mentem veniat, apud quos „ adest temperantia, continentia colitur ... iniustitia „ exterminatur, peccatum radicitus avellitur, iustitia „ exercetur, lex observatur, cultus Dei peragitur, Deus „ confitendo celebratur, veritas dominatur, gratia custodivit, pax communit, sanctum verbum manu ducit, sapientia docet, vita dirigit, Deus regnat etc. „.

(2) Vide Iustinum martyrem *dialogo cum Tryphone num.* 14. *edit. opp. venetae an.* 1747. *p.* 119. Cur enim cuiquam inviderent christiani, qui „ ab omni gloriae, et dignitatis ardore frigebant? „ Tertull. *cap.* XXXVIII. *apolog. pag.*116. *edit. opp. an.*1744. Norant scilicet „ se peregrinos in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire. Ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in caelis habere „. Tertull. *ibid. cap.* I. *p.* 2. Confer Minucium Felicem in *Octavio p.* 311. *edit. an.* 1672.

(3) Atque hinc sane dignoscitur, quamobrem antistites, et doctiores, et virtute praestantiores tantopere venerarentur.

(4) Consule Clementem romanum *epist.* I. *ad corinth.* n. 3. *p.* 11. *tom.* I. *collect. epist. rom. pontif. edit. Coustant.*, et praeclarum s. Cypriani de zelo, et livore librum *p.* 221. *seq. edit. oxon.*

ethnici essent, moti in alios saevirent, christiani facti, pietatem, studiumque bene omnibus faciendi ostenderent (1).

§. IV.

Rapienti litem non scribebant.

Quid? si nec *rapientem* in ius vocarent, nec ei scribendam litem arbitrarentur (2)? Erant enim eorum permulti ita affecti, ut si litem rapienti scripsissent, pene metuerent, ne ulcisci iniuriam (3) velle viderentur. Quamquam non inficier, fuisse aliquos iam usque ab aetate apostolorum, qui iudicio apud ethnicos (4) contendere non dubitassent. Sed eos Paulus apostolus acriter reprehendit, accusatque, propterea quod ad eos non confugissent, qui ecclesiae praefecti essent. Veruntamen summam nostrorum hominum in hoc genere aequitatem, ac patientiam cum experiundo ethnici quidam satis explorate cognossent, modum faciundum, ab eisque torquendis desistendum existimarunt (5). Non is autem sum, qui nefas christiano fuisse, homini raptori diem dicere, suumque argentum, patrimoniumve repetere, censeam. Immo vero et potuisse illos ius suum persequi, et fecisse aliquando, quod poterant, non patior modo, sed etiam fateor. Atque, ut mittam de aliis dicere, satis quidem celebre est Basilii caesareensis episcopi de Iulitta martyre testimonium, qui actum ab ea, nescio quem, virum sublatarum suarum facultatum reum, sed accusatam, quod christiana esset, maluisse sanguinem fundere, quam vivere, rursumque patrimonio potiri,

(1) Num. 14. p. 52. Confer et Clementem alexandrinum *lib. VIII. stromateon pag.* 735. Neque vero odisse eos christiani poterant, quos, ut ostendimus, diligebant. Praeclare Tertullianus *apologet. cap.* XXXVII. *p.*114. „ Si „ inimicos, *inquit*, ut supra diximus, iubemur diligere, „ quem habemus odisse „?

(2) Vide Iustinum martyrem *ibid.*

(3) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromateon p.*750. *edit. an.* 1641. „ Dicerem eum, qui est affectus iniu„ ria iudicio contendere apud iniustos, nihil est aliud, „ quam velle videri vicem reddere, et velle iniuriam „ referre, quod quidem est ipsum quoque similiter „ facere iniuriam. Quod autem dicit (apostolus) velle „ se aliquos apud sanctos iudicio contendere, osten„ dit eos, qui petunt precibus, ut iis, qui fecerunt „ iniuriam, par pari referatur, et esse quidem prio„ ribus secundos meliores, sed nondum plane obe„ dientes, nisi iniuriae perfecte obliviscentes ex do„ ctrina Domini precentur etiam pro inimicis „.

(4) *Epist.* I. *ad corinth. cap.* VI. *v.* 1. *seq.*

(5) Iustinus *ibid.* „ Non enim reluctari oportet, „ neque imitatores esse malorum vult Deus, sed et „ patientia, et lenitate omnes a dedecore, et cupi„ ditate abducamus, hortatus est. Quod quidem et de „ multis, qui apud vos fuerunt, demonstrare posse„ mus, qui ex violentis, et tyrannis immutati sunt ... „ perspecta (nostrorum) in iniuriis perferendis mira „ patientia etc. „.

scribit (1). Alios item Athenagoras, et Melito sardensis vixisse sua aetate confirmant, qui ultro sibi tolli, quaecumque possidebant (2), ferrent, neque eam ob rem apud iudicem quererentur, quamvis moleste pati se homines innocentes, optimae, sanctissimaeque religionis caussa, ad supplicium rapi dicerent.

§. V.

Iniuriarium, quas non ulciscebantur, oblivisci studebant.

Nefas praeterea existimabant, ulcisci iniuriam; quod ita edocti a Christo servatore, et magistro generis humani essent (3). Qua re ab ethnicis mirandum in modum distinguebantur. Nam qui ratione tantum se duci (4) iactarent ethnici, illi quidem certe tam esse in vitio hominem putabant, qui inferret, quam eum, qui si posset, non propulsaret iniuriam. Atque id quoque enitebantur nostri, non solum facienti iniuriam parcere; sed etiam oblivisci (5) iniuriarum. Quae sane omnia, cum perspi-

(1) Orat. de s. Iulitta martyre, quam refert etiam Ruinartius *in actis ss. mm. sinc. p.* 453. *edit. veron.*

(2) Athenagoras *legat. num.* 1. *p.* 298. „ Neque ad „ pecunias spectat, *inquit*, inimicorum iniuria, neque „ ad molestam ignominiae, nec ad aliud quidpiam rei „ maioris illato damno (Haec enim contemnimus, „ quamvis studio digna multis videantur, ut qui non „ *modo non repercutere, nec invadentibus, et rapientibus* „ *diem dicere, sed istis etiam, si colaphum inflixerint, al-* „ *teram capitis partem percutiendam praebere, his autem,* „ *si tunicam abstulerint, pallium etiam superaddere didi-* „ *cerimus*), sed corporibus, ac vitae nostrae, postquam „ pecuniam proiecerimus insidiantur etc. „. Confer Melitonis locum apud Eusebium *lib.* IV. *hist. eccl. c.* XXVI. *p.* 189. *edit. cantabrig.*

(3) Clemens romanus *epist.* I. *n.* 1. *p.* 10. *collect. epist. rom. pontif. edit. Constantii tom.* I., corinthios laudat, qui, antequam epistolam scripsisset, sic vixerant, ut *iniuriarum invicem acceptarum immemores ipsi fuissent*, Consule Iustinum martyrem *apolog.* I. *c.* 14. *p.* 52., Athenagoram loco modo descripto, et *legat. num.* 11. *p.* 307. ubi „ Apud nos, *inquit*, reperietis imperitos homines, et opifices, et anus, si minus verbis praestare possint eam, quae ex doctrina nostra percipitur, utilitatem, at factis eam, quae ex animi inductione proficiscitur, demonstrare. Neque enim „ verba declamitant, sed recte facta exhibent, repiens „ litem non scribere, petentibus dare, proximum ut „ seipsum diligere „. Et n. 34. *p.* 332., Tertullianus *apologet. cap.* 37. *p.* 114. „ Item si iidem, *ait*, laesi „ vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, „ quem possumus laedere? Nam de isto ipsi recognoscite. Quotiens enim in christianos desaevitis partim animis propriis, partim legibus obsequentes? „ Quoties etiam praeteritis vobis, suo iure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, et incendiis? Ipsis „ bacchanalium furiis nec mortuis parcunt christianis, „ quin illos de requie sepulturae, de asylo quodam „ mortis, iam alios, iam nec totos avellant, dissecent, „ distrahant. Quid tamen de tam conspiratis ad mortem usque pro iniuria repensatum? Quando vel „ una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret? „ Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divinitas „ sectae, aut doleat pati, in quo probatur etc. „. Consule etiam Eusebium *lib.* II. *praep. evang. cap.* IV. *p.* 13., et Arnobium *lib.* I. *p.* 6. *edit. an.* 1651.

(4) Cic. *lib.* I. *de officiis cap.* VII. *p.* 265. *edit. genev. Oliveti tom.* III.

(5) Clemens alexandrinus *lib.* VII. *stromat. p.* 735. *edit. opp. an.* 1641. „ Numquam acceptae memor est „ iniuriae, *inquit*, is, qui est praeditus cognitione, „ nulli indignatur, aut in quemquam acerbe invehi- „ tur etc. „.

cua sint, veterumque scriptorum auctoritate firmata, longa oratione non egent. Quod si inveniantur aliqui rerum nostrarum ita imperiti, ut non potuisse nostros iniuriam ulcisci, etiam si voluissent, defendant, hos scilicet refellere Tertulliani testimonio possumus (1). Neque vero immemores solum erant acceptae iniuriae, sed etiam illis nequaquam irascebantur, a quibus sese opprimi viderent (2).

§. VI.

Christiani veteres plerique omnes nemini maledicebant, aut contumeliam faciebant; immo vero bonum pro malo reddebant.

A magistro autem Christo didicerant bene iis precari, ac dicere, a quibus maledictis (3) exagitarentur. Atque confirmatos quidem in ea sententia Stephani protomartyris (4), virorumque apostolicorum (5) exemplis fuisse, constat. Igitur etsi (6) ex

(1) *Apolog. cap.* xxxvii. *p.* 115. ,, Si hostes exertos, *inquit*, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum, et copiarum? Plures nimirum Mauri, et Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantaecumque unius tamen loci, et suorum finium gentes, quam totius orbis. Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Possumus dinumerare exercitus vestros: unius provinciae plures erunt. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus? etc. ,,

(2) Tertull. *apolog. cap.* xli. *pag.* 139. *edit. eiusd.* an. 1744. *in append.*

(3) Matth. *cap.* v. v. 44.

(4) *Act. apost. cap.* vii. v. 59.

(5) *Epist. ad rom. cap.* xii. v. 14. ,, Benedicite, et nolite maledicere ,,. i. *Cor. cap.* iv. v. 12. ,, Maledicimur, et benedicimus ,,.

(6) Iustinus martyr *dialogo cum Tryphone num.* 16. *pag.* 122. *edit. an.* 1747. ,, Occidistis, *inquit*, o iudaei, iustum, et ante eum prophetas eius, et nunc eos, qui sperant in illum, et in summum regem, et creatorem universorum Deum, a quo missus est, aspernamini, et quantum in vobis est, afficitis contumeliis, diris devoventes in synagogis vestris eos, qui in Christum credunt. Neque enim ea vobis iam potestas, ut manus nobis inferatis, propter eos, qui nunc rerum potiuntur, quoties autem adfuit, rem confecistis .... Iniuriae nobis .... illatae non tanta in aliis gentibus culpa residet, quanta in vobis, qui illis etiam anticipatae de iusto, et de nobis, qui ab eo orti sumus malae opinionis auctores estis. Postquam enim solum illum inculpatum, et iustum hominem, cuius vulneribus sanantur, qui per eum ad patrem accedunt, cruci affixistis, cum eum sciretis ex mortuis resurrexisse, et caelum ascendisse, ut prophetae futurum praedicabant, non modo poenitentiam admissorum scelerum non egistis, sed etiam selectos viros tunc Hierosolymis in universum orbem misistis, impiam christianorum haeresim prodiisse dicentes, eaque spargentes, quae in nos, ab iis omnibus, quibus noti non sumus, dicuntur. Itaque non vobis solum iniquitatis causa estis, sed aliis etiam omnibus prorsus hominibus ... Lavamini igitur, et nunc mundi estote, et auferte nequitiam ab animabus vestris, quemadmodum iubet Deus, et hoc lavamini lavacro, et vera circumcisione circumcidemini. Nos enim hanc quoque carnis circumcisionem, et sabbata, et ferias omnes omnino observaremus, nisi cognitum nobis esset, quam ob causam haec vobis ipsis indicta sint, id est propter iniquitates vestras, et cordis duritiem. Nam si constanter omnia perferimus, quaecumque in nos homines, et daemones mali moliuntur, ita ut etiam inter horrendas res, mortem, et supplicia iis, qui

iudaeis potissimum cruciatus Christi servatoris, omnesque fere aerumnas, quibus vexata ecclesia est, profectas esse certo scirent, tamen iis, ceterisque universis, qui similes eorum erant, non solum non maledicebant nostri, sed etiam *misericordiam* optabant. Quamobrem vereor ne ab hoc tam vetere instituto christianorum, tamque miti agendi ratione desciverint ii, qui ut suo corpori prospicerent, diris homines devovere non dubitabant, qui ausi fuissent sepulcra, quae sibi illi posuissent, violare (1). Que-

„ nos ita pertractant, misericordiam exhiberi precemur, nec cuiquam, ne leviter quidem rependi velimus, ut nobis praecepit novus legislator; quomodo non ea etiam, quae non nihil laedunt .... Trypho, observaremus „? Vide et num. 133. *pag.* 238. Athenagoras *legat. pro christ.* n. 35. *p.* 332. *edit. bened. opp. Iust.*, ethnicos invehi in christianos, dicit, *quibus christianis nec percussis seipsos non tradere, nec male audientibus fas est non benedicere.* Tertullianus *cap.* XLV. *apolog. p.* 139. „ Nos soli innocentes, *inquit*. Quid mirum, „ si necesse est? Enim vero necesse est. Innocentiam „ a Deo edocti, et perfecte eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, „ ut ab incontemptibili dispectore mandatam. Vobis „ autem humana aestimatio innocentiam tradidit, „ humana item dominatio imperavit. Inde nec plenae, nec adeo timendae estis disciplinae ad innocentiae veritatem ... Atque adeo quid plenius dictum est, *non occides*, an vero ne *irascaris* quidem? „ Quid perfectius, prohibere adulterium, an etiam „ ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid „ eruditius, de maleficio, an de *maliloquio* interdicere? Quid instructius, iniuriam non permittere, an „ nec vicem iniuriae sinere „? Acta ss. mm. scillitanorum apud Ruinartium *p.* 74. *edit. veron.* sic habent: „ Nos numquam aliquando malum fecimus, neque iniquitatem sequentes in peccatis egimus operationem, „ nec aliquando cuiquam maledisimus, sed male accepti a vobis, gratias agimus semper „. Simillima horum in actis plerisque ss. martyrum apud bollandianos, apud Ruinartium, et apud Eusebium legere licet. Sed haec satis sunto.

(1) Etsi autem has inscriptiones non tam sint, mea quidem opinione, antiquae, ut earum ulla usque ad aetatem Diocletiani posse videatur, visae tamen sunt Reinesio *class.* 20. *n.* 44. olere superstitionem ethnicorum, qui diris, imprecationibusque uti consueverant. Sic autem habet prima apud Aringhum *tom.* II. *Romae subterr. lib.* IV. *cap.* XXVII. *p.* 174.

MALE . PEREAT . INSEPVLTVS
IACEAT . NON . RESVRGAT
CVM . IVDA . PARTEM . HABEAT
SI . QVIS . SEPVLCRVM . HVNC . VIOLAVERIT

Alteram refert multo recentiorem Fabrettus *cap.* II. *inscript. domest. p.* 110.

LOCVS . SERINI . SVBD. REG.
QVEM . COMPARAVIT . AB . IS
PECIOSA . ABBA . CON . TV
TA . CONGREGATIONE
SVA . SI . QVIS . AVTEM . LO
CVM . ISTVM . BIOLABE
RIT . PARTEM . HABEAT . C
VM . IVDA . TRADITO
REM . DNI . NOSTRI . IHV
XPI . AMEN

Hoc est: *Locus Sereni subdiaconi regionarii, quem comparavit ab Ispeciosa abbatissa cum tota congregatione sua. Si quis autem locum istum violaverit, partem habeat cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi.* Tertiam ex schedis Barberinis, quae integra non est, idem exhibet Fabrettus ibidem, cuius haec est pars extrema.

.... SEPVLCHRVM VIOLARE
.... ET SIT ALIENVS A REGNO
.... NSE MARTIO DIE

Quartam, et quintam refert ibid. Fabrettus p. 3. Atque ex hac quidem postrema constat viguisse XII. saeculo opprobrium illud ab graecis ad italos translatum, ut mino insidentes, facie caudae obversa in ignominiosum veluti triumphum rei ducerentur. Hoc autem genere ignominiae notatum a Constantino Copronimo fuisse Anastasium constantinopolitanum patriarcham scribit Zonaras *annal. tom.* III. Consule ibid. Fabrettum. Atque inscriptio illa quinta ad 1134. pertinet. De imprecationum in *excommunicationibus* quibusdam ferendis usu, quem nemo reprobaverit, ut qui sacrorum bibliorum auctoritate nititur, agam alio loco opportune.

madmodum enim contumeliam aut (1) facere, aut dicere cuiquam potuissent hi, qui bene omnibus precari didicissent?

Precari autem? immo vero ut *bonum pro malo reddendum* (2) didicerant, ita reddere consuerant. Itaque cum viderent hostes tam in se male animatos esse, ut fraude, calumnia, omnibusque artibus illis, christianisque ceteris perniciem afferre conarentur, tum si poterant, eis benefacere non praetermittebant. Quod si Deus aliquando de calumniae, maleficiique auctoribus supplicium sumebat (3), hoc illi quidem certe numquam petierant. Huius rei praeclarum est ab Eusebio descriptum exemplum libro sexto historiae. Nam improbos nescio quos viros tres, qui metuebant, ne accusati apud Narcissum Hierosolymorum ea aetate episcopum, poenas flagitiorum, quibus essent implicati, luerent; decrevisse, scribit, hominem calumnia perdere. Sed ut sibi fidem conciliarent, iuramento firmandam censuisse accusationem. Ac priorem quidem dixisse, si sciens falleret, incendio se, alterum pestilenti morbo, tertium caecitate misere periturum. Invenisse autem eos, qui ipsis assentiretur, fere neminem. Cognitam enim omnibus castitatem praesulis optimi, sanctitatemque vitae fuisse. Nihilominus Narcissum, qui ferre infamiam non posset, domo, atque urbe excedere, inque solitudinem abire, et ascetarum more vivere constituisse. Opportunam vero eam rem fuisse, ut quod diu optarat, perficeret. Abiisse igitur eum, inque iis locis delituisse, quo nemo umquam accedere soleret. Accidisse interea, ut quemadmodum imprecati sibi fuerant, peierantium prior flammis absumeretur, secundus pestilente febri corriperetur, tertius (cum instare sibi supplicium

(1) Eusebius *lib.* I. *praep. evang. cap.* IV. *pag.* 12. *edit. an.* 1628. „ Ne levissimis quidem vocculis, *inquit*, „ in mutuis, quotidianisque congressionibus, sese ne„ gligentias habere volunt, sed in iis etiam accurate „ quidquid loquuntur expendunt, ne quod ipsis ver„ bum aut vanum, aut contumeliosum, aut turpe, mi„ nusve compositum excidat „.

(2) Matth. *cap.* V. *evang.*

(3) Athenagoras *legat. n.* 36. *pag.* 332. „ Nec male „ audientibus, *inquit*, fas est non benedicere. Neque „ etiam satis est iustum esse, in iustitia enim est „ par pari referre, sed illud etiam propositum nobis „ est, ut boni, et patientes malorum simus „. Vide Tertullianum *lib. ad Scapulam cap.* IV. *p.* 71., Lactantius *cap.* LXV. *epist. divin. instit. pag.* 56. *tom.* II. *app. edit.* an. 1748. quid christianorum sit in hoc genere proprium describens. „ Si ficti ab uno Deo, *inquit*, et orti „ ab uno homine, consanguinitatis iure sociamur, om„ nem hominem diligere debemus. Itaque non tan„ tum inferre iniuriam non oportet, sed ne illatam „ quidem vindicare, ut sit in nobis perfecta innocen„ tia. Et ideo iubet nos Deus etiam pro inimicis pre„ cem facere semper. Ergo animo communi, atque „ consors esse debemus, ut nos invicem praestandis, et „ accipiendis auxiliis muniamus ... Ita demum excita„ beris ad opem ferendam, si amaveris eius animum, „ qui opem tuam in malis constitutus implorat. Si quis „ victu indiget, impertiamur, si quis nudus occurrerit, „ vestiamus, si quis a potentiore iniuriam sustinet, „ eruamus etc. „.

videret, confessusque scelus fuisset) tantam vim lacrymarum, et copiam funderet, propterea quod resipuisset, doloreque ob iniuste accusatum antistitem affectus incredibili fuisset, ut usu oculorum privaretur. Diu post hierosolymitis Narcissum se obtulisse, rogatumque, ut ecclesiae administrandae onus sibi iterum sumeret, annuisse, voluisseque, ut socius sibi in eo munere fungendo Alexander esset (1).

§. VII.

Sincere praetera omnia, pure, integreque agebant.

Est vero satis perspicuum, consulere eos paci, tranquillitatique societatis hominum solere, qui sine fuco, et fallacia in republica versentur. Nam fraudem, constat, perturbationum caussam esse, integritatem autem pacis semper, dissensionum autem, et confusionis in ea, quae bene sit iustituta, civitate numquam. Itaque quum Christus et quantum conferat integritas ad virtutem, ac sanctitatem, et quae ex illa commoda oriantur, perspiceret, suis omnibus, ut quae sentiant, candide, sincereque (2) pronuncient, iussit, cavereque ne mendacio quemquam, neve simulatione circumvenire, ac decipere conentur. Id autem quanta cura, diligentiaque servare studuerint, explicare mortalium quisquam vix (3) potest. Non enim solum mentiri palam non au-

(1) Euseb. *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XI. *p.* 207. *seq.*

(2) Matth. *cap.* V. *v.* 37.

(3) Iust. martyr *apologia* II. *num.* 4. *pag.* 94. *seq.* „ Dicam, *inquit*, cur ... interrogati, impavide confitemur ... Interrogati non negamus, tum quod nullius nobis mali conscii simus, tum quod impium existimemus *veritatem in omnibus non dicere*, cum id Deo gratum esse sciamus, tum etiam quod vos opinione inique anticipata nunc liberare studeamus „. Et *apolog.* I. *p.* 48. *n.* 8. „ Vestra autem caussa haec a nobis „ dicta esse ex eo intelligite, quod in nobis situm sit „ negare, cum interrogamur, sed vivere nolumus ob„ stricti mendacio. Eternae enim ac purae vitae cupi„ di ad domicilium cum Deo universorum patre, ac „ opifice promissum contendimus „. Itaque Tertullianus nimis periculosam christiano esse mercaturam facere censuit, quod vix a mendacio liber mercator inveniri posse videatur. *Cap.* XI. *de idololatr. pag.* 81. *edit. an.* 1746. Vide Clem. alexandrinum *lib.* V. *stromaton* *p.* 596. *edit. an.* 1741. Clemens romanus de virtutibus, quibus praediti ante illud tempus, quo epistolam scripsit, corinthii fuerant, agens, *num.* 2. *p.* 10. *edit. Coust. tom.* I. *collect. epistol. roman. pontif.* „ Pax alta, *inquit*, „ et praeclara dabatur omnibus, et insatiabile benefa„ ciendi desiderium, ac pie Spiritus sancti effusio super „ omnes erat, refertique sanctae voluptatis, bono, at„ que alacri animo cum pia fiducia extendebatis ma„ nus vestras ad omnipotentem Deum supplicantes illi, „ ut propitius esset, si quid inviti peccassetis .... *sinceri, et simplices eratis etc.* „. Rursum Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* IV. *pag.* 71. *Pro veritate*, inquit, *cremamur*. Confer Minucium Felicem Octav. *p.* 315. *edit. an.* 1672. ubi „ Hostias, *inquit*, et victimas Domino „ offeram, quas in usum mei protulit, ut reiiciam ei „ suum munus? Ingratum est, cum sit litabilis hostia „ bonus animus, et pura mens, *sincera conscientia*. „ Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat, qui „ iustitiam Deo libat, *qui fraudibus abstinet*, propitiat

debant, sed ne circuitione quidem verborum. Ancipitem enim, et ambigunm sermonem aversabantur, quamquam eo se declinare mortem posse prospicerent. Atque Anthimum (1) episcopum nicomediensem ferunt, cum Maximiani Caesaris iussu quaereretur ad necem, milites, qui illius capiundi caussa in eius domum invaserant, nec ipsum cognorant, hospitio recepisse, vocasse ad prandium, comiter, lauteque, ut poterat, tractasse, ac tribuno, qui nescire aiebat se, ubi nam Anthimns ageret, respondisse, ut bono animo esset, comederet, atque biberet; se namque, ut in militum potestatem veniret Anthimus, curaturum. Cum factus finis prandendi esset, in medium prodiisse hominem, dixisseque, illum esse Anthimum se, quem Maximianus quaeri imperasset. Mirari initio milites, quos ipse sibi beneficio tanto devinxerat, dolere inde, post hortari Anthimnm, nt abiret, seque in locum aliquem abderet. Si enim sequutus eornm consilium esset, promittere eos fore, ut evadere posset periculum. Nam ubi paullulum quaerere se simulassent, reversuros ipsos ad Caesarem, eique confirmaturos, inventum fuisse neminem, qui ubi Anthimus versaretur sciret. Ad haec Anthimum laturum aequo animo se, negasse, ut sibi, cuiusquam mendacio, vita servaretur. Artem quippe simulandi, quam illi proponerent, quid esse, dixisse, nisi mendacium? Itaque desinerent hortari, imperata facerent, ipsumque in carcerem ducerent. Igitur vinctum, atque in carcerem abductum, et non diu post extremo supplicio affectum, martyrem decessisse. Traditum quoque ab Augustino episcopo hipponensi viro doctissimo, atque sanctissimo est (2), venisse ad Secundum tigisitanum antistitem ab curatore provinciae Numidiae milites, qui sacra biblia exurenda peterent, eisque Secundum respondisse, christianum se, atque episcopum esse, non proditorem. Cumque illi instarent, ut libellum aliquem, chartasque offerret, quae nihil sacri continerent, morem eis gerere noluisse imitatnm Eleazari Machabaei exemplum, qni suillam se manducasse ne fingere quidem voluit. Est illud etiam commemorandum, qnod idem Augustinus

„ Deum, qui hominem periculo subripit, opimam victimam caedit. *Haec nostra sacrificia*, haec Dei sacra „ sunt „. Eusebium quoque *lib.* I. *praep evang. c.* IV. *pag.* 12.

(1) Confer eius acta apud bollandianos *tom.* III. *april. die* 27. *p.* 482. *seq.*

(2) *Brevicul. collat. diei* 3. *cap.* XIII. *tom* IX. *opp. edit. antuerp. monach. s. Mauri p.* 386.

de Firmo thagastensi episcopo testatur in eo libro, qui inscribitur *de mendacio* (1). Nam cum ab Caesare apparitores venissent, qui ex ipso quaererent, ubi nam vir, nescio quis, delitesceret, etsi facile erat sese ab interrogationum laqueis circuitione verborum expedire, respondisse tamen Firmum, scribit, nec mentiri se posse, nec virum prodere, qui ad se confugisset. Ergo comprehensum, et ad ethnicum imperatorem adductum, acerbissimis suppliciis excruciari, quam implicare mendacio se, vel alteri nocere maluisse. Atque imperatorem admiratum episcopi et candorem, et magnitudinem animi, ipsi ut ad episcopatum rediret, ac transfugae, ut impune viveret, concessisse.

Quod si ne verbis quidem, quorum anceps esset significatio, abutebantur, quid est, quod eos quisquam aliud voce pronunciasse, aliud animo credidisse putet? Qui autem voce nolebant, opere quidem certe simulare, ac fingere noluerint, necesse est. Quapropter Tertullianus in apologetico (2) derideri ab ethnicis christianos consuesse narrat, quod cum sacrificare, et illaesi abire, quin recederent ab sententia, possent, tum edi in se omnia cruciatuum exempla sinerent. « Sed quidam, *inquit*, dementiam existimant, quod cum possimus et sacrificare in praesenti, et illaesi abire manente apud animum proposito, obstinationem saluti praeferamus. Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur ». Huius autem tam perversi consilii non alium, quam malum daemonem auctorem esse subdit. « Sed agnoscimus unde talia suggerantur, quis totum hoc agitet, et quomodo nunc astutia suadendi, nunc duritia saeviendi ad constantiam nostram deiiciendam operetur. Ille scilicet spiritus daemoniacae, et angelicae paraturae, qui noster ob divortium aemulus, et ob Dei gratiam invidus de mentibus vestris adversus nos praeliatur, occulta inspiratione modulatis, et subornatis ad omnem, quam in primordio exorsi sumus, et iudicandi perversitatem, et saeviendi iniquitatem .... Ingratis resistimus ut aequales, et repugnamus perseverantes in eo, quod oppugnant, et illos numquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur ». Mirabile igitur non est, si rogatus ab Irenarcha Herode Polycarpus smyrnensis episcopus, ut diceret *domine Caesar*, et sa-

(1) *Cap.* XIII. *p.* 317. *tom.* VI. *opp. edit. maur.*

(2) *Cap.* XXVII. *p.* 96. *edit. an.* 1724. *in append.*

crificaret, et ita salvus evaderet, *non sum*, inquit, *facturus*, *quod mihi persuadere* (1) *conamini*. Est praeterea auctor Eusebius in libro octavo (2) historiae, Diocletiani aetate, cum exquisitissimis suppliciis nostri homines christianae religionis caussa cruciarentur, quosdam semivivos correptos, atque humeris gestantium sublatos, proiectos, ut mortuos fuisse. Illos humi iacentes tractos per longissimum spatium fuisse, interque eos computatos qui sacrificassent. Horum plures clamasse, et testatos contenta voce fuisse, se ethnicorum sacra repudiare. Nam christianos se esse. Quare nec sacrificasse se, nec esse umquam sacrificaturos. Sed hos a numerosa militum manu ad id comparatorum pugnis in os caesos, ac silere coactos, genis, omnique facie verberibus contusa expulsos violenter fuisse. Adeo pietatis hostes permagni utique aestimabant, si id, quod voluerant, perfecisse saltem viderentur. Verum haec adversus sanctissimos Dei martyres parum prospere eis cessere. Neque vero solum cum de religione, verum etiam cum de re quacumque ageretur, sibi veteres christiani a mendacio, et simulatione temperabant. Nam etsi Origenes (3), et Clemens alexandrinus (4) Platonem sequuti, ob alterius cuiusquam utilitatem, atque salutem homini mentiri dicerent licere; tamen non est eorum antiquis patribus (5), in primisque Iustino, probata sententia. Quid? si Augustinus (6) ubi de Firmo thagastensi egit, continuo addit? « Sed ait quisquam timidior: paratus esse possum ad quaelibet ferenda tormenta,

(1) *Epist. eccl. smyrn.* apud Ruinartium n. 8. *p.* 34. *edit. veron.*

(2) *Cap.* III. *p.* 380. *edit. cantabr.*

(3) Origen. *lib.* VI. *stromat. fragm.*, quod refertur tom. I. *opp. p.* 24. *edit. venet. an.* 1743.

(4) *Lib.* VII. *stromateon p.* 730. *edit. an.* 1641. Sed recte Iosephus Augustinus Orsius vir doctissimus *dissert. dog. e morale contro l'uso materiale delle parole, cap.* XI. §. II. *p.* 18. dubitat, itane Clemens, an contra senserit, cum *ad eorum salutem, qui laborent*, dicat, *mentiri gnosticum posse* κατὰ τοὺς σοφιστὰς *iuxta sophistas*. Si enim *iuxta sophistas*, non esse hanc illum opinione affirmare censet, sed sophistarum. Nam pag. 729. Clemens sic habet: „ Sed neque propter proximum mentietur, „ vel aliquid transgredietur, quem didicit diligere, „ etiamsi non sit familiaris. Propter se ipsum autem „ multo minus aut mentietur, aut peierabit etc. „ Confer Orsium *loc. cit. seq.*, qui aliquot patres enumerat, qui sequuti Origenem fuisse videntur.

(5) Vide Iustini martyris testimonium, quod ex apolog. paullo ante descripsi, Lactantium *lib.* IV. *divin. instit. cap.* XVIII. *pag.* 453. *edit. an.* 1748. *tom.* I. ubi, „ Est nefas, *inquit*, eum, qui veritati studeat, in ali„ qua re esse fallacem, atque ab ipsa, quam se„ quitur, veritate discedere. In hac institiae, virtu„ tumque omnium via nullus mendacio locus est. „ Itaque viator ille verus, ac iustus non dicet illud „ lucilianum, *homini amico, ac familiari non est men„ tiri meum*, sed etiam inimico, atque ignoto, existi„ mabit non esse mentiri suum, nec aliquando com„ mittet, ut lingua interpres animi a sensu, et cogi„ tatione discordet „. Adeundus Orsius, qui Eusebii caesariensis, Basilii magni, aliorumque patrum dicta veram sententiam confirmat. *Ibid. cap.* IV. *num.* 2. *p.* 73. *seq.*

(6) De mendacio *cap.* XIII. *tom.* VI. *opp. pag.* 325. *edit.* 1701.

vel etiam mortem obeundam, ne peccem. Quum autem peccatum non sit ita mentiri, ut neque cuiquam obsis, neque falsum testimonium dicas, et prosis alicui; stultum est, et grave peccatum voluntaria frustra sustinere tormenta, et fortassis utilem salutem, ac vitam in cassum saevientibus proiicere. A quo quaero cur timeat, quod scriptum est, *falsum testimonium ne dicas*, et non timeat, quod Deo dictum est: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* ... Horum ergo timorem sic accipio, ut tamen illum laudabilem virum, qui nec mentiri voluit, nec hominem prodere, et melius arbitrer intellexisse quod scriptum est, et intellectum fortiter implevisse ». Hoc scilicet illud in caussa fuit, cur primorum temporum christiani, cum convenirent, obstringere sese sacramenti religione solerent, promitterentque numquam commissuros se, ut fidem fallerent (1). Nam si mendacio uti, ac fraude christianis fas fuisset, fidem etiam datam circuitione verborum, novoque aliquo invento fallere interdum licuisset.

§. VIII.

Non erant acceptores personarum.

Aequi praeterea nostri erga omnes erant. Namque a maioribus acceperant, esse *acceptorem personarum* neminem oportere (2). Ergo tales erant, quales eos esse Christus voluerat. Nullam enim rem, ut magis uni, quam alteri hominum placerent, administrabant. Deo si grati fuissent, hoc sibi satis esse arbitrabantur. Quamobrem iidem erga imperatores, qui erga amicos, et propinquos, et ceteros mortales erant (3). Haec omnia, quae

(1) Vide Plinium *epist. vetus. lib.* x. *p.* 630. *edit. cellar. an.* 1711.

(2) Iacob. *ep. cap.* II. v. 1. *et* 9.

(3) Clemens romanus corinthiorum mores, quibus ante scriptam epistolam vivebant *num.* 1. *p.* 10. *tom.* I. *collect. epistol. roman. pontif. edit. Constant.*, ἀπροσωπολήπτως πάντα ἐποιεῖτε, inquit, „ cuncta sine personarum acceptione faciebatis „. Tertullianus *apolog. cap.* XXXVI. *edit. an.* 1747. *in append.* „ Nullum bo„ num, *inquit*, sub exceptione personarum admini„ stramus, quia nobis praestamus, qui non ab ho„ mine aut laudis, aut praemii expensum captamus, „ sed a Deo exactore, et remuneratore indifferentis „ benignitatis. Iidem sumus imperatoribus, qui et vi„ cinis nostris. Male enim velle, male facere, male „ dicere, male cogitare de quoquam ex aequo veta„ mur. Quodcumque non licet in imperatorem, id „ nec in quemquam. Quod in neminem, et forsitan „ magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est „.

partim ad pietatem erga homines ceteros, partim ad iustitiae virtutem pertinent, cum inter nostros vigerent; qui tandem fieri poterat, ut omnes incredibili pace, concordia, tranquillitateque non fruerentur? Nam Clemens romanus in priore, quam ad corinthios scripsit, epistola, cum virtutes, quibus corinthii aute praestiterant, descripsisset, tum ex earum cultu snmmam pacem fuisse profectam testatus est (1). Sed quoniam de iustitia tempus admonuit, age, quanta eam cura, diligentiaque veteres christiani coluerint, videamus.

CAPUT III.

DE IUSTITIA ERGA OMNES HOMINES, QUA MAIORES NOSTRI EXCELLUERUNT.

Est vero virtus tribuens suum cuique (2) iustitia, sine qua constitui, regique non potest humani generis consociatio. Atque ea quidem non in opibus modo, reque familiari, sed in rebus etiam omnibus, quae cuique debentur, servandis, tribuendis, reddendis versatur, sive ad honores spectent, sive etiam ad dignitatem. Itaque et honorem adhibere, et obtemperare, et tributum pendere principi proprium eius virtutis est, ad eamque pertinent universa, quae sunt erga coniuges, filios, dominos, subditos, servos, hominesque ceteros ex iure profecta officia. Sed a principibus exordiendum est.

(1) *Num. 2. p. 10. tom. 1. collect. epist. rom. pontif. edit. Constantii.*

(2) Oriri ex iustitia pacem scribit Clemens alexandrinus *lib. iv. stromatum p. 539. edit. an. 1641.* „ Iusti- „ tia est pax vitae, et stabilitas, et tranquillitas „. De qua virtute adeundus Lactantius *lib. 6. cap. xxv. instit. divin. p. 421. tom. 1. edit. an. 1748.* Ac iustos quidem primorum temporum christianos fere omnes fuisse, affirmant Tertullianus *lib. ad Scapulam cap. iv. pag. 71. edit. an. 1744.*, et Minucius Felix in Octav *p. 315. edit. an. 1672.* Verum apud hos latius patet notio huiusce virtutis, at qui videantur omnem virtutem indicare iustitiae nomine. Ad rem propius spectat, quod ethnicus iudex apud Prudentium de christianis dicit, Nam erant nostra decreta quaedam ethnicis explorata, ex quibus poterant veritatem religionis cognoscere. Hymno II. περὶ στεφάνων v. 25. seq.

„ Sic dogma vestrum est, audio,
„ Suum quibusque reddite.
„ En Caesar agnoscit suum
„ Numisma nummis inditum.
„ Quod Caesaris scis, Caesari
„ Da, nempe iustum postulo.

§. I.

Principibus, et magistratibus christiani, ut par erat, 1. honorem tribuebant; 2. pro ipsis orabant; 3. iisdem parebant, modo ne quid contra Deum, eiusque sanctam religionem praeciperent; 4. tributa pendebant, quod ita Christus iussisset.

1. Scriptum autem a Paulo in epistola ad romanos est (1), reddi omnibus, quod cuique competit, oportere; cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timor timorem, cui denique debetur honor honorem. Principibus vero, ac magistratibus, ut qui potestate praediti sint, honorem esse tribuendum constat (2). Omnis enim potestas a Deo est. Quare eum, qui resistit, honoremque non adhibet homini, qui praeditus est potestate, Dei ordinationi resistere, idem est auctor in mox indicata epistola Paulus. Igitur christiani iam usque ab initio ecclesiae, ita honorabant imperatorem, ut hominem colere, ac venerari (3) decet,

(1) *Cap.* XIII. n. 7.

(2) Paulus apostolus *ibid.* v. 1. *seq.*

(3) Iustinus *martyr apolog.* I. n. 17. *p.* 54. „ Nos solum Deum adoramus, vobis autem in rebus aliis laeti servimus, reges, ac principes hominum esse agnoscentes, et simul precantes, ut cum regia potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini „. Tatianus *orat. contra graecos* n. 3. *pag.* 260. *edit. opp. Iust. an.* 1747. „ Cur tamquam sceleratissimus iure habeor? Iubet rex tributa pendere? Paratus sum solvere. Servire, et ministrare dominus? Servitutem agnosco. Homo *enim, ut hominem decet, colendus est,* solus autem Deus metuendus „. Athenagoras *legat. pro christ. p.* 297. n. 1. „ Nos qui christiani dicimur, quia non etiam nobis providetis, sed nihil agentes mali, sed potius omnium, ut progressus orationis patebit, sanctissime, et aequissime de Deo, ac de imperio vestro sentientes, exagitari, rapi, et vexari sinitis etc. „. Theophilus antiochenus *lib.* I. *ad Autolycum cap.* XI. *p.* 367. „ Regem igitur potius colam, non tamen eum adorans, sed preces pro eo fundens. Verum autem et vere existentem Deum adoro, cum regem ab eo factum sciam. Dices igitur mihi, cur regem non adoras? Quia non ideo rex factus est, ut adoretur, sed ut legitimo honore observetur. Neque enim Deus est, sed homo a Deo constitutus non ut adoretur, sed ut iuste iudicet ... Regem igitur colo, sed eum diligendo cole, eique parendo, et orando pro eo „. Tertullianus *apolog. cap.* XXVIII. *p.* 98. *edit. an.* 1644. *in append.* „ Ventum est ad secundum titulum laesae augustioris maiestatis „. *Cap.* XXX. *pag.* 101. „ Nos pro salute imperatorum Deum invocamus aeternum, Deum verum, Deum vivum ... Sciunt quis illis imperium dederit ..... Recogitant, quousque vires imperii sui valeant, et ita Deum intelligunt ..... Ideo magnus est imperator, quia caelo minor est. Illius enim est ipse, cuius et caelum est, et omnis creatura. Inde est imperator, unde et homo antequam imperator, inde potestas illi, unde et spiritus. Illuc sursum suspicientes christiani manibus expansis, quia innocuis ... Precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus ... Haec ab alio orare non possum, quam a quo me scio consecuturum ... Extorquete animam Deo supplicantem pro imperatore „. *Cap.* XXXI. *p.* 104. „ Inspice Dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus ... Praeceptum est nobis ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis Deum orare .... Qui magis inimici ... quam de quorum maiestate convenimur ... Sed etiam nominatim, atque manifeste, orate, *inquit,* pro regibus „. *Cap.* XXXII. *p.*105. „ Nos iudicium Dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos praefecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit, ideoque et salvum volumus, quod Deus voluit, et pro magno id iuramento habemus „.

non ut honorare, atque adorare necesse est Deum. Qua in re tam erant diligentes, ut nemo cum eis ethnicorum contendere posse videretur. Nam ethnici specie interdum simulationis eos venerabantur, re autem vera summo in ipsos odio ferri consueverant. Contra christiani et amabant, et incolumes servari cupiebant, et orabant, ut mentem illis Deus meliorem daret, quo et cognoscere veritatem, et administrare rempublicam iuste possent.

2. Preces quidem eam ob rem non privatim solum habere, sed etiam publice, cum in unum locum congregati essent, rem divinam facturi, solebant. Cuius quidem consuetudinis Iustinum martyrem, Athenagoram, Tertullianum, aliosque veteres patres testes esse locupletissimos (1) plane constat. Quid autem a Deo pro imperatoribus peterent, iidem ipsi indicant patres, quorum modo facta est mentio. Non enim ut mens principibus melior daretur tantum, sed etiam, ut pacem obtinerent, ut senatus eis, populusque fidelis esset, ut diu ipsi, feliciterque viverent, ut hostium impetum et sustinerent, et reprimerent, utque omnia, quae recte optarent, ac molirentur, prosperos habere successus possent (2). Atque ut pro imperatoribus, ita et pro magistratibus

Cap. xxxiii. *p.* 106. „ Sed quid ego amplius de religione atque pietate christiana in imperatorem, quem necesse est suspiciamus, ut eum, quem Dominus noster elegit, et merito dixerim, noster est magis Caesar a nostro Deo constitutus. Itaque et in eo plus ego illi operor in salutem, non solum quod eam ab eo postulo, qui potest praestare, aut quod talis postulo, qui merear impetrare; sed etiam quod temperamus maiestatem Caesaris infra Deum magis illum commendo Deo, cui soli subiicio. Subiicio autem, cui non adaequo. Non enim Deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se deum volet dici. Si homo sit, interest homini Deo cedere; satis habet appellari imperator. Negat illum imperatorem, qui deum dicit „. *Cap.* xxxiv. *p.* 107. „ Augustus imperii formator, nec dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut dominum Dei vice dicam „. *Cap.* xxxv. *p.* 108. „ Propterea igitur publici hostes christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant etc. „. Confer quae sequuntur, quae sane sunt omnia bonae frugis, ostenduntque quam recte christiani honorarent imperatores.

(1) Iust. mart. *apolog.* i. n. 17. *pag.* 54., Tertull. *apol. cap.* xxxix. *p.* 119.

(2) Iustinus *ibid.* „ Precantes, *inquit*, ut cum regia potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini „. Athenagoras *legat.* num. 37. *pag.* 333. „ Pro imperio vestro precamur, ut filius a patre, prout aequissimum est, regnum accipiatis, et accessionibus ac incrementis imperium vestrum, omnibus ditioni vestrae subiectis augeatur „. Theophilus antiochenus *lib.* i. *ad Autolycum* n. 16. *pag.* 49. *seq. edit. Wolfii* an. 1724. „ Itaque, o homo, omnino erras. Regem quidem honora, honora inquam, optima quaeque ipsi cupiens, subiectus ei, et orans pro eo. Haec faciens Dei voluntatem exequeris. Nam divina lex dicit, honora fili mi Deum, et regem, et neutri sis immoriger, subito enim hostes tuos ulciscetur „. Tertullianus *apolog. cap.* xxx. *p.* 102. *edit.* an. 1744. „ Precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis, et Caesaris vota sunt „. Quod ad publicas preces attinet, vide Iustinum *apolog.* i. num. 61. *p.* 85. *edit. venetae* an. 1747., et Tertullianum *cap.* xxxix. *apolog. p.* 119. ubi, „ Coimus, *inquit*, in coetum, et congregationem facimus, ut ad Deum quasi manu

ceteris precabantur, ut et Christo parerent, et pace, tranquillitateque potirentur (1). Haec tametsi summa pietate, sanctitate, magnitudine animi agerent, tamen a praesidibus exagitabantur. Quamobrem iure querebantur, quod vexari se cernerent, qui continenter orarent pro imperatore (2).

3. Parendum autem principibus, magistratibusque esse cum Christus (3) eiusque discipuli (4) iussissent, curatum a maioribus nostris est, nihil ut ab se, suisque ageretur, quod legibus (5) contrarium, praeceptisque imperatorum, quae cum religione christiana minime pugnabant, adversum videretur, et esset. Igitur cum ad bonum, salutemque principum, ac reipublicae interesset, arma etiam sumere, ad bellum proficisci, vitamque in discrimen communis felicitatis caussa adducere (6) non verebantur. Quod

„ facta precationibus ambiamus. Haec vis Deo grata „ est. Oramus etiam pro imperatoribus etc. „.

(1) Tertullianus *ibid.* „ Oramus ... pro ministeriis „ [imperatorum], ac potestatibus saeculi, pro rerum „ quiete „.

(2) Tertullianus *cap.* xxx. *apolog. p.* 103. „ Haec „ ab alio orare non possum, quam a quo me scio „ consequuturum, quoniam et ipse est, qui solus prae„ stat, et ego sum, cui impetrare debetur, famulus „ eius, qui eum solus observo, qui pro disciplina eius „ occidor, qui ei offero opimam, et maiorem hostiam, „ quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, „ de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam ... „ sic itaque nos ad Deum expansos ungulae fodiant, „ cruces suspendant ... paratus est ad omne suppli„ cium ipse habitus orantis christiani. Hoc agite boni „ praesides, extorquete animam Deo supplicantem „ pro imperatore. Ibi erit crimen, ubi veritas, et Dei „ devotio est „. Cyprianus quoque ad Demetrianum pag. 192. seq. „ Nec consternamur adversis, *inquit*, nec „ frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum „ clade, aut corporum valetudine mussitamus; spiritu „ magis quam carne viventes firmitate animi infirmita„ tem corporis vincimus ... et sed auferendis, vel tem„ perandis adversis, rogamus semper, et preces fundi„ mus, et pro pace, ac salute vestra propitiantes, ac „ placantes Deum, diebus ac noctibus iugiter, atque „ instanter oramus etc. „. Confer acta s. Acathii mart. *apud Ruinart.* n. 1. *p.* 129., epistolam Dionysii alexandrini apud eumdem *p.* 157. *acta procons. s. Cypr.* num. 1. *ibid. p.* 186. Haec vero edocti nostri e Paulo fuerant. Vide I. *ad Timoth. cap.* II. *v.* 1.

(3) Matth. *cap.* xxii. *v.* 21.

(4) S. Paulus *epist. ad Tit. cap.* III. *v.* 1. „ Admone „ illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto „ obedire, ad omne opus bonum paratos esse „.

(5) *Eccl. smyrn. epist. de Polycarpi martyrio n.* 10. *pag.* 199. *tom.* II. *pp. apostolic. edit. an.* 1744. „ Edocti „ sumus principibus, et potestatibus a Deo ordinatis „ honorem, prout decet, et nobis non officiat, dare „. Confer Tatiani, et Athenagorae, et Theophili loca, quae supra descripsi. Iustinus martyr *epist. ad Diognetum* n. 5. *p.* 249. „ Obsequuntur, *inquit*, christiani legibus, quae „ sancitae sunt, et suo vitae genere leges superant „. Hoc ipsum colligi potest ex Tertulliani *lib. ad Scapulam cap.* II., quo loco describit officia christianorum erga imperatorem pag. 69., quem ego locum paullo post describam. Consule Tertulliani *apolog. cap.* xxx. *seq.*, et *lib.* I. *ad nation. cap.* IV. *p.* 51. *seq. edit. an.* 1744.

(6) Adeundus Tertullianus *cap.* xxxvii *apol. p.* 30. *edit. an.* 1744., *et cap.* xlii. *p.* 133. ubi „ Sed alio quo„ que, *inquit*, iniuriarum titulo postulamur, et infru„ ctuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobis„ cum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus?.. „ Itaque non sine foro .... cohabitamus hoc saecu„ lum ... Vobiscum militamus etc. „. Et *lib. ad Scap. cap.* IV. *p.* 71. Confer acta ss. mm. Mauricii, et socior. *apud Ruinart. p.* 241. *seq. edit. veron.* Adisis xxvi. *dissertat.* Dugueti *p.* 469. *seq. t.* I. *dissertat. eccles. edit. an.* 1742. Sed etiamsi christiani arma non sumsissent, tamen prece imperatori subsidio fuissent. Hoc pacto Origenes refellit Celsi calumniam *lib.* VIII. n. 73. *tom.* I. *edit. opp. monachor. s. Mauri.* „ Hortatur nos, *inquit*, Celsus, *ut regi* „ *totis viribus opem feramus, in iustorum eius partem la*„ *borum veniamus, arma pro illo capiamus, et si ita postu*„ *lat, sub illo militemus, et cum illo ducamus exercitum.* „ Ad haec dicendum: regi nos in loco suppetias ferre, „ sed divinas, ut ita loquar, *induti armatura Dei*, id„ que facimus huic apostolicae voci obtemperantes: „ *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, po*„ *stulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,* „ *pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt*; et quo

si quos ethnicorum esse intelligebant, qui inimicos nos esse imperatorum dicerent, quasi in exercitu esse, pugnareque, dum tempus, ratioque moneret, recusaremus; eos continuo arguebant calumniae, propterea quod perspicue palam esset, aut armis nos, aut precibus Caesari, ac reipublicae venire suppetias consuesse.

Etsi vero tanta veterum christianorum erga imperatores, ac magistratus pietas, atque voluntas parendi esset, tamen ipsis obtemperandum, si quidquam contra atque praescriptnm erat a Christo, statuerent, non putabant. Nam lacerari, interimique malebant se, quam pati, ut quidquam adversum Dei legem peccare (1) viderentur. Quare, ut sibi a promulgando evangelio tem-

„ quis magis pietate praestat, eo validius auxilium regibus fert, plusque facit, quam autem in aciem milites, qui hostes quotquot possunt, interficiunt. Praeterea ad eos, qui a nostra fide alieni postulant, ut arma publicae utilitatis causa sumamus, et homines trucidemus, haec possumus respondere: quos apud vos habetis simulacrorum quorumdam sacerdotes, et vestrorum deorum aedituos, eos illi manus incruentas servant, ut ne sanguinolentis, et caede pollutis manibus diis vestris victimam afferant: unde nec instante bello illos dare militiae nomen iubetis. Id si iure fit, quanto magis cum et isti, aliis bellum gerentibus, militant, ut Dei sacerdotes, et ministri, intaminatas quidem servantes manus decertantes vero fusis ad Deum precibus pro iis, qui iuste belligerantur, et pro eo, qui iuste regnat, ut quidquid contrarium, et inimicum est, iuste facientibus profligetur „.

(1) Vide ecclesiae smyrnensis epistolam de Polycarpi martyrio *loc. cit.*, Iustinum, Tatianum, Athenagoram, Theophilum *loc. cit.* Tertullianus *lib.* I. *ad nationes cap.* XVII. *p.* 54. *edit. an.* 1744. „ Prima obstinatio est, *inquit*, quae secunda ab eis religio constituitur, caesarianae maiestatis, quod irreligiosi dicamur in Caesares, neque imagines eorum repropitiando, neque genios deierando, hostes populi nuncupamur ... Sed nos dicimus deum imperatorem, super hoc enim, quod vulgo aiunt, sannam facimus. Immo qui deum Caesarem dicitis, et deridetis dicendo quod non est, et maledicitis, quia non vult esse, quod dicitis „. Et *lib. ad Scapulam cap.* II. *pag.* 69. „ Sed et circa maiestatem imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriniani, vel Cassiani inveniri potuerunt christiani, sed iidem ipsi, qui per genios eorum in pridie usque iuraverant, qui pro salute eorum hostias et fecerant, et voverant, qui christianos saepe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, ne dum imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto romano imperio, quousque saeculum stabit. Tamdiu enim stabit. Colimus ergo et imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quidquid est, a Deo minorem. Hoc et ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est, dum et ipsi in potestate sunt eius. Itaque et sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro, et ipsius, sed quomodo praecipit Deus, pura prece „. Confer acta ss. mm. scillitanorum apud Ruinartium num. 1. *seq. p.* 74. *seq. edit. veron.*, acta s. Acathii martyris apud eumdem n. 1. *p.* 129., ubi haec habentur: „ Cui magis cordi est, vel a quo magis diligitur imperator, quam ab hominibus christianis? Assidue enim nobis est pro eo, et iugis oratio, ut prolixum aevum in hac luce conficiat, ac iusta populos potestate moderetur, et pacatum maxime imperii sui tempus accipiat. Deinde pro salute militum, et pro statu mundi, et orbis ... Ego Dominum meum, qui est verus, et magnus pro salute regis obtestor, sacrificium vero nec ille exigere, nec nos debemus exsolvere. Quis enim homini sacra persolvat etc. „? Eusebium *lib.* VII. *hist. cap.* XI. *p.* 335. *edit. cantabrig.*, qui Dionysii alexandrini epistolam refert, in qua sic habetur: „ Palam, et aperte contestatus sum, me illum, qui solus est Deus, neque alium ullum praeter hunc adorare, nec a proposito dimotum me esse, nec commissurum umquam, ut christianus esse desinerem .... Non omnem ab omnibus colunter ... Nos quidem unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano, et Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus, et adoramus. Huic continuo preces offerimus pro illorum imperio, ut stabile, et inconcussum permaneat „.

perarent, iussi (1), satius esse respondebant Deo, quam hominibus obedire. Cruciati autem, esse exploratum sibi aiebaut, quibus finibus Deus auctoritatem principum coarctasset. Itaque extorqueri ab se non posse, ut vel per Caesaris genium iurarent, ipsum ut Deum venerarentur, vel eidem sacrificarent, vel inanibus diis cultum adhibendum putarent (2), vel aliud quidpiam erga imperatorem facerent, quod erga Deum, non erga hominem fieri deberet. Quin etiam eorum permulti, cum in periculum amittendae vitae eam ob caussam sese adductos intuerentur, ad preces confugiebant (3), quibus aut aerumuam ab se averterent, aut virtutem ad strenue pugnandum consequerentur.

4. In tributis denique, ita ut sancitum lege fuisset, pendendis incredibilis nostrorum largitas erat (4). Non enim expectabant, ut eadem primi ab ipsis principum ministri repeterent. Nam ea ipsi per se, cum tempus posceret, offerebant. Atque hanc quidem in censu, tribntoque solvendo alacritatem, ac *promtitudinem* (licet enim quandoque has item voces, quae minus latinae videantur esse, usu terere) a magistro, et servatore generis humani Christo didicerant, qui etsi solutus eiusmodi lege erat, tamen, ut iis, qui petierant, satisfaceret, exemplumque nobis praeberet, numisma census libens pependit (5).

(1) Vide acta apost. *cap.* IV. v. 29. *et* V. v. 29.

(2) Nam hoc ethnici volebant, ut deorum loco nostri haberent imperatores, eisque vel eorum imaginibus cultum adhiberent. Consule Plinium *epist.* XCVII. *lib.* X. Consule etiam, quae supra ex patribus, et actis ss. mm. descripsimus testimonia. Confer praeterea acta ss. mm. Victoris, et socior. apud Ruinartium *p.* 257. *edit. veron.* num. 7.

(3) Vide Gregorium nazianzenum *orat.* III. *p.* 93. *seq.*, ubi de persequutione Iuliani in christianos agit, deque christianorum patientia, et studio sese precibus muniendi, ut vel liberarentur, vel strenue, fortiterque martyrium sustinerent. Haec vero erga imperatores officia a nostris celebantur, quod Christus ita iussisset, pacque ecclesiae, reipublicaeque posceret. Athenagoras *legat. num. ult. pag.* 334, ubi de precibus ecclesiae pro imperatore dixit, „Tum id quidem, *inquit*, nostra etiam „ interest, quo tranquillam vitam agamus, et imperata „ omnia alacres ministremus„. Similia habent Tertullianus, Theophilus antiochenus, aliique.

(4) Iustinus martyr *apolog.* I. n. 17. *pag.* 34. *seqq.* „ Illud etiam studio nobis est, ut vectigalia, et census „ iis, quibus hoc munus commisistis, *primi omnium* „ *pendamus*, quemadmodum ab eo sumus instituti. Illo „ namque tempore accedentes quidam, percontati „ sunt ex illo, an Caesari vectigalia pendere oporteat? „ Qui responsum hoc ab eo retulere: *Dicite mihi, in-* „ *quit, cuius imaginem nummus habet?* Qui ubi dixissent, „ *Caesaris: reddite igitur*, ait, *quae Caesaris sunt, Caesa-* „ *ri, et quae Dei Deo* „. Tatianus *orat. contra graecos* n. 4. *p.* 260. „ Iubet rex tributa pendere, paratus sum „ solvere „. Consule Tertullianum *apolog. cap.* XLII, *p.* 136. *edit. an.* 1744. *in append.* Eadem fere apud ceteros patres reperire licet, quos recensere non est opus, neque vacat.

(5) *Matth.* XVII. v. 23. Sed de christianorum erga principes, et magistratus officiis, cum alii permulti latius, vel obiter egerint, tum e nostris I. B. Bossuetius episcopus meldensis *Respons. a mr. Basnage* §. IV. *seq. pag.* 409. *seq. tom.* III. *opp. edit. venet.*, tum anonymus nescio e qua secta scriptor = *Traité de l'obéissance des chrétiens aux puissances temporelles, ou l'on montre par l'écriture sainte l'histoire de l'église en quoi les chrétiens doivent obéir a leur souveraine*, *Ultraiect.* an. 1735., et Calvinianus le Sueur = *Traité de l'obéissance des chrétiens envers leurs magistrats, et sou* ...

§. II.

Alieni praeterea christiani a seditionibus, turbisque erant.

Oritur deinde ex ea lege, qua subiecti esse principibus, potestatibusque iubemur, ratio cavendi, ne quid nostri caussa in republica seditionum, turbarumque fiat. Quo in genere singularis christianorum virtus, et continentia (1) fuit. Itaque etsi eorum nonnulli magistratu potiebantur, praefectique provinciis erant; tamen nihil sunt umquam moliti in imperatores mali, cum non ita ii se gererent (2), qui imbuti erant superstitione deorum. Quod si fuerunt aliqui ethnici ita in nos male animati, ut plebis in christianos iram concitaturi, machinari nos, optareve pestem, atque perniciem (3) civitatum, seditiososque esse dicerent, eorum tamen accusandi ratio convicta mendacii (4), calumniaeque est, ita ut apud suos indigni deinceps haberentur, quibus quisquam fidem (5) adiungeret. Quemadmodum enim turbas excitassent hi, qui ab dignitatibus, et auctoritate magistratus quam longissime (6) abhorrebant?

(1) Confer supra descriptum Tertulliani locum ex libro ad Scapulam. Origenem *lib.* III. *contra Celsum* n. 15. *tom.* I. *edit. paris. monach. s. Mauri*, et quae nos diximus *tom.* I. *lib.* I. *cap.* III. n. 4. *p.* 181.

(2) Vide locum supra descriptum Tertulliani ex libro ad Scapulam, et *apolog. cap.* XXXV. *pag.* 108. *edit. an.* 1744.

(3) Auctoris dialogi Philopatridos num. 24. *p.* 812. *tom.* III. *opp.* Luciani *edit. an.* 1743. haec item est calumnia.

(4) Vide quae dixi *tom.* I. *cap.* III. *p.* 181.

(5) Si enim imperatores hisce calumniatoribus auscultassent, quemadmodum pacem tam saepe ecclesiae restituissent?

(6) Tertullian. *apolog. cap.* XXXVIII. *pag.* 117. *edit. an.* 1744. *in append.* „ Nobis ab omni gloriae, et dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas coetus, „ nec ulla magis res aliena, quam publica „. Origenes *lib.* VIII. *contra Celsum* n. 75. *p.* 396. *edit. venetae an.* 1743. „ Nos etiam ad magistratus pro patria gerendos, *inquit*, hortatur Celsus, si ad tuendas leges „ pietatemque id facto opus est. Sed nos ... eos, qui „ *dignitates amant repudiamus* ... Neque etiam ea caussa christiani magistratus recusant, quod publica vitae munia refugiant, sed quod se diviniori, et magis necessario ecclesiae ministerio ad hominum „ salutem se servant „. Eo vero magis a magistratu obeundo nostri abhorrebant, cum regnum ethnici obtinerent, quod impia edicta primi omnium, qui magistratu fungebantur, exequi solerent. Adeundus Tertullianus *lib. de idololatr. cap.* XVIII. *p.* 96. *seq.* Deinde quietis amor, demissusque animus in caussa erat, cur sibi expetere dignitatem recusarent. Vide Orig. *ibid.*, et Minucium Felicem in Octav. *p.* 311. *edit. an.* 1672, Tertullianum *lib. de pallio cap.* V. *p.* 118., et s. Cyprianum *epist. ad Donatum p.* 3. *seq. edit. oxon.* Praeterea minus esse decore virum christianum existimabant patres, quod ambitu, quod adulatione, quod magno incommodo ad easdem parari solent vie. Confer Tertull. *lib. de poenit. cap.* XI. *p.* 123., et Cyprianum *ibid. p.* 7. Accedebat periculum, ne iniuste quidpiam agere cogerentur. Tertull. *de idololatr. cap.* XVII. *p.* 56., Innocentium I. *epist.* III. *cap.* IV. n. 7. *pag.* 769. *tom.* I. *collect. epist. rom. pontif. edit. Constant.* Extrema erat caussa necessitas, ut ita dicam, ludos, spectaculaque populo dandi, quae spectacula prohibita ab ecclesia erant. Innoc. I. *epist.* II. *cap.* XI. n. 14. *p.* 754. Constat eos, „ *inquit*, (publicis negotiis occupatos) in ipsis muniis „ etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas „ esse non dubium est, et ludorum, vel munerum

§. III.

De officiis eorum, qui ecclesiis praefecti erant, erga subditos, deque subditorum erga eos studio, et pietate.

Qui delecti fuerant, ut munere episcoporum in ecclesiis fungerentur, ii ut recte suos instituerent in religione, atque virtute curabant (1), quosque morum integritate exemplo aliis esse posse prospiciebant, diaconos, presbyterosque (2) ordinabant, qui ipsis adiutores in administranda ecclesia essent. Nulla apud antistites eosdem *acceptio personarum* erat. Si quos peccare, detrimentoque ceteris obstinatione esse videbant, monebant primum; perseverantes corripiebant; ac si nihil profecissent, ecclesiae (3) communione prohibebant, sive filii, sive etiam reges essent.

„ apparatibus aut praeesse, aut interesse „. Vide eiusdem *epist.* III. *cap.* IV. *n.* 7. *p.* 769., *et cap.* VI. *num.* 9. *p.* 770., et Tertullianum *lib. de spectac. cap.* XVII. *p.* 82., *et lib. de idol-latr. cap.* XVIII. *p.* 96. At cum periculum idololatriae, impietatisque nullum esset, magistratu aliquos nostrum fuisse functos temporibus ethnicorum imperatorum, certa res est. Consule Eusebium *lib.* VIII. *hist. cap.* I. *p.* 375. *edit. cantabrig.*, ubi „ Argumento, „ *inquit*, esse potest imperatorum benignitas erga no- „ stros, quibus regendas etiam provincias committe- „ bant, omni sacrificandi metu eos liberantes ob sin- „ gularem, qua in religionem nostram affecti erant, „ benevolentiam „. Idem Eusebius *lib. de vita Constantini* II. *cap.* XLIV. *p.* 558. „ Constantinum christia- „ num item religione, in singulas provincias eos prae- „ sides ut plurimum misisse, *scribit*, qui salutari fidei „ dicati essent „. Neque Paulus apostolus Sergio Paulo proconsuli imperavit, ut si christianus esse vellet, magistratu fungi desineret. Praecepisset autem, si componi dignitas cum christianae religionis institutis nequiret. Vide *actor. apost. cap.* XIII. *v.* 12. Sed de ecclesiae disciplina, quae ad eos, qui magistratu fungerentur, spectat, agam alio loco opportune. Interea confer *diss.* XXX. *Duguetii tom.* I. *dissert. eccl. p.* 503. *seq.*

(1) Confer *epist. ad Timoth.* I. *cap.* III. *v.* 1. *seq.*, *epist. ad Tit. cap.* I. *v.* 7. *seq.*, Clementis romani *epist.* I. *ad corinth. n.* 44. *p.* 30. *tom.* I. *collect. epist. rom. pont. edit. Constantii*, Ignatii *epist. ad Polycarpum n.* 1. *p.* 39. *seq. pp. apostolicor. tom.* II. *p.* 39. *edit. an.* 1724. Polycarpi *epist. ad philipp. n.* 5. *p.* 188. *tom. eod. pp. apost.*, Origenem *lib.* VIII. *contra Celsum n.* 75. *p.* 396. *tom.* I. *opp. edit. venetae an.* 1743., ubi „ Nos, *inquit*, qui sci- „ mus in singulis civitatibus aliam esse patriam a ver- „ bo Dei constitutam, eos, ut ecclesias regant, horta- „ mur, qui potentes sermone, et quorum mores sani „ sunt ... Cogimus vero illos, qui prae multa modе- „ stia communem ecclesiae curam in se facile reci- pere nolunt. Itaque qui nobis sapienter praesunt, id „ illi coacti faciunt ... Quod si qui in ecclesia prae- „ sunt, hoc est ecclesiae vocati antistites, illi, quae „ secundum Deum est, patriae recte praesunt, aut ex „ praescriptis a Deo legibus praesunt ... necessarium „ simul, et iustum hoc ministerium est. Omnium „ curam gerunt, eorum quidem, qui sunt intus, ut „ in dies melius vivant, eorum vero, qui sunt extra, „ ut loquantur, et faciant, quae pietate digna sunt, „ sicque Deum vero cultu prosequentes, et quamplu- „ rimos possunt erudientes, toti verbo Dei divinaque „ lege imbuti sint, et summo Deo consocientur etc. „. Sed alio properans, satis haec esse de episcopis censeo.

(2) De hac re dicam alio loco opportune. Interea consule Clementem romanum *loc. cit. n.* 42. *p.* 29., et s. Cyprianum *epist.* XXXVIII. *pag.* 74. *edit. oxon.*, et *epist.* XXXIX. *p.* 76. *seq.*

(3) Vide quae de Marcione a patre ex ecclesia eiecto dixi sup. pag. 308. n. 2. Eusebius *lib.* VI. *hist. eccl. cap.* XXXIV. de Philippo Augusto agens *p.* 298. *edit. cantabrig.* „ Fama est *inquit*, eum utpote christianum „ in postrema paschae vigilia precationum in eccle- „ sia participem simul cum reliquo populo fieri vo- „ luisse, *sed episcopum, qui tunc ecclesiae praeerat*, *non* „ *prius illi aditum permisisse, quam confessionem scele-* „ *rum fecisset*, iisque, qui humanitus lapsi fuerant, et „ in poenitentium ordine stabant. Quippe ob mul- „ ta, quae commiserat, crimina, nunquam omnino „ ab episcopo fuisset admissus, nisi id prius fecisset.

Presbyterorum, diaconorum, ceterorumque christianorum erga episcopos singulare studium erat. Eos enim parentum loco habebant, nullamque rem praetermittebant, quam ipsis deberi intelligerent. Cum illis enim in ecclesia congregabantur, in rebusque sacris administrandis omnes illis si laici (1) essent, sin autem clerici, praecipuas partes tribuebant. Namque ne reges quidem quidquam sibi eorum, quae propria episcoporum essent (2), arrogabant. Cognorant quippe ut in civilibus civium se, ita in sacris rebus antistites ecclesiarum esse iudices eorum omnium oportere, qui initiati nostris mysteriis fuissent (3).

§. IV.

De coniugum christianorum, de parentum et filiorum, dominorum et servorum moribus.

Dictum autem paullo ante est, quanta cura coniuges, parentes, filiique officia, quae sibi essent praescripta, perficerent. Atque ut uxor (4), ita vir uxori fidem servabat. Quin etiam sub-

„ Et imperator quidem libenter obtemperasse dici„ tur „. Etsi incerta fama haec nixa historia sit, tamen ex Eusebii loco plane constat, quae sit in rebus sacris auctoritas episcoporum supra principes, ceterosque homines christianos, sententia quidem ecclesiae et veteris, et satis bene constituta. De Theodosio imperatore, cui ad ecclesiam venienti fores clausit s. Ambrosius, quod indignum esse, qui ingrederetur, censeret, propterea quod in thessalonicenses saevisset, auctor est Theodoritus *lib. v. hist. eccl. cap. xviii. p.* 215. *edit. cantabrig.*

(1) Vide epist. Clement. *ad corinth. i. n.* 41. *p.* 28., epistolas Ignatii septem, quas esse genuinas constat *p.* 11. *seq. tom. ii. apostolic. pp. edit. an.* 1724., *epist. Polycarpi ibid.*, s. Cypriani *epist. xiv. xv. seq. edit. oxon. pag.* 34. *seq.*

(2) Vide quae paullo ante de Philippo, et Theodosio dixi.

(3) Vide Clementem romanum *epist. ad corinth. n.* 21. *p.* 20., s. Polycarpum *ibid. p.* 188., Clementem alexandrinum *lib. iv. strom. p.* 517., et Eusebium *lib. x. hist. eccl. cap. v. seqq. pag.* 485. *seq. edit. cantabrig.*, *et lib. iii. de vita Constantini cap. vi. seq. p.* 579. *seq.* Sed de hoc item argumento erit alibi copiose dicendum.

(4) De uxorum erga maritos officiis confer Iustinum martyrem *apolog. ii. n.* 2. Ut autem illae instituti deberent, indicat Clemens romanus *epist. eadem ad corinth. n.* 21. *p.* 20. ubi „ Praepositos nostros, inquit, „ revereamur, maiores nostros honoremus, iuvenes „ doceamus disciplinam timoris Dei. Uxores nostras „ ad id quod bonum est inducamus. Amabilem casti„ tatis mores ostendant, simplicem ac sinceram man„ suetudinis suae voluntatem demonstrent, modera„ tionem linguae suae silentio manifestam faciant, „ charitatem suam non secundum animi propensio„ nem, sed omnibus Deum sancte timentibus aequa„ lem praebeant etc. „. Et sanctus Polycarpus sic in epistola ad philippenses scribit *n.* 2. *seq. p.* 187. *tom. ii. apostolic. pp.* „ Abstinentes ab omni iniustitia, fraudatione, avaritia, obtrectatione, falso testimonio, non „ reddentes malum pro malo, nec maledictum pro „ maledicto, nec pugnum pro pugno, nec imprecationem pro imprecatione, memores autem eorum, „ quae dixit Dominus docens: Nolite iudicare, ne „ iudicemini ..... Principium autem omnium malorum est habendi cupiditas. Scientes ergo, quod „ nihil intulimus in hunc mundum ... armemur ar„ mis iustitiae, et doceamus nos ipsos primum am„ bulare in mandato Domini, deinde et vestras uxo„ res in sibi tradita fide, et charitate, et castitate, „ amantes viros suos in omni veritate, ac diligentes „ omnes aequaliter in omni continentia etc. „. Con-

dita uxor viro erat, ita ut a Paulo dictum fuerat. Parentes filios recte (1) instituebant, utque disciplinam servarent, curabant. Rursum filii parentibus obtemperabant (2), cum nihil aliud a parente quaeri certo scirent, quam veram eorum, solidamque felicitatem. Quibus servi erant, hi nihil in eos, quod pietati consentaneum non esset, admittebant. Scilicet eos sic tractabant, ut habere eosdem filiorum loco (3) viderentur. Pari modo servi libenter heris (4) parebant, utque parentes venerabantur.

§. V.

Quemadmodum se erga homines ceteros gererent.

Christianos ceteros magno honore prosequebantur. Nam seniores patrum, matrumve, aequales fratrum, iuniores filiorum (5) numero habebant. Quid si ethnicos ipsos, ut fratres considerabant (6), nihilque agebant, quod ipsis offensioni esse, aut damno posset?

sule Tertullianum *ad Scap. cap.* IV. *pag.* 71., Iustinum martyrem *loc. cit.* n. 3., Lactantium Firmianum *lib.* VI. *Institut. divinar. cap.* XXI. *p.* 499. *seq. tom.* I. *opp. edit.* an. 1748. ubi „ Servanda, *inquit*, fides ab utroque alteri est, immo exemplo continentiae docenda uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exiges, quod praestare ipse non possis. Quae iniquitas effecit profecto, ut essent adulteria feminis aegre ferentibus, praestare se fidem, non exhibentibus mutuam charitatem etc. Cavendum est igitur, ne occasionem vitiis nostra intemperantia demus, sed assuescant invicem mores duorum, et iugum paribus animis ferant. Nam fere in hoc iustitiae summa consistit, ut non facias alteri quidquid ipse ab altero pati nolis. Haec sunt, quae ad continentiam praecipiuntur a Deo ... Adduntur illa, ut omnis calumnia, et occasio fraudis removeatur, adulterum esse, qui e marito dimissam duxerit .... dissociari enim corpus, et distrahi Deus noluit. Praeterea non tantum adulterium esse vitandum, sed etiam cogitationem, ne quis aspiciat alienam, et animo concupiscat. Adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit etc. „

(1) Clemens rom. *ibid.* n. 21. *p.* 20. „ Liberi nostri disciplinae Christi participes sint, discant quid humilitas apud Deum valeat, quid casta charitas apud Deum possit, quomodo timor eius bonus est, ac magnus, et servans omnes, qui in ipso versantur in pura mente „. Polycarpus *ibid.* n. 4. „ Erudire filios suos in disciplina timoris Dei, tum viduas circa fidem Domini prudentes, interpellantes sine intermissione pro omnibus, longe recedentes ab omni calumnia, detractione, falso testimonio, avaritia, et omni malo, cognoscentes quod altaria Dei sunt „. Quare apud nostros non audiebantur scelera, quae exprobrat ethnicis Iustinus *apolog.* I. n. 27. *p.* 61. „ Sunt, *inquit*, ethnici, qui liberos etiam suos, et uxores prostituunt, ac palam, et aperte quidem ad cynaedicam turpitudinem evirantur ... Nobis, qui non ii sumus, ut quidquam eiusmodi faciamus, hoc minime nocere „.

(2) Vide Lactant. *lib.* IV. *divin. institut. cap.* III. *p.* 277. *seq.*, et quae dixi supra p. 394.

(3) Consule Tatianum *orat. adversus graecos num.* 4. *p.* 267. *edit. opp. Iustini an.* 1747. „ Liber sum ab insana gloriae cupiditate, mortem contemno, cuoris morbi genere superior sum, moeror animum non peredit. Si servus sum, servitutem sustineo, si liber, ingenuitatem non ostento „. Hinc fiebat, ut servi christianorum, tametsi ethnici, nihilo minus eiusdem calumniam struere non auderent, quamquam vexarentur, ut struerent. Confer Athenag. *legat. p.* 332. *edit. an.* 1747.

(4) Tatianus *ibid.* n. 4. *p.* 269.

(5) Vide quae scripsi *tom.* I. *p.* 6. *not.* 4.

(6) Confer quae scripsi *ibid. not.* 5.

§. VI.

Quam ob rem ab homicidio longe abhorrebant.

Quae cum ita essent, mirabile non est, si ab homicidio (1) tantopere abhorrerent. Quid autem iniustius, quam alterum a privato necari? Itaque hoc sibi palam iure sumebant, homicidam christianum reperiri neminem.

§. VII.

Ethnicos, qui exponere infantes, abortumque procurare audebant, ut homicidas detestabantur.

Cognosci etiam nostrorum hominum in hoc genere integritas, et innocentia poterat ex summo studio, quod adhibebant, ne quis infantes exponeret, exque detestatione sceleris, quod ethnici admittere solerent, ut vel ipsi exponerent suos, vel aequo animo ferrent, ut infantes ab aliis exponerentur. Nam atheniensibus sive lege, sive consuetudine quadam licebat, vel interficere, vel exponere, ut ab aliis aleretur, quidquid natum nolebant, quae sane ratio in alias permultas gentes manavit ethnicorum. Quare Iustinus martyr in priore apologia (2) didicisse, inquit, nos, ne quem vexemus, neve quidquam impune contra aliquem, quisquis tandem sit, aut faciamus, aut moliamur, sed habeamus eos, qui pueros exponere auderent, in numero improborum hominum. Caussas autem cur sic facerent, has indicat. Primo qui-

(1) Vide Iustinum martyrem *apolog.* II. n. 3. *p.* 93. Athenagoras *legat.* n. 35. *p.* 332. „ Quis igitur, *inquit*, „ non insulsissimus nos, cum tales simus, homicidas „ esse dixerit, neque enim carnes humanas degustare „ possumus, nisi prius aliquem occiderimus?.... Non „ homicidium spectare pene idem esse arbitramur, ac „ perpetrare. Caedem igitur quomodo perpetrare pos„ sumus, qui eam ne spectandam quidem ducimus, „ ne scelus, et piaculum nobis impingamus „. Theophilus antiochenus *lib.* III. *ad Autolycum* n. 15. *p.* 323. *edit. Wolf.* eadem fere scribit. „ Monomachias, *inquit*, „ nobis spectare interdictum est, ne oculi nostri inqui„ nentur, et aures nostrae participes fiant caedium „. Confer *epist. eccles. lugdun. et vienn. de martyr. Gallic* n. 15. *p* 55. apud Ruinart. in *act.* PP. MM. *sincer. edit. veron.*, Tertullianum *apolog. cap.* XLV. *p.* 139. *edit. opp. an.* 1744, Minucium Felicem Octav. p. 290. qui „ Nobis, *inquit*, homicidium nec videre fas, nec audire, „ tantumque ab humano sanguine nos verimus „. Et p.344. Origenem *lib* III. *contra Celsum* n.7. *tom.* I. *opp.*, Lactantium *lib.* VI. *divinar. institut. cap.* XX. *pag.* 491. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1748.

(2) *Num.* 27. *p.* 61. *edit. an.* 1747.

dem, quia « omnes fere huiusmodi videmus ad stupra, non puellas solum, sed etiam masculos produci, et quemadmodum narrantur antiqui greges, et armenta boum, vel caprarum, ovium, vel gregalium equorum aluisse, ita et pueros ad turpes dumtaxat usus, et feminarum pariter, ac ambigui sexus hominum, ac nefanda patrantium turba ad hoc piaculum apud omnes gentes prostrat (1) ». Deinde « metuimus, ne quis ex iis, qui exponuntur, non susceptus intereat, et homicidae simus; sed vel omnino matrimonium non inimus, nisi ad liberorum educationem, vel si a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus ». Ac multa quidem in rem eamdem disputat Athenagoras in legatione (2). Tertullianus praeterea in apologetico, filios exponi a parentibus ethnicis suscipiendos ab aliqua matre extranea scribit (3). Rursum Minucius Felix in Octavio. « Vos, *inquit*, video procreatos filios nunc feris, et avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere (4) ». Postremo Lactantius, ut alios praetermittam, in quinto institutionum divinarum libro (5), « impios, ait, vocant ipsi scilicet pii, et ab humano sanguine abhorrentes, cum si et actus suos considerent, et illorum, quos tamquam impios damnant, iam intelligent, quam mendaces sint, et iis omnibus, quae adversus bonos aut dicunt, aut faciunt digniores. Non enim de nostro, sed de illorum numero semper existunt, qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium pii fuerint, exponant ».

Ad abortum quod attinet, Athenagoras ibidem, « Qui mulieres, *inquit*, illas, quae medicamentis ad abortum utuntur, homicidas esse, et rationem huius abortus Deo reddituras dicimus, quomodo hominem occideremus? Non enim eiusdem est foetum etiam in utero animal esse, ac ideo Deo curae esse existimare, et editum in lucem occidere; ac infantem non exponere, quia parricidae sunt, qui exponunt, rursus autem nutritum, et educatum interficere (6) ». Minucius quoque in Octavio (7), « Sunt, *inquit*, qui in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, et parricidium faciant, antequam pa-

(1) *Num.* 29. *pag.* 62.

(2) *Num.* 35. *p.* 332.

(3) Tertull. *apol. cap.* IX. *p.* 36. *edit. an.* 1744.

(4) Minucius Felix in Octav. *p.* 289. *seq.*

(5) Lactantius *lib.* V. *cap.* IX. *p.* 383. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1748.

(6) *Num.* 35. *p.* 332.

(7) *Pag.* 290. *edit. an.* 1672.

riant. Et haec utique de deorum vestrorum disciplina descendunt ». Tertullianus item in nono apologetici capite (1), « Homicidii festinationem esse, ait, prohibere nasci, nec referre natam ne quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Hominem esse et eum, qui est futurus. Etiam fructum omnem iam esse in semine ». Postremo Lactantius in sexto institutionum libro (2), « Ne illud quidem, *inquit*, concedi aliquis existimet, ut recens natos liceat oblidere, quae vel maxima est impietas. Ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verum homines (ethnici) ne quod sit facinus, quo manus suas non polluant, rudibus adhuc, et simplicibus animis abnegant lucem non a se datam ». Loqui autem hoc loco Lactantium de immanitate illa, qua mulierculae potionem bibunt ad abortum procurandum, recte est in adnotationibus ab Helmenhorstio animadversum (3).

§. VIII.

Nec fur inter christianos ullus nominabatur, nec raptor, nec eiusmodi, qui aliorum res aut tolleret, aut expeteret.

Hoc item sibi incredibili libertate, ac suo quidem iure nostri sumebant, ut qui quanta ipsi innocentia praestarent, plane cognoscerent, suorum esse neminem, qui furti sese alligaret, defenderent. Itaque Iustinus martyr in apologia II. (4) de Lucio martyre agens, cum intellexisset, inquit, Ptolemaeum presbyterum damnatum ab Urbico esse, alloquutum in hanc sententiam fuisse iudicem: Quid caussae est, ut hominem neque adulterii, neque stupri convictum, neque homicidam, neque furem, nec raptorem, nec ullius sceleris reum, nominis dumtaxat christiani vocabulum confitentem condemnaveris? Quid si Speratus, qui e numero martyrum scillitanorum unus fuit, ego, dixit (5), imperatoris mundi genium nescio, sed caelesti Deo meo servio, quem nullus hominum vidit, nec videre potest? Ego enim nec furatus sum aliquando, sed quodcumque emam tributum do, quoniam

(1) *Pag.* 36. *edit. cousd. in append.*
(2) *Cap.* 11. *p.* 491.
(3) Ibid. *in not. ad lin.* 12.
(4) *Num.* 2. *p.* 93. *edit. an.* 1747.
(5) Apud Ruinart. num. 1. *pag.* 74. *edit. veron.*

cognosco eum dominum meum. Sed adoro dominum meum regem regnm, et omnium gentium dominnm ». Neque haec aliquorum solummodo christianorum virtus fuit. Lactantius ecce in quinto institutionum divinarum libro (1), « Non de nostro, *inquit*, sed de illorum (ethnicorum) numero semper existunt, qui vias obsideant armati, maria praedentur vel si palam grassari non licuit, venena clam temperent ». Igitur quod ethnicis exprobrat, alienum profecto fuerit a moribus christianorum necesse est.

§. IX.

Depositum non abnegabant et debitum creditoribus ultro reddebant.

Est huiusce rei testis locuples Plinius iunior in x. libro epistolarum (2). Quo sane testimonio quid dici, aut quid excogitari potest praeclarius? Accedit auctoritas Tertulliani in libro ad Scapulam (3) ubi, « Praeter haec, *inquit*, depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus ». Si cui autem quidquam debebant, ultro restituere creditoribus consueverant (4). Qui autem hisce moribus erant instructi, quemadmodum rem alienam ullam aut surripuissent, aut optassent? Atque haec quidem de moribus veterum christianorum dicta sunto. Quae tametsi et breviter, et minus fortasse eleganter, quam lectores vellent, disputata sunt, maximae tamen nostris hominibus utilitati futura confido, cum et paucos fuisse eos, qui in hoc genere versati sint, et minus abunde copioseque, quam ipse egerim, de hoc argumento disseruisse, intelligam.

(1) *Cap.* xx, *p.* 383.
(2) *Epist.* xcvii, *p.* 630. *edit. Cellar.*
(3) *Cap.* iv, *p.* 71.
(4) Auctor dialogi Philopatr. n. 20. *p.*607. tom.iii. *opp. Luciani*

§. X.

De studio ethnicorum christianos imitandi.

Cum hisce moribus, ut alias saepe diximus, res christiana aucta mirandum in modum esset, ethnici, qui pervicaces in superstitione manebant, videbantque neque hortatu, neque minis, neque suppliciis impetratum ab se fuisse, ut nostri ab sententia deterrerentur, collegerunt sese, atque alia consilia capienda putarunt, quibus sin minus religionem tollere, impedire saltem christianorum progressus possent. Igitur quoniam et doctrina, quae consentanea rationi sit, et sanctitate morum plurimum profecisse nostros intelligebant, dandam esse operam iudicarunt, ut quos vincere torquendo nequivissent, hos imitando vel superarent, vel quod illud difficile quidem esset, reprimerent. Sperabant enim fore, ut vulgus hominum specie virtutis moveretur, seque deinceps abduci a veteribus institutis non sineret (1). Fuerunt ergo eorum aliqui, qui formulas quasdam, dictionesque adhiberent, quas essent a nostris mutuati, propterea quod aptas explicandis decretis religionis esse arbitrarentur. Nam missis antiquis, quibus philosophi, qui ante Christum floruerant, utebantur, ubi de Deo, de natura, purgationeque animi, de misero corrupti hominis statu, deque aliis dogmatibus disserebant, ea cum alii, tum novi in primis platonici vocabula usurparunt, quae ex novi testamenti libris petita, non orta essent e schola quapiam veterum (2) philosophorum. Ac invenimus nos quidem apud Plotinum, Iamblichum, Hieroclem (3), Simplicium vocabula σωτὴρ, ἀνακαίνωσις, παλιγγενεσία, φωτισμὸς, *Servator*, *renovatio*, *regeneratio*, *illuminatio*, quorum sane vocabulorum in Platonis, Aristotelis, Theophrasti, aliorumque priscorum philosophorum voluminibus ne vestigium quidem extat. Neque vero futurum aliquem arbitror, qui haec Simplicii in ex-

(1) Ioh. Laurentius Moshemius homo de secta luteranorum singularem *de studio ethnicorum christianos imitandi dissertationem* scripsit, quae extat *in collect. dissertationum eiusd. scriptor. editor. Altonaviae an.* 1733. Huius me studiis plurimum, quod ad rem hanc pertinet, profecisse fateor.

(2) Confer Petri Danielis Huetii *quaestiones alnetanas, quae sunt de concordia rationis, et fidei*, et Tobiae Pfeonneri *systema theologiae gentilis*, qui diligenter eorumdem philosophorum testimonia collegerunt.

(3) Moshemius *ibid.* §. v. *p.* 329.

tremo commentario in Epicteti enchiridion verba non esse ex christianis fontibus hausta, putet. « Servatorem tertium supplex oro, ut ab oculis animorum nostrorum caliginem prorsus abstergat (1). Iam vero quis nesciat, christiana haec item esse, quae Hierocles a Paulo fortasse acceperit » (2)? Novit ille solus honorare, qui se in primis hostiam offerens, suumque animum divinum simulacrum faciens, mentem quoque suam ceu templum ad divinum lumen suscipiendum praeparat ». Atque est illud etiam certissimum nostrum hoc esse dogma, peccato nos vitiasse imaginem Dei, quae in nobis inest, adeoque restitui eam iustitiae, sanctitatisque praesidio oportere. Id vero sibi adoptasse Hieroclem plane (3) liquet. Sed quid multis est opus? Legat qui volet apud Eusebium (4) Porphyrii de Dei natura, atque attributis decreta, ac nisi ea non Platonis, neque Aristotelis, sed Iustini, Origenis, Clementis hominum christianorum dictis congruant, tunc me esse patiar, ab iis qui contra forsitan sentiant, superatum. Quod autem de Porphyrio dixi, hoc ipsum esse aio de Ammonio statuendum. Age vero, quae Mercurii Trismegisti nomine circumferuntur, nonne scripta videntur ab homine ethnico (5) fuisse, qui et legerit libros, et imitatus sit rationem dicendi (6) christianorum? Accedit vocabulum *daemon*, quod cum ante adhibitum ad naturas intelligentia praeditas indicandas fuerit, tum ubi invectus christianismus est, eamque malis *spiritibus* attribuit appellationem, sic ab ethnicis usurpari coepit, ut vix umquam ad significandum aut deum, aut bonos *spiritus* ab ethnicis (7) usurparetur. Viderunt haec scilicet Eusebius (8), Basi-

(1) *Comment. in Epict. p.* 332. *edit. lugd. an.* 1640.

(2) *Comment. in aurea carmina Pythagorae pag.* 25. *edit. cantabrig.*

(3) Ibid. pag. 174.

(4) In libris de praeparat. evangelica. Vide etiam Porphyr. de abstinentia *lib.* I. *pag.* 49. *edit. cantabrig. an.* 1665.

(5) Moshemius *ibid.* §. VI. *p.* 342. Consule Iohannem Albertum Fabricium *bibl. lat. lib.* III. *cap.* II. §. 12. *p.* 522., et Lambecium prodromo *hist. litterar. lib.* II. *cap.* I. *p.* 141., ubi de interprete dialogi inscripti, Asclepius, agunt; Iohannem Henricum Ursinum *lib. de Hermete, et Zoroastro exerc.* 2. *sect.* 7. *p.* 150., Hermannum Conringium de hermetica aegyptiorum medicina *cap* V. *pag.* 40., Cudworthum *syst. intellect. cap.* IV. *pag.* 328.

(6) Adeundi Dionysius Petavius *tom.* II. *theologicor. dogm. lib.* I. *de Trinit. cap.* II. §. III. *seq. p.* 8. *edit. paris.*, et Iohannes Henricus Ursinus *loc. cit. p.* 150.

(7) Vide s. Augustinum *lib.* IX. *de civ. Dei cap.* XIX. *p.* 178. *tom.* VII. *opp.*, *et cap.* XXI. *p.* 155., Chalcidium *in Tim. Plat. p.* 529. *edit. Fabric. tom.* II. *opp.* Hippolyti, et Plutarchum *in conv. sept. sapient. tom.* II. *opp. p.* 162. Adisis Moshemium *ibid. p.* 343. *seq.*

(8) Praep. evang. *lib.* XI. *cap.* XII. *pag.* 540., Basil. *homil.* XVI. *in princ. Iohan. p.* 134. *tom.* II. *edit. paris. monach.* s. *Mauri*, Augustinus *de civ. Dei lib.* XII. *c.* XX. *pag.* 243., *et lib.* XXII. *cap.* XIX. *pag.* 258. *tom.* VII. *opp.* Adeundus Moshemius *ibid. p.* 351. *seq.* §. X., et Baltusius soc. I. theologus *defens des pères accusés de platonisme lib.* IX. *cap.* VII. *p.* 476. *seq.* et 545.

lius, Augustinus, et Theodoritus, quamobrem Porphyrium, eiusque similes philosophos numerandos esse in plagiariis censuerunt.

Dici autem vix potest, quot fabulis ante adventum Christi, quotque inanibus, falsisque de Deo, et religione opinionibus ethnici assentirentur. Sed posteaquam disputare cum nostris aggressi sunt, repudiare eas sensim, aliamque inire coeperunt explicandorum divinorum dogmatum rationem. Quod cum ab aliis patribus, tum est etiam ab Orosio (1) quinti saeculi scriptore animadversum. Nam quos ante deos ethnici appellabant, eosque ex aliis diis, ut ex parentibus natos, iactabant, eosdem ita post depresserunt, ut non dii quidem illi, sed ministri, cuiusmodi esse angelos credimus, unius Dei huiusce universitatis conditoris, esse illorum sententia viderentur. Eo autem adducta res est, ut essent aliqui, et illi quidem dignitate praestantes, qui Christo etiam cultum adhibendum (2) putarent. Quid? si novorum platonicorum de tribus hypostasibus (3) dogma ortum ex imitatione doctrinae est christianorum? Nam ex Platone nihil simile licet exsculpere. Sunt enim illius verba satis implicata. Itaque sic excitatos a christianis fuisse novos platonicos censeo, ut hoc sibi saxum volvendum arbitrarentur. Quae namque alia fuerit caussa, quae illos moveret, ut tantum in ea re studii, laborisque consumerent, ne suspicari quidem possum. Est vero illud singulare, quod cum veteres philosophi coaeternam Deo materiam finxerint, novi ab illis recesserint, eamque creatam dixerint, aemulati studia (4) christianorum. Ac de doctrina quidem christiana, quam imitati ethnici fuerint, satis haec sunto. Hoc tamen moneo, ne quis sola ratione decreta religionis christianae investigari posse putet. Tobias Pfannerus (5), Petrus Daniel Huetius (6), aliique commentarios

(1) *Hist. lib.* VI. *cap.* I. *p.* 157. Confer Moshemium *ibid. p.* 256.

(2) Vide Iohannem antiochenum *in excerp. Vales. p.* 803. *seq.*, Tertullianum *apolog. cap.* V. *pag.* 57. *edit. Haverc.*, qui susceptum fuisse a Tiberio consilium Christum in deos *referendi* scribit. Quamquam autem id negant factum Tranquillus Faber *epist. crit. tom.* II. *epist.* XII. *p.* 33., Iohannes clericus *hist. eccl. pag.* 325., Antonius Vandalemius *de orat. ethnic. lib.* II. *pag.* 453. *seq.* tamen nullam esse caussam, cur Tertulliano fides adimatur, defendunt Iohannes Pearsonus *lect.* 4. *ad act. apost. p.* 63. *inter opp. posthuma*, Theod. Hasaeus *dissert de decret. Tiber.*, quo Christum *referre* voluit in *numerum deorum*, *edit. Erfurti an.* 1715. Adeundus Moshemius *ibid. p.* 358. *seq.*

(3) Plotin. *ennead.* 5. *lib.* I. *p.* 481., a novis Cudworthus *syst. intellectual. lib.* I. *cap.* IV. *p.* 547., et Moshemius *in not. ad Cudw. dissert. cit. pag.* 363. Confer, e. Augustinum *lib.* X. *de civ. Dei cap.* XXIX.

(4) Moshemius *dissert. de stud. ethnic. imit. christian. p.* 368.

(5) Syst. theol. gentilis.

(6) *Quaest. alnet.* His praiverant Augustinus Steuchus eugubinus *perenn. philos.*, Livius Galantes, Mutius Pansa, aliique.

de concordia rationis, et religionis christianae scripserunt, ut ratione inveniri quidquam, quod ad fidem accedat, ostenderent. Sed non animadverterunt, non eorum se, qui ante Christum, sed eorum, qui post apostolos ipsos vixerunt, testimonia collegisse philosophorum, qui nostris libris, disputationibusque profecerint. Horum enim commune erat effatum, veritatem ab omnibus esse, quicumque tandem sint, repetendam (1).

De moribus autem, officiisque multo accuratius, post adventum Christi servatoris, philosophos disseruisse, testata res est. Quamobrem recte Godefridus Olearius scribit (2): « Ex christianis fontibus promanasse pleraque Iamblichi, Porphyrii, Procli dogmata, ea praesertim, quae de sensuum fuga, affectuum crucifixione, mentis elevatione in Deum disseruerunt ». Idem alio loco sic statuit: « Nugantur, qui quas in horum philosophorum scriptis inveniunt praeclaras doctrinas de morte philosophica, corporisque, et sensuum fuga, de cura animi, itemque de mentis cultu, ex eorum doctrina profecta putant. Hoc certum est, ipsius scripturae phrasim adeo exacte referre pleraque illa, quae de talibus illis philosophi habent, ut ex illis fontibus ea derivata esse dubitari vix possit. Id vero aemulatione factum religionis christianae manifestum est, ne quidquam scilicet philosophiae deesse videretur eorum, quibus illa sese maxime hominum animis commendare deprehenderetur. Neque sane alios facile in ornanda spoliis huiuscemodi philosophia reperias, quam qui infensissimo erant adversus christianos animo. Certe Iulianus, Porphyrius, et Proclus, quos peculiaribus scriptis christianismum impugnasse notum est, diligentissimi fuerunt in imitanda doctrina morum, et instituti christianorum, ut scripta eorum loquuntur ». Ac Simplicius quidem sic officia interdum explicat, ut verbis uti videatur (3) apostolorum. Quid? si in precibus fundendis nostros imitari posteriores ethnici solerent (4)? Non enim modo formulas,

(1) Vide Godefridum Olearium *dissert. de philos. eclect. cap.* III. *p.* 1210. *ad calc. hist. philos. Stanleii*, et Moshemium *diss. de turbata per recentiores platonicos ecclesia* §. VIII. *seq. p.* 102. *edit. eiusd.*

(2) *Ibid. p.* 1210. *et cap.* VII. *p.* 1221.

(3) Moshem. *diss. de stud. ethnic. imit. christianos* §. XVII. *p.* 373. *seq.*

(4) Extat marmorea in bibliotheca casanatensi inscriptio sepulcralis ethnica, qua confirmari, quod dixi, magis magisque potest, si ceteris monumentis, quae huc spectant, addatur. Est autem inedita, similesque earum preces continet, quas nostri pro mortuis adhibere iam inde ab antiquissimis temporibus consueverant, quamquam sunt huic superstitiosa quaedam, et gentilis marmori insculpta, quae a nostris decretis abhorrent. Ea vero inscriptio sic habet:

sed etiam distributionem temporum, quibus esset orandum, quandoque (1) servabant. Ad opera autem misericordiae quod attinet, Iulianum praescripsisse, ut gentiles (2) nostros aemularentur, ostensum est. Quare non est opus, ut actum esse agendum putem.

M
— ΗϹΕϹΤΗΛΙΙ
ΓΑΛΑΤΟΥϹΙΑΚΚΩΙ
ΑΓΑΘΩΙ ϹΥΜΒΙΩΙ
ΜΕΘ ΟΥ ϹΥΝΕΒΙ
ΩϹΑ . L. ΚΕ ......
ΔΕΟΜΑΙ ΤΟΥϹ ΚΑ
ΤΑΧΘΟΝΙΟΥϹ ΘΕ
ΟΥϹ ΤΗΝ ΨΥΧΗΝ
ΕΙϹ ΤΟΥϹ ΕΥϹΕΒΟΥΣ
ΚΑΤΑΤΑΞΑΙ.

Manibus ... Kestele Galatusiacche bono coniugi, cum quo vixi annis viginti quinque ... precor inferos deos animam in pios ponere.

(1) Mosheim. *ibid.* p. 374. §. xviii.

(2) Vide supra p. 349. not. 2. *huius vol.* Multa in hanc rem disputari possent. Sed brevitati consulendum est. Itaque consulat lector, si potest, et volet scriptores, quos numeravi, ex quibus longe plura cognoscet, quae ad rem illustrandam pertinent.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX

RERUM

A

B

D

E

F

G

H

I

N

O

P

R

S

T

V